2. 3. 161
2 M.3
Digitized by Google

Matto è chi crede, che nostra ragione
Possa trascorrer l'infinita via,
Che tiene una sostanza in tre persone
Dante

XXXIV

LAM. de Sanct.

Ex munere Clarissimi Authoris

Ex legato D: Equitis
Ant.i Francisci
de Marmi

Digitized by Google

Digitized by Google

IOH: LAMI

PVBLICI ECCLESIASTICAE HISTORIAE

PROFESSORIS

ET RICCARDIANAE BIBLIOTH. PRAEFECTI

DE RECTA CHRISTIANORVM

IN EO QVOD MYSTERIVM

DIVINAE TRINITATIS

ADTINET SENTENTIA

LIBRI VI.



FLORENTIAE MDCCXXXIII.

Ex Typographio Reg. Cels. apud Tartinium, & Franchium.

Cum adprobatione.

Digitized by Google



Digitized by Google

IESV CHRISTO

DEI FILIO
PATERNAE GLORIAE SPLENDORI
ET HYPOSTASEOS CHARACTERI.
CANDORI LVCIS AETERNAE. DIVINAE
MAIESTATIS SPECVLO.
BONITATIS IMAGINI. VIRTVTIS
VAPORI. CLARITATIS
EFFLVVIO.
SERMONI PATRIS. SAPIENTIAE.
RATIONI
QVA MVNDVS EST EFFECTVS
AC REGITVR.
ANTE OMNIA TEMPORA
EX PATRIS SVBSTANTIA GENITO.
IN TEMPORE HOMINEM
SINE MVLTIPLICATIONE PERSONAE
AVT NATVRARVM CONFVSIONE
INDVERE DIGNATO.
HVMANI GENERIS VINDICI
ET ADSERTORI.
REGI REGVM ET DOMINO
DOMINORVM.

Digitized by Google

DEO OPT. MAX.
QVOD ME FAMVLVM INDIGNVM
IOHANNEM LAMIVM
INGENVE EDVCATVM
ET BONIS ARTIBVS EXCVLTVM
VOLVERIT.
DIFFICILIVM PEREGRINATIONVM
LABORIBVS DEFVNCTVM
IN PATRIVM SOLVM INCOLVMEM
SOSPITEMQVE REDVXERIT.
A CONTERRANEORVM ALIORVMQVE
PERDITISSIMORVM HOMINVM
CALVMNIIS VINDICAVERIT.
PRINCIPIBVS VIRIS
ET DYNASTIS AMPLISSIMIS
SPECTATVM FOVEAT ATQVE
TRANQVILLET.
GRATI AC RELIGENTIS ANIMI
MONVMENTVM
QVALECVMQVE HARVM
COMMENTATIONVM
ANATHEMA
D. D. D.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

LIBRI I.

Cap. I. *Aegypti laudes.* pag. 1.
Cap. II. *Abrahami in Aegyptum profectio; eius laudes; Aſtronomiae, & Literarum antiquitas.* 2.
Cap. III. *Literarum & Aſtronomiae apud Aegyptios antiquitas.* 6.
Cap. IV. Abrahamus *& eius poſteri non procul ab Aegypto habitavere. Aegyptiorum,* Ioſephi *aetate, ſtudia & doctrinae quaedam.* 10.
Cap. V. *Iſraelitarum, qui in Aegyptum migravere, numerus & incrementum, religio & placita. De doctrina Chaldaica quaedam.* 12.
Cap. VI. *Aegyptiorum & Iſraelitarum conſuetudo. Aegyptiorum ea tempeſtate religio.* 24.
Cap. VII. *De Graecorum, & Aegyptiorum literatura, & horum poſteriorum doctrina.* 25.
Cap. VIII. *Quarumdam Aegyptiacarum opinionum, & dogmatum cum Ebraicis conſenſio.* 28.
Cap. IX. *Iudaicarum legum & inſtitutorum notitiam ad Aegyptios perveniſſe vero non eſt abſimile.* 38.
Cap. X. *Aegyptiorum erga diſciplinas amor. Libros comparandi, & Bibliothecas inſtituendi etiam antiquis temporibus ſtudium. Iudaeorum commercia.* 39.
Cap. XI. *Decem Tribuum diſperſio. Regum Iudae cum Aegyptiis bella, & foedera. Iudaeorum in Aegyptum fuga.* 45.
Cap. XII. *Scriptorum teſtimonia, quibus Iudaicas Scripturas apud Aegyptios extitiſſe indicatur.* 50.
Cap. XIII. *Sacra Iudaeorum volumina etiam ab aliis gentibus habita.* 51.
Cap. XIV. Orpheus, Muſaeus, Melampus, Daedalus, Ho-

Homerus, Lycurgus, Solon, Thales *in Aegyptum contendere. De* Thaletis *doctrina quaedam.* 52.
Cap. XV. Pythagoras *quoque in Aegyptum, Aſſyriam, aliaſque regiones peregrinatus eſt De eius doctrina quaedam.* Pherecydes *itidem Syrius, &* Thales *Mileſius, &* Democritus *Chaldaeos convenere. De Chaldaeorum placitis nonnulla.* 61.
Cap. XVI. *An* Heraclitus *in Aegyptum contenderit. De eius placitis quaedam.* Euripides *in Aegyptum penetravit. Item* Eudoxus *Cnidius,* Enopides *Chius, aliique.* 75.

L I B R I II.

Cap. I. PLato *in Aegyptum proficiſcitur.* Euripides *eius itineris comes non fuit.* 81.
Cap. II. Eudoxum *una cum* Platone *in Aegyptum non conceſſiſſe.* 82.
Cap. III. *De mora & ſtudiis* Platonis *in Aegypto.* 85.
Cap. IV. *An* Plato *Aegyptias literas didicerit.* 87.
Cap. V. *Multos Iudaeorum Aegyptum incoluiſſe, quum illuc* Plato *conceſſit.* 96.
Cap. VI. Plato *non fuit* Ieremiae *Prophetae coaevus. An cum Iudaeis in Aegypto congreſſus fuerit.* 101.
Cap. VII. Platonem *Iudaeis eſſe congreſſum, a vero haud forſan abludere ulterius demonſtratur.* 104.
Cap. VIII. *Iudaeorum natio ab Ethnicis Scriptoribus celebrata.* 108.
Cap. IX. *Quaedam diluuntur obiecta.* 113.
Cap. X. *An ullam* Plato *Ebraicarum ſcripturarum cognitionem habuerit.* 117.
Cap. XI. *An ante Ptolemaeum Philadelphum Iudaicae Scripturae in Graecam linguam converſae fuerint.* 121.
Cap. XII Plato *multa Graecos a Barbaris accepiſſe ingenue fatetur.* 125.
Cap. XIII Plato *quum Barbaros nominat, non ad unum tantum Barbarorum genus reſpicit.* 130.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XIV. *An* Plato *de Iudaeis aliquid ſaltem ſubobſcure indicet.* 133.

L I B R I III.

Cap. I. *Recenſentur Scriptores, qui* Platonem *Iudaicarum ſcripturarum, vel dogmatum notitiam habuiſſe memoriae prodiderunt.* 139.
Cap. II. *Platonicae & Iudaicae doctrinae ſimilitudo.* 141.
Cap. III. *Ex univerſitatis contemplatione ad Divinae Trinitatis cognitionem perveniri non poſſe.* 153.
Cap. IV. *Idem continuatur argumentum.* 155.
Cap. V. Plato *de Demiurgica Trinitate doctrinam aliis debet.* 159.
Cap. VI *Continuatur idem argumentum.* 161.
Cap. VII. *De Divinae Trinitatis apud Iudaeos notitia.* 162.
Cap. VIII. *Eiuſdem argumenti continuatio.* 170.
Cap. IX. Clerici *obiectio diluitur.* 175.
Cap. X. Plato *in Trinitatis Demiurgicae notitiam falſa ratiocinatione non venit.* 180.

L I B R I IV.

Cap. I. *Quam veroſimile ſit ea, quae de Mente mundi opifice* Plato, *aliique Philoſophi dixere, ex Ebraeorum doctrina profluxiſſe.* 184.
Cap. II. *Quae ab Ebraeis Sapientia, cur λόγος a Graecis Philoſophis adpelletur.* 190.
Cap. III. *Vox λόγος etiam a Iudaeis Scriptoribus uſurpata ad divinam hypoſtaſin ſignificandam.* 193.
Cap. IV. *Nomine λόγος Scriptor Sapientiae eamdem hypoſtaſin deſignat, quam antea Salomon, & ipſe etiam, Sapientiam adpellaverat.* 198.
Cap. V. *Obiectio diſſolvitur.* 201.
Cap. VI. *De Graecorum Poëtarum imitatione, quae Cap. XVII. Sapientiae haberi videtur.* 204.
Cap. VII *Vox λόγος in Libro Sapientiae Cap. XVIII.* Ratio *an* Sermo *verti debeat.* 208.

Cap. VIII. *An* λόγος *in* Philone Sermo, *vel* Ratio *reddi debeat*. 209.

L I B R I V.

Cap. I. *Chriſti Divinitas Scripturarum teſtimoniis adductis demonſtratur*. 216.
Cap. II. *Eiuſdem argumenti continuatio*. 219.
Cap. III. *Vocem* λόγος *in Evangelii* Iohannis *initio* Sermo *ſeu* Verbum *interpretandam eſſe ulterius demonſtratur*. 225.
Cap. IV. *Patres Apoſtolici recte de Chriſti Divinitate ſenſere*. 228.
Cap. V. *Iudaeos Graecanicis ſtudiis atque doctrinis multam operam non navaſſe*. 233.
Cap. VI. *Idem argumentum continuatur*. 235.
Cap. VII. *Animarum corporibus ſeiunctarum ſedes ſub terra a Iudaeis conlocatas fuiſſe*. 238.
Cap. VIII. *De Metempſychoſi apud Iudaeos pauca quaedam*. 242.
Cap. IX. *De Academicorum a Praeceptore diſſenſione, & Platonicae doctrinae fato*. 243.
Cap. X. *De* Iohannis *Evangeliſtae ruſticitate, & imperitia*. 258.
Cap. XI. *Apoſtolorum a profanis doctrinis averſio*. 259.
Cap. XII. *Apoſtoli, & primi Chriſtiani profanorum librorum lectionem maxime averſati ſunt*. 261.
Cap. XIII. *De Philonis aetate, & doctrina*. 263.
Cap. XIV. *De Apoſtolicae Doctrinae unitate ac conſenſione, deque naſcentis Chriſtiani nominis celebritate*. 265.
Cap. XV. *De quibuſdam Platonicis, qui poſt Chriſti ortum vixere*. 272.
Cap. XVI. *De voce* λόγος *ab Apoſtolis uſurpata*. 280.
Cap. XVII. Iohannes *Evangelium ſcripſit ut quaedam ſuppleret, quae alii Evangeliſtae praeterierant*. 286.
Cap. XVIII. Iohannes *Evangelium ſcripſit ut ſui temporis Haereticos confutaret*. 288.
Cap. XIX. *Quomodo ad ſcribendum Evangelium ſeſe* Iohannes *adcinxerit*. 295.
Cap. XX. Clericus *confutatur*. *ibid.*

Digitized by Google

LIBRI VI.

Cap. I. P*Hiloſophi mundanam animam naturali quadam ratiocinatione inducere potuere.* 303.
Cap. II. *De Spiritus Sancti apud Iudaeos notitia.* 304.
Cap. III. *An de Mundana Anima opinio ex Iudaica doctrina derivari potuerit.* 307.
Cap. IV. *Ventum eſſe animam a multis exiſtimatum.* 311.
Cap. V. *Vento gignendi & foecundandi virtutem Veteres tribuere.* 315.
Cap. VI. *An alio quoque ſenſu Moſis verbis acceptis in Animae cuiuſdam generalis ſubſpicionem Ethnici venire potuerint.* 317.
Cap. VII. *An Mundum eſſe animatum adfirmare, ſit divinis oraculis contrarium.* 325.
Cap. VIII. *Platonem non omnia literis mandaviſſe: eius item ſcripta quaedam intercidiſſe.* 328.
Cap. IX. *Clementis Alexandrini quaedam exponuntur.* 331.
Cap. X. Plato, *& alii Graeci Scriptores multa ab aliis ſubripuere, neve id profeſſi ſunt.* 332.
Cap. XI. *De Platonicorum Dialogorum Interloquutoribus.* 338.
Cap. XII. *De Veritatis corruptione, & an Chriſtus venturus aliquo modo antiquis Ethnicis innotuerit.* 340.

Digitized by Google

HAnc quidem titulorum, qui Capitibus praefiguntur, ſeriem praemittendam eſſe cenſuimus: non tamen ex illa quiſquam ſatis intellexiſſe ſe putet, ut de toto opere iudicet. Ea tantum maleferiatorum & nugacium hominum, quibus loquentiae ſatis, ſapientiae parum, confidentia eſto ac ſupercilium. Sed neque ex eiuſdem operis Synopſi, quam continenter ſub praefationis nomine ſubiicimus, naſo nos adunco ſuſpendat. Ampliet potius, &, ut doctum prudentemque virum decet, donec integrum commentarium evolverit, ſibi non liquere pronunciet. Quod ſi noſtra minus oratione movetur, audiat tandem Tullianae eloquentiae fluvio manantem Lactantium Firmianum, atque in haec ipſiſſima verba erumpentem: *Ab his tamen*, inquit, *ſi fieri poteſt, humanitatis iure poſtulamus, ut non prius damnent, quam univerſa cognoverint: nam ſi ſacrilegis, & proditoribus, & veneficis poteſtas defendendi ſui datur, nec praedamnari quemquam incognita cauſſa licet, non iniuſte petere videmur, ut ſiquis erit ille, qui inciderit in haec, ſi leget, perlegat, ſi audiet, ſententiam differat in extremum.*

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

IMPIAE *Socinianorum ſectae fautores, ut ſuam de Natura Divina ſententiam a vero haudquaquam abludere, ſi Deo placet, oſtendant, tres potiſſimum vias ineunt. Primum, de tribus Divinis Hypoſtaſibus dogma ambigue in ſacris literis, & ſubobſcurius inſinuari aiunt: deinde non unam ſemper Orthodoxorum de Divina Trinitate opinionem fuiſſe iactitant: tandem ex Ethnica Philoſophia eiuſmodi decretum profluxiſſe videri volunt. Quod ſecundum adtinet, ipſe quidem nuper Maiores noſtros a maleferiatis hominibus Tritheiſmi inſimulatos pro virili portione vindicavi*: Conſubſtantialitatem *Filii cum Patre & Spiritu Sancto, a Chriſtiani nominis Sapientibus ſemper fuiſſe creditam, alii iam doctiſſimis lucubrationibus editis perſpicue demonſtravere. Duo quidem reſtant, quorum unum nemo eſt in divinarum ſcripturarum lectione adeo infeliciter verſatus, qui non videat quam inſcite, & futile obponatur, quum paſſim in Apoſtolorum commentariis Chriſti Divinitas diſerte ac luculente praedicetur. Sed qui minus coeleſtibus literis, quaſi divinitus inſpiratae non fuerint, deferunt, etſi manifeſta de Chriſti Divinitate teſtimonia iis contineri non inficiantur, perfricta tamen fronte adſerere non erubeſcunt, eam doctrinam non ad primorum tantum ſaeculorum Chriſtianos ex Ethnica ſapientia propagatam defluxiſſe, ſed ab ipſis etiam Apo-*

ſtolis

Digitized by Google

ſtolis ex eodem fonte fuiſſe derivatam. Hiſce eorumque ſacrilegae audaciae obcurrere animum induxi meum: idque ut praeſtarem, eam rationem mihi ineundam eſſe exiſtimavi, ut oſtenderem primum ab ipſo mundi exordio, vetuſtiſſimiſque temporibus veram de Divinitate opinionem obtinuiſſe, adeoque ſanctis Iudaeorum Patriarchis divinam olim Trinitatem fuiſſe cognitam, quod Libri I. Capite V. expedimus. Inde vero aliquam ſemper eiuſdem notitiam inter Iudaeos remanſiſſe comprobamus, ut videre eſt Libro III. cap. VII. & VIII. & Lib. IV. Cap. I. II. III. IV. & ſequentibus: item Libro VI. Cap. II. Omnium quoque gentium originem ex Noachidis emanaſſe cum arcanis ſcripturis conſtanter adſerimus Libro I. Cap. V. & cum Iudaeis Aegyptiorum Chaldaeorumque commercia percurrimus Libro I. Cap. XI. & Libro II. Cap. V. Poſtea demonſtratum imus Graecos Aegyptiis, & Chaldaeis, aliiſque Orientalibus ſuas doctrinas, ſapientiamque debere, quod inprimis exſequimur Libro I. Cap. XIV. XV. XVI. & Lib. II. Cap. I. & ſequentibus. Adſtruo autem opportune de pluribus divinis ἀρχικαῖς τε *Hypoſtaſibus conſultum apud Aegyptios atque Chaldaeos exſtitiſſe Libro I. Cap. V. & VIII. Nonnullam pariter Ebraicarum ſcripturarum, aut ſaltem dogmatum cognitionem, & a vetuſta etiam aetate, diverſis gentibus adſero Libro I. Cap. IX. & ſequentibus, & Libro II. Cap. XI. Heinc an Plato cum Iudaeis unquam congreſſus fuerit, vel eorum dogmatum notitiam ullam hauſerit, diſputatur Libro II. Cap. V. & ſequentibus. Tandem ille de Trinitate* Δημιουργῷ *ſententiam ab aliis accepiſſe probatur, nec falſa quadam ratiocinatione ductus ad eam cognitionem perveniſſe Libro III. Cap. III. IV. V. VI. IX. & X. Mox oſtenditur quam proclive fuerit eam opinionem ex Ebraica doctrina deducere Libro IV. Cap. I. II. III. IV. Quibus omnibus praeſtructis, & vera huiuſmodi decreti origine deprehenſa, ad alia deſcendimus, & pluribus de voce* λόγος *diſſertamus. Quaeritur inprimis unde eam Scriptor libri, cui* Sapientia *titulus eſt, & Alexandrinus Philo derivaverint, & quomodo Latine*

apud

Digitized by Google

apud eos vertenda ſit, Sermo *ne*, *ſcilicet*, *an* Ratio *Lib. IV. Cap. III. IV. V. VI. VII. VIII. Heinc ad Iohannis Evangeliſtae* λόγον *tranſimus*, *&* *quomodo Latine id vocabuli apud eum interpretandum ſit inquirimus multa de Chriſti divinitate commentati: ex Philone autem a ſacro Scriptore petitum non fuiſſe multifariam & luculenter oſtendimus Libro V. Poſtremum de mundi Anima Libro VI. diſſerimus*, *&* *an haec opinio ex Iudaicis placitis deduci potuerit*, *expendimus; quod quidem examen cunctas Adverſariorum difficultates evertit*, *&* *noſtrum commentarium abſolvit*.

Atque iſta quidem omnia quum anno MDCCXXX. & ſequenti in Galliis verſarer, *religionis & veritatis amore perculſus*, *literarum monumentis commendabam*. *Non enim varia longi itineris incommoda*, *aut ignotus peregrinae regionis habitus*, *aut diverſi gentis mores & inſtituta*, *impedimento eſſe potuere*, *quin tractim in ea ſtudia*, *ad quae toto impetu feror ac pondere*, *non ſpernenda forte ſedulitate incubuerim*. *Quantum autem operis & laboris his elucubrandis impenderim*, *facile intelliget*, *quiſquis Auctorum copiam*, *ex quibus ea conlegi*, *& quibus opportune laudatis eadem pro mea ingenuitate accepta paſſim fero*, *animadvertet*. *Nihil enim mihi fuit antiquius quam nihil aliis clam ſubreptum mihi vindicare*; *magna ſiquidem mea gloriatio eſt profiteri*, *per quos profecerim*. *Altius animo inſedit ille Magni Baſilii monitus* Μανθάνειν δὲ ἀνεπαισχύντως, καὶ διδάσκειν ἀνεπιφθόνως, καὶ ἔιτι παρ' ἑτέρου δεδίδακται, μὴ ἐπικρύπτειν ὥσπερ αἱ φαῦλαι τῶν γυναικῶν. αἱ τὰ νόθα ὑποβαλλόμεναι, ἀλλὰ κηρύσσειν εὐγνωμόνως τὸν πατέρα τοῦ λόγου. Neque vero ad diſcendum verecundum eſſe oportet, nec ad docendum malignum, quodque ab alio didiceris nequaquam clam habendum, cuiuſmodi facere mulieres improbae ſolent, quae ex aliis ipſae quaeſitos liberos viris ſuis tollendos ſubiiciunt, patrem ementientes, auctorem vero ipſum prodere grata commemoratione decet, verumque ipſius ſcientiae parentem. *Iſthuc ipſum Nepotiano laudi vertebat Hieronymus*: *Conſuerat enim*, *inquit*,

quit, ingenuo pudore, qui ornabat aetatem, quid cuius eſſet, ſimpliciter confiteri, atque in hunc modum, eruditionis gloriam declinando, eruditiſſimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt. Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt loquutus Arnobius. Me quoque, quia pro ſodalitate avunculi diligebat, interdum proferebat in medium, lectioneque aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti. *Atque ita quidem ille.*

Quaecumque autem hocce commentario, Religionis tantum gratia, ut diximus [quidquid nuper in contrarium impuriſſimus nebulo per ſummam calumniam obganniret] elaborata continentur, tum demum firma & rata eſſe volo, quum ab Eccleſiae Antiſtitibus, aut Antiſtitum Antiſtite Romano Pontifice, quibus curae eſt Chriſtianae Sapientiae conſulta ſarta & tecta, ut aiunt, atque inviolata ſervare, divinis arcanarum literarum oraculis, Sanctorum Patrum documentis, & Eccleſiaſticae traditioni minime repugnantia deprehenſa fuerint: ſin minus, infecta omnia, indictaque eſſe velim.

CA-

Digitized by Google

C A T A L O G V S

Auctorum, qui in hoc Opere laudantur.

A

ABenephi
Acta Martyrii Sancti Ignatii
Aelianus
Aeneas Gazaeus
Aethlius
Africanus
Agatharchides
Agathias Scholaſticus
Alcimus
Alcmaeon
Alexander. Natalis
Alexander Polyhiſtor
Alexis Comicus
Allixius. Petrus
Altercatio Iaſonis & Papiſci
S. Ambroſius
Amelius
Anacharſis
Anatolius
Anaxagoras
Anaximander
Anonymus apud Suidam
Antigonus Caryſtius
Antiochus
Antiphon
Apion
Apollodorus
Apollonius Rhodius
Appianus
Apuleius
Aquila
Aratus
Arcerius. Ioh.
Archytas
Argonautica
Ariphanes
Ariſteas
Ariſtides
Ariſtobulus
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Ariſtoxenus
Arnaldus Abbas Bonaevallis
Arrianus
Artapanus
S. Athanaſius
Athenaeus
Athenagoras
Athenodorus
Auctor libri de Mundo
Auctor Operis imperfecti
Auctor Quaeſtionum V. & N. T.
S. Auguſtinus
Aurea Carmina
Aureolus. Petrus
Automedon
R. Azarias

B

BAelus
S. Barnabas
Baronius
Bartoloccius
Baruchus
Baſnagius. Samuel
Bellarminus. Robertus
Beroſus
Buchartus. Samuel
Bodinus
Boetius
Bollandus
Boſſuetus. Iac. Benignus
Budaeus. Gulielmus
Bullus. Georgius
Burnettus
Buxtorfius

C

CAllimachus
Calmetius
Camero
Capellus. Iacobus
Capellus. Ludovicus
Caſtalio
Caſtor Chronographus
Catullus
Caveus. Villelmus
Celſus Epicureus
Cenſorinus
Chaeremon
Chalcidius
Chiſull. Edmundus
Choerilus
Chryſippus
Cleanthes
Clearchus
S. Clemens Alexandrinus
S. Clemens Romanus
Cleodemus
Clericus. Iohannes
Comon
Compendium Doctr. Chaldaicae
Conſtantinus Auguſtus
Conſtantinus Manaſſes
Cornelius Celſus
Cotelerius. Io: Baptiſta
Cozri liber
Critodemus
S. Cyprianus
S. Cyrillus Alexandrinus

D

DAcerius. Andreas
Daniel Propheta
Daubuzus. Carolus
David Propheta

De-

Demetrius Phalereus
Democritus
Deſcriptio Olympiadum
Dickinſonus. Edmundus
Didymus Alexandrinus
Diogenes. Antonius
Diogenes Laërtius
Diodorus Siculus
Dion Caſſius
Dionyſius Alexandrinus
Dionyſius Halicarnaſſeus
Dionyſius Longinus
Dionyſius Periegetes
Dius
Dodvvellus. Henr.
Dorotheus
Druſius. Iohannes
Dufreſnius. Carolus
Du Pinus. Elias

E

Elias Cretenſis
Engedinus
Ennius
Epicharmus
Epicurus
Epigenes
S. Epiphanius Salaminius
Epiphanius Scholaſtichus
Epochae Graecorum
Eſaias
Eſdras
Eſtherae liber
Eudemus Rhodius
Eudoxus
Evemerus
Eunapius
Eupolemus
Euripides
Euſebius Caeſarienſis
Euſtathius
Euthymius
Eutychius
Ezechiel Propheta

F

Fabricius. Ioh. Albertus
Fagius
Falconerius. Octavius
Fauſtus Regienſis
Fullerus

G

Galenus
Gellius
Gemara
Gemiſtus Pletho
Gennadius Conſtantinopolitanus
Graveſonius. Hyacinthus
Gregoras
S. Gregorius Magnus
S. Gregorius Nyſſenus
Grotius. Hugo

H

Hammondus
Hecataeus
Hegeſippus
Heinſius
Hellanicus
Heraclitus
Hermias
Hermippus
Hermodorus
Hermogenes
Herodotus
Heſiodus
Heſtiaeus
Heſychius Illuſtris
S. Hieronymus
S. Hilarius Pictavienſis
Hodius. Humfridus
Homerus
Horatius
Hornius. Georgius
Huetius Petr. Daniel
S. Hyppolitus
Hypſicrates

I

S. Iacobus Apoſtolus
Iamblichus
Iaſon Cyrenaeus
Ieremias
Ieſus Siracides
S. Ignatius Martyr
Iohannes Caſſianus
S. Iohan. Chryſoſtomus
S. Iohan. Damaſcenus
S. Iohan. Evangeliſta
Iohannes Monachus
Iohannes Philoponus
Iobi liber
Ionathanus
Ionſius. Iohannes
Ioſephus Flavius
Joſue
S. Irenaeus
Iſaacus Aramaeus
Iſidorus
Iſidorus Peluſiota
Iudith liber
Iulianus Auguſtus
Iulius Caeſar
Iuſtinianus Auguſtus
Iuſtinus Hiſtoricus
S. Iuſtinus Martyr
Iuſtus Lipſius
Iuſtus Tibérienſis
Iuvenalis

K

Kirkerus. Athanaſius

L

Lactantius Firmianus
Lamius. Bernardus
Lambecius. Petrus
Lamprias
Leander
Lengletius
Liber Sapientiae
Liber Tobiae
Liberatus

Li-

Libri Machabaeorum
Libri Regum
Lightfootius
Linus Poëta
Livius
Lomeierus. Iohannes
Lucanus
S. Lucas
Lucianus
Lucius Ampelius
Lucretius
Lupus. Chriſtianus

M

Macrobius
Mafeius
Maimonides
Manetho
Manilius
S. Marcus
M. Aurelius Auguſtus
Marshamus. Iohannes
Marſilius Ficinus
Martialis
Martianaeus
Maſius
S. Matthaeus
Maximus Tyrius
Megaſthenes
Menagius. Aegidius
Menander
Menardus. H.
Metrodorus
Michael Glycas
Minucius Felix
Mnaſeas
Mochus
Molo
Moſes
R. Moſes Ben-Nacman
Moſes Gerundenſis
Myrſilus

N

Neanthes
Nemeſius
Nevvtonus. Iſaacus
Nicephorus
Nicetas
Nicolaus Damaſcenus
Nicomachus
Nigidius
Nonius Marcellus
Noriſius. Henricus
Novatianus
Nourrius. Nicolaus
Numenius

O

Ocellus Lucanus
Olearius. Gotfridus
Olympiodorus
Onkeloſus
Origenes
Orpheus
Oſee
Ovidius

P

Pamelius
Paralipomena
Parmenides
Patricius. Franciſcus.
S. Paulus Apoſtolus
Paulus Oroſius
Pauſanias
Pearſonius
Perizonius
Petavius. Dionyſius
S. Petrus Apoſtolus
Petrus Lombardus
Pezronius. Paulus
Phavorinus
Pherecydes
S Philaſtrius
Philo Byblius
Philo Herennius
Philo Iudaeus
Philo Pythagoreus
Philochorus
Philoſtratus
Photius
Phurnutus
Plato
Plautus
Plinius Iunior
Plinius Secundus
Plotinus
Plutarchus
Polemo
Polybius
Polychronius
Pompeius Trogus
Pomponius Iuriſconſultus
Pomponius Mela
Porphyrius
Poſidonius
Praedicatio Petri
Prideaux. Humfridus
Priſcianus
Probus
Proclus
Prudentius
Pſellus
Ptolemaeus
Ptolemaeus Mendeſius

R

Raimundus Lullus
Remnius
Rittangelius. Stephanus
Rutilius

S

Salmaſius. Claudius
Salomon
R. Salomon Iarchi
R. Samuel
Sanchuniaton
Satyrus
Scaliger. Ioſephus
Scholiaſtes Apollonii Rhodii
Scholiaſtes Germanici
Scholiaſtes Iuvenalis
Scotus. Iohannes
Scriptor Thebaicorum
Seldenus. Iohannes
Seneca
Seneca Tragicus

Digitized by Google

Septuaginta Interpretes
Serranus . Iohannes
Servius
Severianus Gabalorum Epiſcopus
Severus Sulpitius
Silius Italicus
Simonius. Richardus
Simplicius
Socinus. Laelius
Socrates Hiſtoricus
Solinus
Sophocles
Sotion
Spencerus. Iohannes
Stephanus Byzantinus
S. Stephanus Diaconus
Stephanus. Henricus
Stanleius Thomas
Statius Papinius
Stillingfleettus. Eduardus
Stobaeus
Strabo
Suetonius
Suidas
Symmachus
Symmachus Interpres
Symphoſius
Synhodus Conſtantinopolitana II.
Syncellus

T

Tacitus
Talmud
Tatianus
Tertullianus
Thalus
Theo Smyrnaeus
Theodoretus
Theodorus Mopſueſtenus
Theodotio
Theodotus Phoenix
Theognoſtus
Theophylactus
Theophilus
Theophilus Antiochenus
Theophraſtus
Theopompus
Thomas Aquinas
Thomas Magiſter
Thomaſſinus. Ludovicus
Thucydides
Tibullus
Timaeus
Timagenes
Timochares
Timon
Timotheus Chronograph.
Tzetzes. Iohannes

V

Valerius Maximus
Valeſius. Henricus
Valla. Laurentius
Valtonus
Vander-Weyen
Varro
Vatablus
Victor Petavienſis
Virgilius
Vitalius. Hieronymus
Vitruvius
Vockerodtus. G.
Voſſius. Ger. Ioh:
Voſſius. Iſaacus
Vſſerius. Iacobus
Vulcanius. Bonav.

X

Xanthus Lydius
Xenophon
Xiphilinus

Z

Zacharias Propheta
Zoar liber
Zopyrion
Zoroaſtres Magus

AD-

ADPROBATIONES.

ADmodum Rev. Lucas Ioſeph Cerracchini S. Th. D. videat hunc librum, cui titulus: *De Recta Chriſtianorum in eo, quod Myſterium Divinae Trinitatis adtinet, ſententia*, & utrum praelo dari poſſit referat. Datum ex Archiepiſcopali Palatio die 17. Novembris 1732.

Horatius Mazzei Vic. Gen.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine.

Eruditiſſimi Viri Ioh: Lamii opus omnigenâ refertum eruditione, omnibuſque numeris abſolutum, cui titulus: *De recta Chriſtianorum in eo, quod Myſterium Divinae Trinitatis adtinet, ſententia*: cenſorio obtemperavî percurrere calamo. At nihil in eo, vel minimum, quod ſanctitati orthodoxae Fidei, morumque candori adverſetur inveni. Ideo praelo dandum cenſeo V. Kal. Decembris anno ab Orbe redempto MDCCXXXII.
Dominationis tuae Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Humillimus
Lucas Ioſeph Cerracchinius S. Th. D.

Adtenta ſupra dicta relatione imprimatur.

Horatius Mazzei Vic. Gen.

Die 1. Decembris 1732.

DIgnetur admodum Reverendus Pat. Magiſter Carolus Philippus Berta Ordinis Praedicatorum, conſiderare hunc Librum, cui titulus: *De recta Chriſtianorum in eo, quod Myſterium Divinae Trinitatis adtinet ſententia*, & referat, an permitti poſſit.

Fr. Paulus Antonius Ambroſi Inquiſit. Gener. S. Off. Florentiae.

Quod de Ario Divinam adverſus Trinitatem oblatrante Athanaſianae doctrinae gladio iugulato antiquus cecinit Auctor Cod. Baſ. Operum S. Ath.

Αρειε, σίγα, τὴν σιγὴν κατεκρίθης	*Ari tace, qui ſilentio damnatus es*
Αθανασίου τοῦ σοφοῦ κεκραγότος,	*Athanaſio docto loquente,*
Φλήναφε, παμβέβηλε, κακίας πλῆθε,	*Inepte blatero, putide, nequitia ſcatens,*
Γέρον σοφιστὰ τῶν σατὰν σοφισμάτων	*Sophiſta vetule Satanicorum dogmatum*
Κρύφθητι λοιπὸν αἰσχύνης πολλῆς γέμων.	*Deliteſce tandem multo pudore confuſus.*

Hoc

Hoc ego de Iohanne Clerico de eadem Trinitate impie ſentiente Cl. Doctoris Iohannis Lamii ſcriptis proſtrato perlibenter canerem. Ipſum ſiquidem male feriatum hominem, non unam ſemper Orthodoxorum de Divina Trinitate opinionem fuiſſe obgannientem, praelaudatus Doctor data duobus abhinc annis omni numero perfecta diſſertatione, tanta Conciliorum, Patrum, argumentorumve copia retudit, ut nulla illi adripiendi fugam via pateret. Cum profligato iam hoſte iterum arma confert vir omni literatura ornatus in hacce diſſertatione. Quam, cum iuſſu Reverendiſſimi P. Magiſtri Pauli Antonii Ambroſi contra Haereticam pravitatem Generalis Inquiſitoris evolverem, nedum inoffenſo pede citra ullum fidei, vel morum periculum percurri, ſed hominem omni pietate, omni Religionis zelo, omnique eruditione inſignitum ſuſpexi, ac impenſe mihi gratulari coepi, nactam fuiſſe Catholicam Fidem tam ſtrenuum defenſorem, Rempublicam Literariam tam egregium ornamentum, & decus. Hinc eruditiſſimum hoc opus Eccleſiae Catholicae perutile, doctis pergratum, omnibus profuturum, proelo digniſſimum cenſeo.

Dabam Florentiae ad Sanctum Marcum die 9. Decembris MDCCXXXII.

F. Carolus Philippus Berta Ord. Praedic.
In iiſdem aedibus Sacrorum Dogmatum Lector.

Conſiderata ſupradicta relatione imprimatur.

Fr. Paulus Antonius Ambroſi Inquiſit. Generalis S. Off. Florentiae.

Imprimatur.

Philippus Bonarota S. R. Celſ. Auditor.

DE

Digitized by Google

DE RECTA CHRISTIANORVM IN EO QVOD MYSTERIVM DIVINAE TRINITATIS ADTINET SENTENTIA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Aegypti laudes.

AEGYPTVM regionum omnium apud Veteres exſtitiſſe celeberrimam, exploratae fidei eſt. Sive enim coeli temperiem, & ſoli uber; ſive admiranda Nili fluminis ſtatis temporibus exundantis incrementa; ſive iactatam antiquitatem gentis incredibilem; ſive eiuſdem ſolertiam, & in omni doctrinarum genere eruditionem; ſive arcanae religionis ſapientiam, & inſueta aliis caeremoniarum, & rituum inſtituta, fama perſonaret, ſemper habuere mortales, cur tractum illum terrarum florentiſſimum ſuſpicerent, atque praedicarent. Memoratis etiam dotibus praerogativa ſitus accedebat. Aſiae enim Africaeque mediam

Digitized by Google

cum Europa quoque expeditae faciliſque navigationis commercia coniungunt. Heinc notiſſima, & omnium fere gentium peregrinationibus patens atque obvia, undique ad ſe confluentes populos capaci ſinu foecundiſſima frugum generatrix excipiebat. Mihi tamen in praeſentiarum curae non eſt niſi quae frequentia & aſſidua cum duabus nationibus nobiliſſimis, Iudaeis ſcilicet & Graecis, commercia & conſuetudinem habuit, diligenti commemoratione percurrere: id enim ſatis fore arbitror, ut eorum, quae mihi iuſti voluminis decurſu diſſerenda atque inluſtranda propoſui, firmiſſima fundamenta ſcite ac mature praeieciſſe videri poſſim.

C A P V T II.

Abrahami in Aegyptum profectio; eius laudes; Aſtronomiae, & Literarum antiquitas.

ABrahamus igitur, a quo Iudaei originem ducunt, Dei iuſſu e terra Chaldaeorum egreſſus, fame cogente in Aegyptum anno Periodi Iulianae MMDCCXCIII. penetravit, ut e XXII. *Geneſeos* capite compertum habemus. Hunc virum iuſtum, & ſapientem, & rerum coeleſtium peritiſſimum fuiſſe ſcriptores plurimi apud *Ioſephum*, & *Caeſarienſem Euſebium* memoriae prodiderunt. Illum enim his titulis commendant *Beroſus* Abrahami popularis, etſi eum non nominat, *Eupolemus*, *Alexander Polyhiſtor*, *Artapanus*, *&* *Molo* in libris, quos adverſus Iudaeos exaraſſe perhibetur; *Philo* item Libro *de Gigantibus*, & Libro *de Abrahamo*. Paria etiam de eodem ſcripſiſſe *Hecataeum* Abderitam, qui librum Iudaicae Hiſtoriae concinnavit, multa de Abrahamo commentatus, veriſimillimum eſt.

Non me quidem fugit a doctis eruditiſque viris varie excipi adverſus fidem plerorumque Scriptorum, qui de Iudaeis antiquitus aliqua cum laude loquuti ſunt. *Hecataei* vero potiſſimum, quum *Origenes Lib. I. contra Celſum* adducat iudicium Herennii Philonis dubitantis, an liber Hecataei nomine inſcriptus, & Iudaicam Hiſtoriam complectens, vere

re

re foetus illius cenſendus ſit. Eo, ut huius voluminis auctoritatem elevent, maxime innituntur *Ioſeph. Scaliger*, & *Richard. Simonius Lib. II. Hiſtor. Critic. Vet. Teſtam. cap.* 11. qui etiam addit *Ariſteam*, *Hecataeum*, *Clearchum*, & alios veteres quoſdam Scriptores, ita de Iudaeis, rebuſque eorum geſtis locutos eſſe, ut facile quis animum inducat credere eiuſmodi libros a Iudaeis Helleniſtis fuiſſe confictos, vel paſſim ab iiſdem multa admiſcendo interpolatos. Sed ex *Herennii Philonis* judicio *Hecataei* librum a Iudaeis Helleniſtis fuiſſe ſuppoſitum manifeſte non deduci obſervat eruditiſſimus *Ger. Ioh. Voſſius Libro I. De Hiſtoricis Graecis cap.* x. Generalis autem *Simonii* κρίσις non ſtatim recipienda eſt: nam ſi pluria, & eadem valida ſuppetant argumenta, quibus falſam libri inſcriptionem, & titulum probabiliter oſtendere ſit, ut exempli cauſa de Ariſteae libro fatendum videtur, quamquam non deſunt viri longe doctiſſimi qui reclament, tunc huiuſmodi iudicio adquieſcendum eſt. Sin vero levi de cauſa, vel futili coniectura ductus, ut ea quidem eſt, quam *Simonius* innuit, contendat quis antiquis ſcriptoribus fidem abrogare, ab huiuſmodi ſententia provocandum eſt, & antevertendum periculum ne tota antiquitas ad cuiuſque libidinem ſolicitata funditus miſceatur.

Quid quod ſcriptores illi nonniſi admodum probabilia narrant? *Abrahami* iuſtitia & ſapientia divinarum etiam literarum teſtimonio celebris eſt: eumdem autem Aſtronomiae peritum fuiſſe, & coeleſtibus converſionibus obſervandis addictum, genus & patria fortaſſe perſuadeant. Quem enim lateat Chaldaeorum gentem ſtudiis fuiſſe huiuſmodi deditam, & omnes ſiderum motus & numeros ab antiquiſſimis temporibus inveſtigaſſe diligenter, tanta luculentiſſimorum teſtimoniorum copia circumfuſum? Quare videtur communis fere omnibus, qui honeſte educarentur, aſtrorum ſcientia in ea regione fuiſſe, quemadmodum humanarum literarum, & Philoſophiae apud nos ſtudium. De Aegyptiis certe, qui non magis quam Chaldaei in eam diſciplinam incubuere, id diſerte teſtatur Siculus *Diodorus* eorum voluminum, quae *Bibliothecam* inſcripſit, I. Sed & illud argumento eſſe poteſt,

Digitized by Google

quod Chaldaeorum, gentis quidem, vocabulum, in artis nomen tranſierit, ita ut idem eſſet apud antiquos Chaldaeum dicere, ac Aſtrologum ſeu Mathematicum, ut videre eſt apud laudatum *Diodorum Lib. I. Biblioth. Ciceronem Lib. I. De Divinatione, A. Gellium Lib. I. cap.* IX. *& Lib. XIIII. cap.* I. Quare *Iuvenalis* Satyra VI.

Chaldaeis ſed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Aſtrologus, credent a fonte relatum
Ammonis.

Cenſet inſuper *H. Dodvvellus in Append. ad Diſſert. Cypr.* §. 24. Conlegium Aſtronomorum publicum Babylone fuiſſe, idque ex Daniele conligit; quod oſtendit quanti ea ſcientia a Chaldaeis penderetur, adeoque quanto niſu in illam ſemper incubuerint. *Abrahamum* autem & honeſtis parentibus ortum, & divitem locupletemque fuiſſe *Moſis* ſcripta ſatis indicant, *Geneſeos cap.* XIII. Immo quum exploratum ſit eius parentem idololatram fuiſſe, quod ex *Ioſue cap.* XXIV. elucet, proclive eſt opinari, eo facilius filium gentis ſuae ſtudiis imbuendum curaviſſe: quamquam quod *Philo* libro *de Nobilitate* teſtatur, Therachum videlicet Abrahami patrem Aſtronomiae, & Mathematicarum diſciplinarum peritum fuiſſe, rem extra omnem dubitationis aleam, modo vera ille narret, conſtituere videtur.

Nunquam tamen Abrahamum cum quibuſdam, ut *Eupolemo, & Alexandro Polyhiſtore*, Aſtrologiae repertorem dixerim: nam & ante illius aetatem homines ſiderum, coeleſtiumque motuum obſervationibus vacaſſe, & *Ioſephus* ipſe *Lib. I.* Ἀρχαιολογ. *cap.* IV. ingenue fatetur; & certa veterum, quae aetatem tulerunt, monumenta fortaſſe indicent. *Simplicius* enim *Commentar. in Lib. II. Ariſtotelis de Coelo* ſcribit ex Porphyrio, quum Babylon ab Alexandro Magno capta fuiſſet, quod anno Periodi Iulianae MMMMCCCLXXXIII. contigit, Aſtronomicas obſervationes per nongentorum & trium ſupra mille annorum tractum uſque ad ea tempora deductas, in ea urbe repertas, & in Graeciam a Calliſthene miſſas fuiſſe: quare conſtaret earum initium a diluvii prope aetate defluere, ab anno videlicet Periodi Iulianae MMCCCCLXXX. Dilu-

vium

Digitized by Google

vium enim ſub exitum anni MMCCCLXV. contigiſſe veroſimile eſt. *Simplicii* tamen *Porphyriive* teſtimonio obſtare videtur, ab *Epigene*, *Beroſo*, & *Critodemo* brevius anguſtiuſque temporis ſpatium memoratis obſervationibus tribui, ut videre eſt apud *Plinium L. VII. cap.* LVI. Aliis etiam praeſcriptionibus id obnoxium deprehenditur, easque videre eſt apud *Th. Stanleium Hiſt. Philoſ. Orient. L. I. Sect.* 1. *cap.* 1. Eo proclivius igitur protenſam earumdem per quadringenta & ſeptuaginta annorum millia, quae apud *M. Tull. Lib. I. de Divinatione* memoratur, antiquitatem inridemus: eoque magis illam, cuius laudatus Peripateticus meminit, quaeque apud eoſdem Babylonios coeleſtes per CXLIII. annorum myriadas ſcriptas obſervationes continet: etſi gens ipſa Babylonica antiquitatis nomine celebrata inprimis fuerit, ut ex *Ieremiae cap.* V. evidenter elucet.

Et heic opportune literarum antiquitatem animadvertere eſt, quibus quidem & ante diluvium homines eſſe uſos, *Plinio Lib. VII. cap.* LVI. prope adſentiens, qui aeternum ſcribendi uſum eſſe cenſuit, nullus dubito: quamvis & *Enochi* librum ἀπόκρυφον eſſe fateamur, & inſcriptas *Ioſephi* columnas, non facile recipere eſſet; ut nihil dicam de *Adami*, & *Abelis*, & id genus voluminibus, quos Recutitorum Magiſtri ſomniant. Quod ſi *Epiphanio* fides habenda eſſet, *Zoroaſter* Chaldaeus vel Aſſyrius, artium, & doctrinarum apud Chaldaeos inventor, Nemrodi tempore floruit, anno ſcilicet Periodi Iulianae MMCCCCLXVII. quando ratio habenda non eſt opinionis *Eudoxi*, & *Hermippi* apud *Plinium Lib. XXX. cap.* 1. *Hermodori* Platonici, *Plutarchi*, & hos ſecuti *Gemiſti Plethonis*, qui eum in fabuloſam omnino antiquitatem reiiciunt: & miſſos facimus *Didymum* Alexandrinum, *Agathiam* Scholaſticum, *Abenephi*, & Annianum *Pſeudo-Beroſum*, qui eumdem cum Chamo Noachi F. eſſe cenſent. Perhibent autem, ut *Plinius* loco citato tradit, Chaldaeum Zoroaſtrem vicies centena millia verſuum ſcripſiſſe, quos indicibus & commentariis *Hermippus* inluſtraverat. Quod quidem omne *Simplicii* adſertionem, & opinionem noſtram ad miraculum confirmaret: ſed verius eſt (*Anonymi* etiam apud Suidam, qui eum quingentis tantum ante excidium Troianum annis vixiſſe alicubi ait, &

Euſebii Caeſarienſis, qui Semiramidi Nini uxori illum aequalem facit, auctoritate poſthabita) memoratum *Zoroaſtrem* anno Periodi Iulianae MMMDCXXXIV. claruiſſe, quod *Xanthus* quidem *Lydus* apud *Laërtium Lib. I.* literarum monumentis conſignavit. Sed de literarum origine, & antiquitate videndus eſt vir doctiſſimus *Valtonus Prolegomenis in Biblia Polyglotta*.

Quibus autem inſtrumentis mortalium antiquiſſimi ad ſcriptionem uterentur ex inſigni *Iobi* loco, qui cap. XIX. habetur, conligere eſt. *Quis mihi tribuat*, inquit, *ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Conſulendus *Calmetius* Diſſertatione *De forma antiquorum librorum, diverſiſque ſcribendi rationibus*.

CAPVT III.

Literarum & Aſtronomiae apud Aegyptios antiquitas.

SI minus ea aetate Aegyptii literas noviſſent, *Abrahamus* forſitan nonnullam earum notitiam & uſum illis tradere potuiſſet: potuiſſet etiam ſiderum ſcientiam eoſdem docere, ſi nondum apud illos exſtitiſſet. Sed non ita de Aegyptiis ſentiendum eſſe videtur. Quin ſi vera ſunt quae Aegyptiorum Sacerdotes Soloni de ſuorum monumentorum antiquitate prodiderunt, eam ſcilicet, *Platone* teſte in *Timaeo*, per novem annorum millia protendi, literarum uſum apud illos & ante Abrahami tempora fuiſſe non eſt dubitandum. Nec ſacris literis tantum annorum numerum adverſari quis cenſeat. Principio enim Aegyptiorum anni menſtruo ſpatio terminabantur, ut *Eudoxus* apud *Proclum in Timaeum Lib. I.* & *Varro* apud *Lactantium Lib. II. Divin. Inſtit. cap.* XIII. & *Plutarchus in Numa*, & *Plinius Lib. VII. cap.* XLVIII. auctores ſunt. Quare *Lucanus Lib. VIII. Pharſaliae* de Achoreo loquens ait:

. . . . . *illo cultore Deorum*
Luſtra ſuae Phoebes non unus vixerat Apis.

Poſtea vero quatuor menſium curſus illos explebat, ſi *Diodoro Siculo*, *Plutarcho*, *Solino*, *Auguſtino*, aliiſque fides haben-

benda eſt. Quin & bimeſtris annus apud eos aliquando fuit, ut *Cenſorinus De Die Natali cap.* XIX. notavit.

Ingenuitatem tamen noſtram dedecet indictum praeterire, id, quod de Aegyptiorum annis a profanis Scriptoribus literis mandatum eſt, variis difficultatibus obnoxium deprehendi. Moſis enim aetate, qui forte vixit ante Regem Piſonem, quem *Cenſorinus* dicit primum annum quadrimeſtrem feciſſe, quum antea bimeſtris fuiſſet, Aegyptiorum annum duodecim menſibus conſtitiſſe vero eſt quam ſimillimum, ut advertit *Calmetius Præfatione in Geneſim, De Chronologia Aegyptiorum*. Porro notant Eruditi tempore *Mercurii Triſmegiſti*, qui ſaeculo poſt Moſen claruiſſe perhibetur, annum apud Aegyptios trecentorum & ſexaginta dierum fuiſſe, eumque communi anno quinque dies addidiſſe, biſſextili autem ſex. *Herodotus* verò *Lib. II.* ſcribit mortalium omnium primos Aegyptios annum conſtituiſſe, eumque in duodecim menſes diſtribuiſſe; ſed eiuſmodi annum ipſa diluvii aetate in uſu fuiſſe fortaſſis indicat *Moſes cap.* VIII. *Geneſeos*. Adeundus *Auguſtinus Lib. XVI. de Civ. Dei cap.* XII. & XIV. Pondus difficultati addit *Macrobius*, qui *Lib. I. Saturnaliorum cap.* XII. ſcriptum reliquit: *Anni certus modus apud ſolos ſemper Aegyptios fuit*. Sed quum ea, quae Scriptores ſupra memorati adfirmant, ad tempora, quae Moſen & Mercurium longe praeceſſerunt, referri poſſint; non eſt cur nos poeniteat Aegyptiorum Sacerdotum Solonem adloquentium dicta, vera eſſe potuiſſe, clariſſimorum virorum veſtigiis inſiſtentes, leni, ac vero quidem non abſimili interpretatione demonſtraſſe, quidquid *Herodotus* & *Macrobius* adſeverent. Immo ſi vera ſunt ea, quae habet magnus *Auguſtinus Lib. XII. de Civ. Dei cap.* X. vera etiam eſſe, quae de quadrimeſtri Aegyptiorum anno veteres illi ſcripſere, non eſt ambigendum.

Sed ſi minus Aegyptii literarum uſum ante Abrahamum habuiſſent, certe ſerius ab *Iſide* illum accepiſſe nunquam crediderim. Quum enim *Iſin* illam, quae in Aegyptum fugit, non Inachi, ſed Iaſi filiam fuiſſe cum *Pauſania* iure merito exiſtimemus, eam nonniſi circa Moſis aetatem vixiſſe cognoſcimus. Immo ſi ad initium regni Argivorum, adeoque *Ina-*

chi imperium Moſis aevum redigendum eſt, ut eruditiores Critici contra *Euſebium*, & *Petavium*, alioſque pertendunt, *Iſin* illam Iaſi F. longe poſt Moſis tempora in Aegyptum veniſſe deprehendere eſt. *Iaſus* enim ſeptimus poſt Inachum regnavit, *Pauſania Corinth.* auctore. Quare ea, quae ſcribit *Auguſtinus Lib. XVIII. De Civ. Dei cap.* XXXVII. inventionem literarum apud Aegyptios Iſidi vindicans, minus ſubſiſtere videntur. Si vero quis velit cum recentioribus Eruditis *Iſin* Miſraimi, primi Aegyptiorum Regis, qui anno Periodi Iulianae MMDXXVIII. vivebat, & cum Rege Mene confunditur, uxorem fuiſſe, ſiquidem huic literarum apud Aegyptios adinventio tribui poteſt, & ipſe haud difficulter in hanc ſententiam pedibus iverim. Quis enim ſibi perſuadeat, quum certum & exploratum ſit Aegyptios Moſis aetate multiplicis ſapientiae laude celebres exſtitiſſe, unde Moſes *Stephano* Actorum *cap.* VII. omni Aegyptiorum ſapientia dicitur eruditus, quod & *Auguſtinus* loco citato animadvertebat, ſcriptionis illis per ea tempora defuiſſe notitiam? aut fuiſſe recens inventum, quo Moſes tam multa & ſublimia poſterorum memoriae tranſmittere adgreſſus eſt? Nec iis etiam adſentiri lubet, qui eumdem Moſen Ebraicarum literarum auctorem fuiſſe opinantur. Recte enim etiam *Auguſtinus Lib. XVIII. De Civ. Dei cap.* XXXIX. obſervat Ebraicas literas ante Moſen exſtitiſſe; & facere poſſunt quae diſſerit *Calmetius Praefatione in Pentateuchum*. Sed literarum apud Aegyptios antiquitatis argumentum fama illa eſſe poteſt & opinio, qua literarum ipſarum repertores habiti ſunt, *Diodoro Lib. I.* teſte aſſiduo. Non abludit quod *Tatianus* Aſſyrius in *Oratione* memoriae prodidit, ſcribendis ſcilicet hiſtoriis Aegyptiorum annales initium dediſſe. Nunquam igitur H. *Graveſonio*, viro alioquin docto, adſenſerim, ubi in *Hiſtor.* V. T. & *Tract. de Scriptura Sacra Par. I.* §. I. Moſen primum omnium gentium ſcriptorem fuiſſe adſeverare non dubitat, aliorum fidem nimia facilitate ſecutus.

Aſtronomia quoque coeleſtiumque converſionum ſcientia ante Abrahami aetatem Aegyptios excelluiſſe credibile eſt, quidquid aliter ſcripſerit Joſephus *Lib. I.* *Αρχαιολογ. cap.* IX. & *Eupolemus* apud Alexandrum Polyhiſtora tradat. Immo Aegyptios

Digitized by Google

ptios Aſtronomiae repertores fuiſſe, quibuſdam eſt adcreditum, auctore *Diodoro Lib. I.* qui pariter ab eis ad Chaldaeos ſideralem ſcientiam fuiſſe traductam, literarum monumentis commendavit. Non in alia ſe fuiſſe ſententia prodit *Lucianus* **περὶ Ἀςρολογίας**; vult tamen illam ad Aegyptios ab Aethiopibus tranſiiſſe, quos primos huius facultatis auctores fuiſſe arbitratur. Fortaſſis tamen eodem tempore Chaldaei in eam diſciplinam incumbere, atque Aegyptii, coepere. Chaldaeis enim Aegyptia origo, & illa antiquiſſima, utpote qui a *Chus* Chami F. propagati videntur, ut ex *Moſe* colligitur *Geneſ. cap.* x cui & *Diodorus* adſtipulatur, utut Magos, quorum diſciplinae a Chaldaeis profluxerant, Aegyptiis antiquiores ſit qui faciat apud *Laërtium in Prooemio*. A Chamo autem Aegyptios defluxiſſe viri doctiſſimi late demonſtravere, & inprimis vir multis nominibus ſuſpiciendus *Sam. Bochartus in Phaleg. Lib. I. cap.* 1. *Par.* 1. Immo *Hieronymus* in *Quaeſtionibus Ebraicis* de Chamo agens ita ſcribit: *Frequenter ſeptuaginta Interpretes, non valentes Het literam, quae duplicem adſpirationem ſonat, in Graecum ſermonem vertere, Chi Graecam literam addiderunt, ut nos docerent iſtiuſmodi vocabula adſpirari debere: unde & in praeſenti loco, Cham, tranſtulerunt, pro eo quod eſt Ham: a quo & Aegyptus uſque hodie Aegyptiorum lingua Ham dicitur*. Inſuper, quum *M. Tullius Lib. I de Divinatione* animadvertat Aſſyrios huic ſcientiae potiſſimum ſe addixiſſe, quod propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones, motuſque ſtellarum obſervaverint, & iis notatis, quid cuique ſignificaretur, memoriae prodiderint: eadem cauſſa Aegyptios ad Coeli aſtrorumque motus vel a primis temporibus obſervandos aeque impellere potuit; immo rem ita ſe habuiſſe ſatis indicat *Plato in Epinomide*. Iam non ſine magna ratione *Dionyſius Periegetes* de Aegyptiis loquens cecinit:

Πρῶτοι δὲ γραμμῇσι πόλον διεμετρήσαντο
Θυμῷ Φραζσόμενοι λοξὸν δρόμον ἠελίοιο
Primi vero lineis coelum demenſi ſunt
Animo contemplati obliquum curſum Solis.

CA-

CAPUT IV.

Abrahamus *& eius poſteri non procul ab Aegypto habitavere. Aegyptiorum*, Ioſephi *aetate, ſtudia & doctrinae quaedam.*

SI igitur *Abrahamus* rei Aſtronomicae peritus fuiſſet, potuiſſet grata Aegyptiis & iucunda habere conloquia; potuiſſet etiam heinc veriſimiliter cum gente religionibus adprime dedita de Deo, diviniſque rebus diſſerere, quod *Ioſephus Lib. I.* Αρχαιολογ. *cap.* IX. adſeveranter adfirmat. Nec ubi ille ex Aegypto receſſit, quod anno Periodi Iulianae MMDCCXCIV. contigiſſe deprehenditur, nimis procul ab eius finibus verſatus eſt. Nam in terra Chanaan & iuxta convallem Mambre habitavit, quum *Lothus* circa regionem Iordanis ſubſtitiſſet, ut ex *cap.* XIII. *Geneſeos* liquido conſtat, quamquam *Iacobus* deinceps alia etiam loca, non multo longius, incoluit, ut *Geneſeos cap.* XXIII. & XXV. & XXVI. videre eſt. Illius autem regionis homines commercia paſſim cum Aegyptiis habebant. Heinc mercatoribus Madianitis, quorum regio in deſerto Saracenorum parum ab Aegypto diſtat, de Galaad venientibus & aromata in Aegyptum deferentibus *Ioſephus* a fratribus venditus *Geneſ.* XXXVII. Heinc iidem Iacobi filii in Aegyptum ad frumenta in magna caritate comparanda deſcendentes, *Geneſ.* XLII. unde cauſſa illa poſtremum adeo famigerata, cur *Iacobus* cum filiis & univerſa familia in Aegyptum migraret, quod anno Periodi Iulianae MMMVIII. eveniſſe videtur. Sed commercia Ebraeorum cum Aegyptiis, & adfinitates, & foedera latius exſequemur inferius.

Aegyptios tum temporis ſomniorum conieſtationibus maxime deditos fuiſſe luculenter indicat *Moſes*, quum Aegypti Regem, ut ſui ſomnii interpretationem acciperet, omnes ſuae ditionis ſapientes convocaſſe perhibeat *Geneſ.* XLI. Fruſtra igitur ſunt qui ſomnia conieſtandi ſcientiam a *Ioſepho* primum inſtitutam eſſe contendunt, ut *Iuſtinus*, & eum ſecutus *Oroſius*. Rei quoque Medicae conſultos apud eamdem gentem

aetate

aetate illa fuiſſe laudatus Iudaeorum Legiſlator inſinuare videretur, niſi quod in Vulgata, *Geneſ. cap.* L. de Ioſepho patris cadaver curare ſatagente legitur: *Praecepitque ſervis ſuis medicis ut aromatibus condirent patrem*, de pollinctoribus proprie, & his, quibus cadavera gentis ritu condire curae erat, & de quibus *Herodotus*, & *Diodorus*, & *Athenagoras* agunt, intelligendum veniret: quare LXX. viri ubi in Vulgata habetur, *ſervis ſuis medicis*, vertunt: *τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς.* qui tamen Medici etiam eſſe eodem tempore potuere, ut notat quoque *Calmetius*. Et quidem nullus dubito quin & per ea tempora Aegyptii Medica facultate praecellerent, quum Iſin ferant, quam Miſrahimi uxorem faciunt, eiuſque filium *Toſorthrum*, qui anno Periodi Iulianae MMDCXXX. floruiſſe videtur, Medicinam inveniſſe & profeſſos eſſe, ut deinde a Graecis cum Apolline hic vel Æſculapio confuſus ſit, & Deus *Horus* habitus ab Aegyptiis, ut *Syncellus* ſcribit, & ex eo, Diodoro, aliiſque late *Marshamus Can. Chron. Saecul.* I. Iure igitur *Herodotus* Halicarnaſſeus Aegyptios medicinae conſultiſſimos fuiſſe *Lib. II. cap.* LXXIV. teſtatur, ante quem *Homerus Odyſſeae Lib. IV.* cecinerat.

> *Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα*
> *Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.*
> *Ἰητρὸς δ' ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων*
> *Ἀνθρώπων.*
> *Plurima fertilibus campis Aegyptia tellus*
> *Pharmaca fert, bona multa quidem commiſta, ſimulque*
> *Noxia multa: quoque eſt medicus vir quilibet, omnes*
> *Anteit atque homines docta clariſſimus arte.*

Sed de vetuſtate Medicinae apud Aegyptios conſulendus etiam *Calmetius Diſſert. De vet. Judaeor. Medicina, & Medicis.*

Digitized by Google

CAPUT V.

Iſraelitarum, qui in Aegyptum migravere, numerus & incrementum, religio & placita. De doctrina Chaldaica quaedam.

CUncta Iacobi domus, quum in Aegyptum migravit, quinque ſupra ſeptuaginta fuere, ut ſeptuaginta viri habent *Geneſ.* LXVI. & *Stephanus Actor.* VII. ut autem fons Ebraeus, & Vulgata, ſeptuaginta tantum, quod ſcribitur etiam a LXX. Interpretibus *Deuter. cap.* X. de quorum diſcrepantia, & quo foedere concilientur, videndus eruditiſſimus *Hieronymus Tradit. Ebraic. in Geneſim*, & *Aur. Auguſtinus Libro XVII. de Civit. Dei cap.* XL. In tantum autem genus excrevit, ut poſt ducentos, & quod excurrit, annos (niſi magis adridet id quod doctiſſimis viris *Perizonio*, & *Tourneminio*, aliiſque placet, quadringentos videlicet & triginta annos peregrinationis Iſraelitarum in Aegypto ſacris Eloquiis memoratos ab anno, quo *Ioſephus* calumnia circumventus a Putiphare in carcerem coniectus eſt, incepiſſe) quando ex Aegypto ut in Chananaeam terram reverterentur egreſſi ſunt, quod evenit anno Periodi Iulianae MMMCCXXIII. millia inter eos virorum ſexcenta cenſerentur, ut *Numerorum cap.* I. ſcribitur. Quare *Deuteron. cap.* X. legimus: *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Aegyptum, & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra coeli*. Et *Iudith cap.* V. *Deſcenderunt in Aegyptum, illheicque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt, ut dinumerari eorum non poſſet exercitus*.

Illorum religio & ſapientia, quum in Aegyptum deſcenderunt, fuit: Deum credere, qui rerum univerſitatem effecerit, eamque ſapientiſſime procuret; qui praeſens mortalibus interdum adpareat; victimis ſacrificiiſque placetur; Angelis imperiorum ſuorum miniſtris utatur; venturum olim quemdam divinitus miſſum, qui eſſet damna humano generi fraude daemonis inlata reparaturus. Hunc Dei filium, & verum Deum fore exiſtimaſſe non eſt dubitandum. Nam eſſe Deum quem-

quemdam, qui ſimul Angelus & Dei nuntius exſiſteret, perſpicue *Iacobus* indicat, dum *Geneſ. cap.* XLVIII. Ioſephi filiis moriturus bene precatur, & dicit: *Deus in cuius conſpectu ambulaverunt patres noſtri Abraham & Iſaac: Deus qui paſcit me a iuventute mea uſque in praeſentem diem: Angelus qui eruit me ab omnibus malis, benedicat pueris his.* Atque ita hunc locum interpretantur veteres Patres, & iure quidem: conſtat enim moris fuiſſe apud Iudaeos Deum quemdam, ſeu divinam quamdam Hypoſtaſin, Deum & Angelum indiſcriminatim adpellare. Id aperte liquet vel ex *Philone*, qui τὸν θεῖον λόγον, Angelum vocat in *Allegoriis, & Libro De Cherubim:* Archangelum vero *Libro De Haerede divinorum bonorum*, & *Libro De confuſione linguarum*. Idem & Angelus & יהוה dicitur R. *Samueli* in *Mecor Chaim*. Sed inſignis eſt locus *Moſis* Nachmanni F. cuius verba ſic tranſtulit doctiſſimus *Maſius* ad Ioſue *cap.* V. *Iſte Angelus*, inquit, *ſi rem ipſam dicamus, eſt Angelus redemtor, de quo ſcriptum eſt: quoniam nomen meum in ipſo eſt. Ille inquam Angelus qui ad Iacob dicebat: Ego Deus Bethel. Ille de quo dictum eſt: & vocabat Moſen Deus de rubo: vocatur autem Angelus quia mundum gubernat: ſcriptum eſt enim: Eduxit nos Iehova [ideſt, Dominus Deus] ex Aegypto. Praeterea ſcriptum eſt: Et Angelus faciei eius ſalvos fecit ipſos: nimirum ille Angelus qui eſt* DEI FACIES: *de quo dictum eſt: Facies mea praeibit, & efficiam ut quieſcas. Denique ille Angelus eſt, de quo vates: Et ſubito veniet ad templum ſuum Dominus, quem vos quaeritis, & Angelus foederis quem cupitis.* Sed Meſſiam verum Deum, & Dei Filium fore exiſtimaſſe Iudaeos vel ex uno Iſaia cap. IX. v. 6. patet, & ex iis quae a nobis diſputabuntur inferius, nec ἐν παρόδῳ profecto. Lubet hiſce adtexere verba viri doctiſſimi *Bern. Lamii* in *Adpar. Biblico Lib. I. cap.* X. ita diſſerentis: *Hanc fidem habuerunt quotquot exſtiterunt viri pii a conſtitutione mundi Chriſtum ſive Meſſiam verè filium Dei eſſe. In Evangelio, ubi Apoſtoli, & alii agnoſcunt Ieſum eſſe Meſſiam, ſimul ſalutant Filium Dei. Quum ipſi Iudaeorum principes interrogant Ieſum an ipſe eſſet Chriſtus, quaerunt ſi eſſet Filius Dei. Ipſe Diabolus ambigens quis eſſet, an vere Chriſtus:* Si tu es Filius Dei, dic ut iſti lapides panis

nis fiant. Haec ille. Adeatur ſi lubet Liber huius noſtri commentarii IV. cap. I. Quare & Divinam Trinitatem antiquis illis Iudaeis notam fuiſſe pro certo habendum eſt. Id vel ex Moſis narratione, qua *Geneſ. cap.* XVIII. & XIX. de tribus viris ab Abrahamo, & Lotho hoſpitio exceptis loquitur, perſpicuum eſſe videtur *τῷ πάνυ Auguſtino Lib. II. de Trinitat. cap.* X. XI. & XII. *Cyrillus* autem Alexandrinus Librorum, quos adverſus Iuliani Auguſti calumnias exaravit, I. & VIII. eam cognitionem omnibus Iudaeorum Patriarchis, & Prophetis, ut Iſaaco, Moyſi, Iſaiae, aliiſque vendicat, ſicut etiam *Epiphanius* Salaminius *Lib. I. adverſ. Haereſ. Tom.* I. Et mirum profecto eſſet, ſi Deus, qui toties ſanctos illos antiquitatis viros ſuis praeſentiis dignatus fuerat, & quamdam per ea tempora cum mortalibus hominibus familiaritatem inierat, quod *Chryſoſtomus* Homil. II. *in Geneſ.* & *Tertullianus De reſurrect. carnis* notabant, ſuae prorſus eos Divinitatis arcana caelaviſſet, quae tamen mortales perpetuo latere nolebat.

Heic autem mature conſiderandum eſt, quum nullus ſit ambigendi locus quin protoplaſtus Adamus multiplici & abſoluta, quatenus humana natura ferre poterat, ſapientia a Deo conditore donatus ſit, quod late aureo, quo manat, orationis flumine exſequitur *Ioh. Chryſoſt* Hom. XIV. *in Geneſ. Cyril. Alex. in Ev. Ioh. Petr. Lombardus Lib. II. Senten. Diſt.* XXIII. *D. Thom. I. I. Quaeſt.* XCIV. *art.* III. in dubium quoque revocari non poſſe, quin plena & perſpicua coeleſtium arcanorum, & Divinitatis cognitione praeditus fuerit, quamquam ab illo in ſtatu innocentiae Deum ipſum, divinamque eſſentiam viſam fuiſſe, fruſtra eſt dum pertendit *L. Thomaſſin. Tom. I. Theolog. dogm. L. VI. cap.* VI. Heinc a *Siracide cap.* XVII. de eo, eiuſque uxore ſcriptum eſt: Κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς ἄνθρωπον, καὶ πάλιν ἀπέστρεψεν αὐτὸν εἰς αὐτήν. ἡμέρας ἀριθμοῦ, καὶ καιρὸν ἔδωκεν αὐτῆς. καὶ αὐτοὺς ἐνέδυσεν αὐτοὺς ἰσχύϊ, καὶ κατ' εἰκόνα αὐτοῦ ἐποίησεν αὐτούς· καὶ ἔθηκε τὸν φόβον αὐτοῦ ἐπὶ πάσης σαρκὸς, καὶ κατακυριεύειν θηρίων, καὶ πετεινῶν. διαβούλιον, καὶ γλῶσσαν, καὶ ὀφθαλμοὺς, ὦτα, καὶ καρδίαν ἔδωκεν διανοεῖσθαι αὐτοῖς. ἐπιστήμη συνέσεως ἐνέπλησεν αὐτοὺς, καὶ ἀγαθὰ καὶ κακὰ ὑπέδειξεν αὐτοῖς, ἔθηκεν τὸν ὀφθαλμὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὰς καρδίας αὐτῶν, δεῖξαι αὐτοῖς τὸ μεγαλεῖον τῶν ἔργων αὐτοῦ, προσέθηκεν αὐτοῖς ἐπιστήμην καὶ

νόμον ζωῆς ἐκληροδότησεν αὐτοῖς, διαθήκην αἰῶνος ἔστησεν μετ' αὐτῶν, καὶ τὰ κρίματα αὐτοῦ ὑπέδειξεν αὐτοῖς. μεγαλεῖον δόξης εἶδον οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν, καὶ δόξαν φώνης αὐτῶν ἤκουσεν τὸ οὖς αὐτῶν. *Dominus creavit de terra hominem & iterum convertit illum in ipſam: numerum diei, & tempus dedit ipſis, ſecundum ſe veſtivit eos fortitudine, & ad imaginem ſuam fecit eos, & poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. Conſilium, & linguam, & oculos, aures, & cor dedit eis ad cogitandum: ſcientia intellectus replevit illos, & bona & mala oſtendit eis; poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, ut oſtenderet illis magnalia operum ſuorum. Addidit illis ſcientiam, & legem vitae ſorte illis diviſit. Teſtamentum aeternum conſtituit cum illis, & iudicia ſua oſtendit eis. Magnalia gloriae viderunt oculi eorum, & gloriam vocis audiit auris illorum*. Vulgata habet: *Magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum*. Qua auctoritate fretus *Ioh. Caſſianus Conlat. VIII. cap.* XXI. *In quem*, de Adamo loquens inquiebat, *tanta eſt non ſolum ſapientiae plenitudo, ſed etiam gratia prophetiae divina illa inſufflatione transfuſa, ut univerſis animantibus nomina rudis adhuc mundi huius habitator imponeret: ac non ſolum omnigenum beſtiarum atque ſerpentum furores viruſque diſcerneret; ſed etiam virtutes herbarum, arborum quoque, lapidumque naturas, ac temporum necdum expertorum viciſſitudines partiretur &c.* Qui igitur tanta ſcientia, & ſapientiae plenitudine, & prophetiae gratia repletus fuerat, quomodo in illa beata vitae innocentis atque integrae felicitate Divinae etiam Trinitatis Sacramentum non intellexerit? Sed intellexit ac cognovit profecto, quod ſcite etiam & adſeveranter adfirmat doctus *Epiphanius* loco ſupra laudato, eique adſtipulari videtur perſpicientiſſimus *Thomas I. I. Quaeſt.* XCIV. *art.* I. Et quidem quis habeat perſuaſum mortales, ſi minus Adamus Dei mandatum tranſgreſſus fuiſſet, deterioris futuros fuiſſe conditionis, quam poſt illius toti poſteritati exitiabilem inobedientiam, quum ſervator Chriſtus tanti criminis damna morte obita reparaviſſet, exſtiterint? Nec ſcelere quidem admiſſo primus ille humani generis parens, & ſi Dei amicitiam & inviolatam ani-

mi

mi caſtitatem amiſerit, ſcientiae quoque omnis & cognitionis iacturam feciſſe exiſtimandus eſt. Si enim perduelles Angeli, quum Dei gratiam amiſiſſent, naturalem ſcientiam, adquiſitasſque notitias retinuere, ut docet *Thomas I. I. Quaeſt.* LXIV. *art.* I. quidnam in cauſſa eſſe poteſt, cur non idem de Adamo conſtanter enuntiemus?

Ex eo autem eiuſmodi notitias, ac ſcientiam ad filios poſteroſque promanaſſe, ſtatim & primore adſpectu intelligitur. Et quidem adducto loco *Eccleſiaſtici* Vulgata habet: *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis conlaudent, & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius. Caſſianus* autem dicit Adami poſteros *ab illa vera phyſicae philoſophiae diſciplina tradita ſibi a maioribus* excidiſſe, *quam primus homo ille, qui univerſarum naturarum inſtitutionem e veſtigio ſubſecutus eſt, potuit evidenter adtingere, ſuiſque poſteris certa ratione tranſmittere.* Faciunt quae leguntur Deuteron. cap. XXXII. 6. 7. *Haeccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga patrem tuum, & adnuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Et Pſalmo LXXVII. Οσα ἠκούσαμεν καὶ ἔγνωμεν αὐτά· καί οἱ πατέρες ἡμῶν διηγήσαντο ἡμῖν. Οὐκ ἐκρύβη ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῶν εἰς γενεὰν ἑτέραν· ἀπαγγέλλοντες τὰς αἰνέσεις τοῦ κυρίου, καὶ τὰς δυναςείας αὐτοῦ. Καὶ τὰ θαυμάσια αὐτοῦ ἃ ἐποίησε, καὶ ἀνέςησε μαρτύριον ἐν Ιακὼβ, καὶ νόμον ἔθετο ἐν Ισραήλ. Οσα ἐνετείλατο τοῖς πατράσιν ἡμῶν· τοῦ γνωρίσαι αὐτὰ τοῖς υἱοῖς αὐτῶν. Οπως ἂν γνῷ γενεὰ ἑτέρα υἱοὶ τεχθησόμενοι, καὶ ἀναςήσονται καὶ ἀπαγγελοῦσιν αὐτὰ τοῖς υἱοῖς αὐτῶν. *Quanta audivimus & cognovimus ea: & patres noſtri narraverunt nobis. Non ſunt occultata a filiis eorum, in generatione altera. Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius quae fecit. Et ſuſcitavit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael. Quanta mandavit patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera, filii qui naſcentur, & exſurgent, & narrabunt filiis ſuis.* Item quod habetur Pſalmo XLIII. Θεὸς ἐν τοῖς ὠσὶν ἡμῶν ἠκούσαμεν, καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν ἀνήγγειλαν ἡμῖν. Εργον ὃ

εἰργά-

Digitized by Google

εἰργάσω ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν, ἐν ἡμέραις ἀρχαίαις. *Deus auribus noſtris audivimus, & patres noſtri adnuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Itaque non poſſum meo calculo non probare, quod *Praefatione ſuarum Inſtitutionum Philoſophicarum* Vir doctus habet, ubi §. VIII. ita ſcribit: *Qua vero ſerie poſt primi parentis peccatum, obfuſamque menti noſtrae caliginem, quibuſve incrementis ſapientiae ſtudium adoleverit, definiri vix poteſt. Credibile eſt tamen illud a patribus in nepotes haereditarium veluti munus ubique tranſmiſſum ad haec uſque tempora floruiſſe; concedique facile poterit, Adamum ipſum plurima poſteros docuiſſe, quae vel a Deo didicerat, vel propriis ipſe ſtudiis & obſervationibus deprehenderat.* Huic certe praeiverat etiam eruditiſſimus *Ger. Ioh. Voſſius*, qui *Lib. I. de Origine Idololatriae cap.* I. II. & IV. homines ex traditione multa habuiſſe, quae ad veri Dei notitiam & cultum pertinent, diſerte ac ſapienter adfirmat.

Sed, ut fere uſuvenit, vel temporis longinquitate, vel morum corruptela, & vitiorum caligine animis hominum tenebras obfundentibus, ſenſim pura Dei, divinarumque rerum ſcientia defecit, fonſque inlimis coenoſis falſarum opinionum rivulis infectus eſt, ut *Caſſianus* etiam memorata Conlatione notabat; ita tamen ut in ſanctis caſtiſque viris coeleſtis doctrina ſemper incorrupta permanſerit, in aliis vero quaedam ſui tantum veſtigia & lineamenta, per quae facile iterum poſſet inveſtigari, reliquerit. Poſt illam igitur gentium diſperſionem, quae diluvium generale ſubſecuta ex Noachi familia & poſteritate facta eſt, & de qua videndus eruditiſſimus *Sam. Bochartus* in *Phaleg*, pro comperto habendum eſt ſcientiam quoque & cognitiones, quas de Deo, eiuſque conſubſtantiali Trinitate Noachus, & eius filii habuere, in omnes gentes variis tramitibus, & multiplici propagatione defluxiſſe, ſed non aeque ab omnibus ſartas & tectas, ut aiunt, inviolataſque fuiſſe ſervatas. Recte enim ac prudenter obſervat *Lactantius Lib. II. cap.* XI. ea, quae Prophetarum vaticinio tradita, in ſacrario Dei continebantur, de fabulis, & obſcura opinione conlecta & depravata, ut veritas a vulgo ſolet, variis ſermonibus diſſipata & corrupta fuiſſe, nullo non addente

B ali-

aliquid ad id quod audierat. Iudaei quidem caſte atque integre eas notitias coluere, ſed in ſuis literis parcius fortaſſis inſinuaverunt, quod eorum natio nimis eſſet ad plurium Deorum cultum, inſaniamque proclivis, unde illos iure optimo *Clemens Alexandrinus* εἰδωλομανεῖς adpellat, id quod *Tertullianus* etiam, & *Chryſoſtomus*, aliique animadverterunt. Praeclariter *Theodoretus* Sermone II. *Therapeutices*: ὁ πάνσοφος κύριος, inquit, οὐκ ἐναργῶς ἅπαντα τὰ περὶ τῆς τριάδος ἐξεπαίδευσε δόγματα, ἵνα μὴ πρόφασιν πολυθείας λάβωσιν (τοῦτ᾽ ἐστὶν, οἱ Εβραῖοι) εἰς τὴν τῶν Αἰγυπτίων ἐπιῤῥέποντες πλάνην. *Sapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſte omnia Trinitatis myſteria tradidit, ne multitudinis Deorum occaſionem ſumerent, ad errorem Aegyptiorum propendentes*. Quod de plebe, & multitudine, ſequioribuſque temporibus, non de ſanctis vetuſtiſque Iudaeorum Prophetis intelligendum eſt. Aliae vero gentes quum intemeratam religionem, veraeque ſapientiae conſulta foedis impiarum opinionum erroribus inquinaſſent, eo clarius quidem, ut videtur, & diſtinctius ſibi veluti per manus traditam de trina Divinitate ſententiam expoſuere, quo minus, utpote iam Deorum multitudinem, ſacrilegaſque religiones amplexati, Divinitatem ſcindere, & diſſipare reformidarunt. Hanc verae doctrinae oblivionem ita deteſtatur *David* Pſalmo IX. Αποστραφήτωσαν οἱ ἁμαρτωλοὶ εἰς τὸν ᾅδην, πάντα τὰ ἔθνη τὰ ἐπιλανθανόμενα τοῦ θεοῦ. *Avertantur peccatores in infernum, omnes gentes quae obliviſcuntur Dei*. Ad quae verba ita *Clemens* Lib. VI. στρωματῶν commentatur: Επιλανθάνονται δὲ δηλονότι οὗ πρότερον ἐμέμνηντο· καὶ ὃν πρὶν ἢ ἐκλαθέσθαι ἐγίνωσκον, τοῦτον παραπέμπονται. *Obliviſcuntnr ſcilicet eius, cuius prius meminerant, & quem cognoſcebant priuſquam obliviſcerentur, eum jubent valere, & amandant*.

Ex hactenus diſputatis ſubſpicari eſt cur Chaldaei non omnino abſimilem de Intelligibilibus doctrinam profeſſi ſint, ſi claſſicorum Scriptorum teſtimoniis fidem adhibemus. Hi profecto ſapientiae laude atque praeſtantia Iudaeis, quodam oraculo, quod a Porphyrio laudatur, aequiparantur.

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ᾽ ἄρ᾽ Εβραῖοι
Αυτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Chaldaeis ſolis ſapientia ceſſit, Ebraeiſque

Aeter-

Aeternum caſto veneratis numen honore.

Et hoc quidem oraculum nec a Iudaeo, nec a Chriſtiano, nec ab Ethnico etiam e vulgo fingi potuiſſe recte cenſet *Ioh. Clericus* in Notis ad Hiſtoriam Philoſophiae Orientalis a Th. Stanleio conſcriptam, & a ſe Latine expreſſam. Chaldaei itaque Intelligibilia omnia Trinitate contineri arbitrati ſunt. At quae de Intelligibilium Trinitate adfirmavere, in medium proferre lubet, ut ea prodit eruditus *Th. Stanleius* in memorata *Philoſophiae Orientalis Hiſtoria*. Quum igitur Chaldaei tres ordines excellentium rerum conſtituerent, *Intelligibilium* ſcilicet, hoc eſt eorum quae ab aliis intelliguntur, ſed quorum eſſentia in intelligendo non conſiſtit, utpote quae nihil habeant ſuperius quod intelligant; *Intelligibilium, & Intellectualium*, eorum ſcilicet quae ſunt, quia contemplantur ſuperiora, & quae ſimul ab aliis inferioribus intelliguntur; & *Intellectualium* tantum, quae videlicet intelligunt quidem ſuperiora, ſed nulla habent inferiora a quibus intelligantur, ut ſunt hominum mentes; *de primo horumce ordinum* (ſunt verba *Stanleii*) *Anonymus Scriptor Compendii de doctrina Chaldaica ſic habet:* Deinde (nempe, poſt Vnum, & Bonum) colunt paternum quemdam fundum ex tribus Triadibus compoſitum. Quaelibet autem Trias habet Patrem, Potentiam, & Mentem. Pſellus *paulo plenius:* Secundum Vnum, adfirmant paternam profunditatem compleri tribus Triadibus, quarum unaquaeque primum habet Patrem, deinde mediam Potentiam, & tertiam Mentem inter eas, quae intra ſe claudit Triadem: haec vocantur etiam ab iis Intelligibilia. Haec ille.

In hac Chaldaica de Intelligibilium Trinitate doctrina manifeſta quaedam corruptio veritatis elucet: quamvis enim huiuſmodi opinio fabulamentis & erroribus ſcateat, nonnullam tamen ſuae originis ſimilitudinem referre videatur. Eadem fere, & nobis etiam propiora docuit *Zoroaſter* Magus Perſa, ad quam gentem multa Chaldaeorum decreta defluxere. Nec verendum eſt, ne illa Chaldaei potius a Perſis acceperint. Nam convenit inter Eruditos, Perſarum Magos Chaldaeis eſſe poſteriores. Magicae enim religionis apud Perſas auctor & inſtitutor fuit, ut *Agathias* ſcribit, hic Zoroaſter, qui probabi-

babiliter Cyri temporibus floruit, hoc eſt, circa annum Periodi Iulianae MMMMCLXX. Ezechiele Propheta, qui anno eiuſdem Periodi MMMMCXV. vivebat, paulo recentior: ante quem Prophetam, eiuſque tempora nomen Perſarum uſurpatum fuiſſe non comperimus. *Plutarchus* igitur apud Gemiſtum Plethonem tradit Zoroaſtrem Magum res omnes in tria genera diſtribuiſſe, & primae quidem illarum claſſi, *Oromazen* ab eo praefectum fuiſſe; ultimae, *Arimanen*; mediae autem, *Mithran*. Queis Platonica illa reſpondent: *περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντα ἐστὶ, κἀκείνου ἕνεκα τὰ πάντα, κἀκεῖνο αἴτιον τῶν καλῶν· δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα*. *Omnia ſunt circa omnium Regem: eius gratia ſunt omnia, idemque omnium bonorum cauſſa eſt: ſecundus vero circa ſecunda; & tertius circa tertia*. Non me quidem praeterit malorum principium a Magis *Arimanen* ſtatui, ut ex laudato *Plutarcho De Iſide & Oſiride* perſpectum habemus. Sed forte huiuſmodi error inter eos invaluit, quod materiae is materiatiſque rebus, & corruptioni obnoxiis praeeſſe crederetur. Materiam enim malorum cauſſam, immo ipſum malum Veteres exiſtimabant, ut videre eſt apud *Plotinum Lib. VIII. Enn.* I. *Euſebium Lib. VII.* Προπαρασκ. & *Auguſtinum Lib. VII. Confeſſ. cap.* V. Heinc *Arimanes* Animae mundanae Platonicorum forte reſpondeat, quod vel ex *Platone* ipſo *X. De Legibus*, & *Plutarcho De Procreatione Animi* colligere eſt, immo iſthuc ipſum hic eodem libro diſerte & explicate adſeverat; *Mithra* vero reſpondeat Mundo Intelligibili, ſeu Intellectui Paterno, qui medius eſt inter Patrem, & Animam, ſeu Mundum ipſum adſpectabilem. Quare Magi *Mithran* medium eſſe adſerebant, unde & *Mediatorem* eumdem vocabant, eodem Philoſopho Chaeronenſi citato volumine *De Iſide & Oſiride* auctore. Chaldaei tamen inter *Patrem* & *Mentem*, *Potentiam* mediam interſerebant, quae forte Animam mundanam repraeſentare poteſt, in quo eos ſecuti videntur *Plotinus* & *Porphyrius* apud *Auguſtinum Lib. X. De Civ. Dei cap.* XXIII. & XXIX. Heinc doctiſſimus *H. Grotius Lib. IV. De Ver. Relig. Chriſt.* §. XII. adfirmare non dubitat *Platonem* a Chaldaeis edoctum divinam naturam in Patrem, Mentem Paternam, & Animam diſtinxiſſe, quod *Ioh. Clericus* etiam in notis ad *Stanleium*

adgno-

Digitized by Google

adgnoſcit. Sed de Chaldaeorum doctrina inferius pluribus. Inpraeſentia non praetereundum ſilentio, quum eiuſmodi Chaldaeorum placita ad Perſas quoque, ut diximus, tractu temporis traducta fuiſſent, ab iis ad Graecos etiam promanaſſe. Scribit enim *Plinius Lib. XXX.* de Oſthane Mago, qui anno Per. Iulianae MMMMCCXXXIV. vivebat, eum veluti ſemina artis portentoſae ſparſiſse, obiter infecto, quacumque commeaverat, Mundo, & deinde ſubdit: *Hic maxime Oſthanes ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiae eius Graecorum populos egit. Minucius* tamen *Felix* in *Octavio* tradit, Oſthanem fuiſſe Magorum eloquio & negotio primum, verum Deum merita maieſtate proſequutum, & Angelos vero Deo adſiſtere noviſſe: id quod etiam *Caecilius Cyprianus Lib. de Idolorum Vanitate*, dum prope Minucium exſcribit, adfirmat. Sed quae *Plinius* habet, de perfectiori Orientalis doctrinae apud Graecos notitia intelligenda ſunt. Unum heic ſilentio minime praetereundum, apud Indos ſcilicet non abſimile de trina Divinitate placitum exſiſtere, ſiquidem clariſſimis noſtrorum temporum Scriptoribus fides habenda eſt.

Porro ut ad Iudaeos, eorumque religionem & dogmata, quum in Aegyptum migravere, revertamur, animorum apud illos immortalitatem originis excellentia commendabat, quando optime noverant humanam mentem, non ex aqua aut terra, ut mutarum animantium animas, eductam eſſe, ſed Dei ipſius in hominis faciem ſufflantis adſpiratione conſtitiſſe. Quid quod Deus Adami inobedientiam mortis poenam exigendo caſtigans, id tantum in pulverem reverſurum, quod de pulvere ſumtum fuerat, edixit? Non enim id de toto homine dictum videri poteſt, quum de terra ſumtus totus homo non fuerit. A vera tamen doctrina volventibus annis declinantes Sadducaei, & Samaritani animorum aeternitatem praefracte negaverunt, ut *Origenes Commentariis in Matthaeum* auctor eſt. Corporum reſurrectionem olim futuram credidiſſe, argumento eſſe poteſt Iobi fides. Huius enim, qui anno circiter Periodi Iulianae MMMLXXIX. vixiſſe non nemini videtur, luculentum exſtat de futura carnis reſurrectione teſtimonium, de quo *Hieronymus ad Paulinum* ita ſcribit: *Ut de ceteris ſileam, reſurre-*

ctionem corporum ſic prophetat [ideſt Jobus] *ut nullus de ea vel manifeſtius vel cautius ſcripſerit. Scio, inquit, quod redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt haec ſpes mea in ſinu meo*. Unde certe & eamdem maiorum ſuorum fuiſſe ſententiam conſectarium deducere eſt. Quod ſi, ut Ebraei cenſent, Iobi liber non vera hiſtoria, ſed parabola eſſet, tamen quum antiquiſſimus eſſe dignoſcatur, non minus ea, quae intendimus, probare deprehenditur.

Non me quidem latet *Africanum* apud *Euſebium Lib. I. Hiſt. Eccleſ. cap.* VII. adſerere, claram reſurrectionis promiſſionem antiquis Iudaeis factam non fuiſſe. Et Sadducaei quidem eam omnino negabant, ut teſtatur *Matthaeus cap.* XXII. & *Lucas Actor. cap.* IV. & XXIII. Auctorque Indiculi *De haereſibus Iudaeorum*, qui falſo *Euſ. Hieronymo* tribuitur, eo Moſis loco illos abuſos fuiſſe ait: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Immo *Hegeſippus*, qui prope eſt Apoſtolicorum temporum Scriptor, & ex Iudaeo Chriſtianus effectus videri poteſt, ut *Euſebius* ait, apud eumdem *Euſebium Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXIII. ſeptem Iudaeorum haereſes, quas apud laudatum Hiſtoriographum *Lib. IV. cap.* XXII. nominat, ac recenſet, reſurrectionem mortuorum crediddiſſe diſerte ac perſpicue inficiatur. Sed veroſimilius eſſe exiſtimaverim, *Hegeſippum* iſthuc ipſum literis mandaſſe, quod de ſectis illis omnibus generaliter loqueretur, & inter eas non deeſſent, qui in ea eſſent ſententia, ut Sadducaei. Nam & ex ipſis Evangeliſtarum commentariis manifeſte patet, corporum reſurrectionem Iudaeis paſſim adcreditam fuiſſe. Ut enim de *Herode* taceam, qui Chriſtum redivivum eſſe Iohannem ſubſpicatus eſt, ut referunt *Matth. cap. XIV.* 1. *Marcus cap. VI.* 14. *Lucas cap. IX.* 7. *Martha* certe, quum ei Chriſtus dixiſſet, *Reſurget frater tuus*, reſpondit: οἶδα ὅτι ἀναστήσεται ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die*, ut *Iohannis cap.* IX. habetur. Sed aliter, quam nos opinamur, *Hegeſippum* explicari non poſſe, ſecus enim manifeſti mendacii redargueretur, liquido comprobant quae ſcribit *Lucas Act. cap.* XXIII. Nam

quum

quum Paulus in Concilio iniuſti iudicii ſeveritatem extimeſceret, & Synhodum ex Sadducaeis Phariſaeiſque conſtare animadvertiſſet, exclamavit: *ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἐγὼ φαρισαῖός εἰμι υἱὸς φαρισαίου. περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναςάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι. τοῦτο δὲ αὐτοῦ λαλήσαντος, ἐγένετο ςάσις τῶν φαρισαίων καὶ τῶν σαδδουκαίων, καὶ ἐσχίςη τὸ πλῆθος. Viri fratres, ego Phariſaeus ſum, filius Phariſaeorum, de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego judicor. Et quum haec dixiſſet facta eſt diſſenſio inter Phariſaeos & Sadducaeos, & ſoluta eſt multitudo.* Quod evidenter oſtendit Phariſaeos recte de futura mortuorum reſurrectione ſenſiſſe, & liquet etiam ex *Matth. cap. XXII.* 23. *Iul.* autem *Africani* dictum forte comparate ad eam, quam ex Evangelicis repromiſſionibus habemus, reſurrectionis ſpem intelligendum venit. Nec mirari ſubit, ſi haec apud Iudaeos de reſurrectione corporum credulitas obtinebat, quando etiam apud vetuſtos Magos eadem vigebat opinio, ut *Theopompus* VIII. *Philippicorum*, & *Eudemus* Rhodius apud *Laërtium Lib. I.* memoriae prodiderunt.

Abrahami poſteri notam, cuius lex Abrahamo ipſi a Deo impoſita fuerat, in corpore circumferebant, praeputii circumciſionem, *Geneſ. cap.* XVII. A carnibus etiam cum ſanguine ex Dei Noacho id praecipientis mandato *Geneſ. IX.* abſtinuiſſe veriſimile eſt. Haec equidem eorum religionis ſumma fuiſſe videtur, quum Aegyptum ingreſſi ſunt. Literarum quoque uſum apud illos fuiſſe ex iis, quae ſuperius de Abrahamo diſputavimns, intelligere eſt, quod amplius confirmat quae de Moſe adſeruimus Ebraicae literaturae auctorem fuiſſe inficiati, & *Eupolemum* refellit, qui *Libro De Iudaeae Regibus* ſcriptum reliquit, *τὸν μωσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὰ πρῶτον τοῖς ἰουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρ᾽ ἰουδαίων φοίνικας παραλαβεῖν. Moſen primum fuiſſe ſapientem, atque ab eo datam literaturam Iudaeis, quae ab Iudaeis ad Phoenices pervenerit.* Ceterum paſtores egiſſe omnes exploratum eſt; quod quidem vitae genus antiquis temporibus apud pleroſque habitum eſt honeſtiſſimum, ut ex profanis etiam Scriptoribus *Virgilio*, *Ovidio*, *Philone*, *Plinio*, aliiſque manifeſte liquet.

C A P V T VI.

Aegyptiorum & Iſraelitarum conſuetudo. Aegyptiorum ea tempeſtate religio.

NVlli quidem dubium eſſe poteſt, quin annorum ducentorum, & quod excurrit, ſpatio, Aegyptii, Iacobique progenies ita ſibi invicem adſueverint, ut mores, inſtituta, religionem, ſacra, caeremonias alter alterius optime noverint. Quamquam enim compertum habemus Iudaeos in Aegypto ſegreges ab Aegyptiis & ſeparatos vixiſſe; exploratae fidei quoque eſt circa exitum ex illa regione cum Aegyptiis etiam converſatos fuiſſe, & Aegyptias uxores duxiſſe quoſdam; alios autem eius gentis ſuperſtitionibus ſeſe implicaſſe, ut ex *Ioſue cap.* XXIV. *verſ.* 14. manifeſtum eſt. Quin labor ipſe, & miniſterium, quo Iudaei ſub Aegyptiorum tyrannide exercebantur, ſine aſſiduo cum iis populis commercio eſſe non poterat, quod etiam expendebat *Calmetius Praefat. in Geneſim*.

Quod Aegyptiorum, temporibus Moſaicis, religionem adtinet, quin Idololatriae & ſuperſtitioſis ritibus addicti fuerint ambigendum non eſt. Sed & ab antiquiſſimis temporibus. Illos enim ſcribit *Herodot. Lib.II.* aras, & ſimulacra, & delubra Diis primos omnium ſtatuiſſe, quod *Lucianus De Dea Syria* ex parte confirmat. Et profecto quum eorum regum vetuſtiſſimus *Apis*, qui & *Oſiris* dictus eſt, fuerit, [hic enim eſſe videtur Eruditis *Miſrhaimus* ille Chami F. qui primus in Aegypto anno Periodi Iulianae MMDXXVIII. imperavit] & poſtea praecipuus & ſanctiſſimus eorumdem Deus; ſi vera ſunt, quae de Iſide eius uxore traduntur, ſtatim a morte eius cultus, & ſacra inſtituta ſunt. In bove tamen eum venerari coeperunt Ceachos rege This imperante, anno Per. Iul. MMDCLIV. ut quidam perhibent. Quidquid autem ſit, illud indubitatum eſſe videtur, Moſis aetate portentoſum hunc cultum iam apud eam gentem obtinuiſſe, quod vitulus aureus, quem poſtea Iudaei in deſerto ad eorum certe imitationem conflaverunt, ſatis arguit, ut

etiam

Digitized by Google

etiam *Philo Lib. III. De Vita Moſis*, & *Lactantius Firmianus Lib. IV. Divin. Inſtit. cap.* x. & *Hieronymus in Oſeae cap.* iv. prudenter animadvertunt. Sed *Moſes* ipſe iſthuc ipſum ſatis inſinuat, quemadmodum & alia animantia ab iis culta fuiſſe, quum Pharaoni ſe, Iudaeorumque gentem in deſerto tantum Deo ſacrificaturam proteſtatus eſt, quod nollet ea, quae colerent Aegyptii, in eorum oculis mactare. Verba *Moſis* habentur *Exodi cap.* viii. *Vocavitque Pharao Moyſen & Aaron, & ait eis: Ite, & ſacrificate Deo veſtro in terra hac: & ait Moyſes: non poteſt ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Deo noſtro: quod ſi mactaverimus ea, quae colunt Aegyptii coram eis, lapidibus nos obruent.* Nam beſtiarum nulla apud eos victima ob hoc ipſum caedebatur, quod *Ioſephus Lib. II. contra Apionem*, & *Iuvenalis Satyra* xv. ſcriptum reliquere, quamquam reſiſtunt *Strabo*, & *Herodotus*.

CAPUT VII.

De Graecorum, & Aegyptiorum literatura, & horum poſteriorum doctrina.

MOſi *Cecrops* διφυὴς iuxta Euſebii calculos σύγχρονος fuiſſet, & ipſe Aegyptius, qui quum in Graeciam penetraſſet anno Per. Iulianae MMMCLVIII. Athenas condidit, & populos illos omnium primus religiones, cultumque Deorum edocuit, ut *Euſebius in Chronico*, & *Cyrillus Alexandrinus Lib. I. contra Iulianum* adfirmant. Ille tamen *Lib. X. Praepar. Evang. cap.* ii. prodit, myſteria, & ſolemnitates Deorum, & conſecrationes, & hymnos a *Cadmo* Graecis tradita fuiſſe. *Cadmus* Sidone regnabat anno Per. Iulianae MMMCCLIX. qui cum Phoenicum claſſe vectus in Boeotiam veniſſet, etiam ſcribendi ſcientiam in eas regiones intuliſſe dicitur, unde Graeca elementa, *Phoeniciae literae*, adpellata ſunt, teſte *Herodoto Terpſichore*. Heinc *Timon* dixit,

. . . . Φοινικικὰ σήματα Κάδμου

. . . . *Cadmi Phoenicia ſigna*:

Et *Zenodotus* apud *Laërtium in Zenone Cittieo*:

Κάδ-

Κάδμος, ἀφ' οὗ γραπ]ὰς Ἑλλὰς ἔχει σελίδας.

Cadmus, ab hoc ſcriptos Graecia nacta libros.

Anonymus autem auctor Thebaicorum, quae a *Michaele Nicandro* publici iuris facta ſunt, ita canit:

Ὧδε παλαιςίνης μὲν ἀπὸ χθονὸς ἤλθεν Ἀχαιοῖς
Ἰδμοσύνη. Φοίνιξ δὲ μὶν Ἑλλάδι Κάδμος ὀπάσσε
Θρεφθεὶς ἐν λογίοισι παλαιςίνης περάτεσσι.

Sic Palaeſtina e terra venit Achivis
Scientia. Phoenix vero hanc Graeciae Cadmus praebuit
Educatus eruditis in Palaeſtinae finibus.

Alia pluria teſtimonia videri poſſunt apud *Bochart. Geog. Sacr. Par. II. Lib. I. cap.* xx.

Sed hanc literarum notitiam Graeci aeque a *Cecrope* accipere poterant, qui utpote Aegyptius, eam artem proculdubio optime noverat, quam ſententiam iure merito *Voſſius* tuetur. Nam, ut & id πολυμαθείας ἕνεκα addatur, *Theut*, ſeu *Athotis*, qui *Diodoro* Mercurius eſt, literas cum Hieroglyphicas, tum alias inveniſſe, Arithmeticam inſuper, & Geometriam, & Aſtronomiam primum Aegyptiis monſtraſſe ab aliquibus, ut *Platone in Phaedro, Laërtio Lib. I. & Cyrillo I. contra Iulianum*, perhibetur. Et ille quidem *Theut*, ſeu *Thot*, ſeu *Thaut*, ut Graeci ſcribere amant, alius eſt a ſecundo *Theut*, qui & *Mercurius Triſmegiſtus* indigitatus eſt, Non deeſt tamen qui aliter ſentiat, & non omnes ſcribendi formas ab *Athote* Aegyptiis traditas fuiſſe adfirmet. Sciendum eſt enim ſcribendi modum apud eam gentem triplicem fuiſſe, *Hieroglyphicum* ſcilicet, *Hieraticum*, & *Epiſtolographicum*, ut *Clemens Alexandrinus V.* ςρωματῶν, *Porphyrius in Vita Pythagorae*, aliique memoriae prodiderunt. Iam *Manethos* apud *Syncellum* Hieraticam ſcriptionis formam a ſecundo Mercurio uſurpatam fuiſse ſcribit. Ait enim ex ſtelis poſitis ἐν τῇ συμαδικῇ γῇ, vel, ut docte & acute legit *H. Valeſius*, ἐν Συριγγικῇ γῇ, & a *Thot*, qui eſt Mercurius primus, ſacra dialecto & Hieroglyphicis literis exaratis ſecundum Mercurium Agathodaemonis F. Tatique patrem libros traduxiſse, quos in Templorum Aegypti adytis repoſuit. Sed ut videtur tunc novum inventum non fuit, & *Moſes* quidem ante hunc Mercurium ſcripſiſse fertur,

ut notat *Marſhamus in Can. Chron.* ubi & primum *Theut* literarum inventorem fuiſse demonſtrat. Hieroglyphicam tamen ſcribendi rationem omnibus aliis vetuſtiorem fuiſse, & probabilia argumenta evincere poſsent, & *Lucanus* ſatis indicare videtur, ubi canit:

Phoenices primi [*famae ſi creditur*] *auſi*
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, at ſaxis tantum volucreſque, feraeque,
Mutaque ſervabant magicas animalia linguas.

Nec *Voſſii* opinioni obſtare forte videatur Graecas antiquas literas Samaritanis ſeu Phoeniciis omnino ſimiles deprehendi, ut praecipue conſtat ex vetuſtiſſima inſcriptione Sigea βουςροφηδὸν exarata apud *Edmund. Chishull in Antiquitatibus Aſiaticis Chriſtianam Aeram antecedentibus*. Antiquos enim Aegyptiorum characteres eoſdem fuiſse ac Phoenicios ſunt viri longe doctiſſimi qui pertendant; & fama quae de Cadmo circumvolat, forte ex eo oriri potuit, quod rudi adhuc ſcriptionis formae ſupremam prope manum admoverit, vel aliqua elementa addens, vel frequentiorem ſcribendi uſum inducens.

Moſen illas omnes ſcripturae formas intellexiſſe non videtur dubitandum. *Stephanus* enim *Act. cap.* VII. omni eum ſapientia Aegyptiorum inſtitutum fuiſſe teſtatur. Quod quidem Diaconi caſtiſſimi teſtimonium hactenus a nobis diſputata confirmat, & Aegyptios vario doctrinarum genere per ea tempora excelluiſſe, quod iam expendebamus, luculenter inſinuat. Et heic obiter caſtigandus eſt *Philo*, qui in *Vita Moſis* ſcribit, Aegyptiorum Regis filiam e Graecia viros ſcientiae laude praeſtantes, qui Moſen adoleſcentem erudirent, evocaſſe, quum illa aetate Graeci non omnium tantum doctrinarum rudes eſſent, ſed ne ipſa quidem literarum elementa forte cognoſcerent. Sed minus ferenda eſt *Clementis Alexandrini* incogitantia, qui quum totus fuiſſet in demonſtrando omnes Graecorum ſapientes Moſaicis temporibus multo poſteriores fuiſſe, mox tamen eadem, quae diximus, ex Philone totidem ſumta deſcribit.

Quae

Digitized by Google

Quae autem tum temporis Aegyptiorum ſtudia fuerint ex iis, quae hactenus diſſeruimus, conligere eſt. Nunc addere poſſumus eos recte Geometriae inventores putari. Nam quum Nilus exundantibus aquis effuſus camporum fines limo obducto confunderet, ut iidem iterum ſignarentur, aruiſque litem diſcernerent, terram metiendi ratio excogitata eſt, ut *Diodorus Lib. I. Proclus in Euclidem*, & *Serv. Honoratus* auctores ſunt; nec *Artapanum* apud Ioſephum Flavium moror, qui Geometriae inventionem Ioſepho Patriarchae tribuere non dubitavit. Eoſdem autem & Magicae ſapientiae arcanis maxime deditos fuiſſe ex *Libro Exodi* manifeſtiſſime elucet, & de hoc late *Marshamus Saecul. IX. Chron. Aegypt.*

C A P V T VIII.

Quarumdam Aegyptiacarum opinionum, & dogmatum cum Ebraicis conſenſio.

SEd quum adeo culti & ſolertes Aegyptum habitatores incolerent, conſentaneum quoque videatur eos nova ſemper inquirendi atque addiſcendi amore, ut fieri conſuevit, exarſiſſe. Quare & multa Iudaeorum inter eos verſantium placita & inſtituta curioſius inveſtigaſſe, & penitus introſpexiſſe: conloquia habuiſſe cum peritioribus: ſaepe etiam de religione cum illis eorumque dogmatis diſſeruiſſe: Quid quod vel vaecordibus & oſcitantibus iſtorum omnium notitia obrepere potuit, ex longa, ut diximus, ducentorum plus annorum cum Ebraeis conſuetudine? Et quidem ex ea aliquatenus profeciſſe videri poſſint, & cognitiones, quas aliunde deduxerant, vel auxiſſe, vel confirmaſſe, quod etiam advertebat *Theodoretus Therapeut. Serm. I.* Et iure quidem: nam Pſalmo CIV. legimus: *καλέστησεν αὐτὸν κύριον* [agitur heic de Pharaone Ioſephum Aegypti proregem conſtituente] *τοῦ οἴκου αὐτοῦ· καὶ ἄρχοντα πάσης τῆς κτήσεως αὐτοῦ. τοῦ παιδεῦσαι τοὺς ἄρχοντας αὐτοῦ ὡς ἑαυτὸν· καὶ τοὺς πρεσβυτέρους αὐτοῦ σοφίσαι. Conſtituit eum dominum domus ſuae, & principem omnis poſſeſſionis ſuae. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius pruden-*

tiam

tiam doceret. Itaque etſi portentoſa diverſorum numinum ſuperſtitione Aegyptii tenebantur, Deum tamen quemdam omnium principem ac ſupremum adgnoverunt; unde Magi, quum patrata a Moſe miracula ſubſpicerent, exclamaverunt: ***Digitus Dei eſt hic.*** *Exod.* VIII. 19. & *cap.* XIV. 25. ***Dixerunt ergo Aegyptii: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos***. Deus enim dixerat Moſi capite eodem v. 4. ***Scientque Aegyptii quia ego ſum Dominus***. Hoc ipſum autem adfirmat etiam ***Plutarchus Lib. de Iſide & Oſiride***, talemque Deum ait ab iis ignotum & inadſpicuum exiſtimatum fuiſſe, quare eius effigiem ſe prorſus ignorare fatebantur, ut apud ***Laërtium Diogenem Lib. I.*** videre eſt; id quod Ebraeo dogmati conſentire videtur, ut animadvertit *Strabo Lib. XVI.* Heinc ***Lucianus De Dea Syria***, antiquitus apud Aegyptios templa ſine ſtatuis fuiſſe teſtatur. Quin idola nunquam humana facie coluerunt uſque etiam ad Auguſti tempora, ſi laudato *Straboni* credere lubet. Nam apud *Herodotum Lib. II. cap.* XLI. legitur Iſidis ſimulacrum muliebre fuiſſe, bubulis cornibus.

Quod autem hic idem ſcriptor habet, eos primum ſimulacra Diis conſtituiſſe, neſcio an veritate, & fide periclitetur. Serapidos quidem ſtatuam Seſoſtris tempore elaboratam fuiſſe *Athenodorus* apud *Clementem in Adhortatione ad Gentes* adfirmat. Sed huius regis aetas nimis incerta eſt. Exploratum profecto eſt Magos ſtatuas repudiaſſe, ut *Laërtius Lib. I.* ſcribit; & Perſas neque aras, neque Deorum imagines habuiſſe, ut laudatus *Herodotus Lib. II.* & *Strabo Lib. XV.* literis mandavere; & id quidem ſaltem ante Alexandri aetatem. Propterea *Xerſes*, auctoribus Magis, templa Graeciae inflammavit, ***Cicerone Lib. II. De Legibus*** teſte aſſiduo, eademque etiam Babylone deſtruxerat, ut ſcribit *Arrianus Lib. III.* περὶ ἀναβάσεως. Romani autem per annos CLXX. delubra nullis ex Numae inſtitutione Deorum figuris inſtruxere, quod *Dionyſius Halicarnaſſeus*, *Plutarchus in Numa*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus I. Strom.* *Euſebius Lib. IX. Praep. Evang. cap.* III. & *Auguſtinus* literarum monumentis conſignarunt. Apud Graecos quidam perhibent, primum Epimenidem circa annum Periodi Iulianae MMMMCXXII. templa aedificaſſe, ut de aliis gentibus taceam,

Digitized by Google

ceam, ut *Scythis*, *Nomadibus*, *Seribus*, quemadmodum videre eſt apud *Origen. Lib. VIII. contra Celſum*, & *Germanis*, ut apud *Tacitum De Moribus Germanorum*, & *Gaditanis*, de quibus *Silius Lib. III.* Apud Chaldaeos tamen ſtatuas & idola etiam Abrahami aevo exſtitiſſe ex *cap.* XXXI. *Geneſeos* liquido conſtat. *Labanus* enim Meſopotamius Iacobum generum inſequitur, quod eius hic Deos, & idola תרפים *Theraphim* ſubripuiſſet. Immo *Lucianus* citato volumine *De Dea Syria* ab Aſſyriis primum Deorum ſimulacra, & ſtatuas in templis conlocatas fuiſſe aperte innuit. Ipſe quidem crediderim, etſi idololatriae initium ad Enos aetatem cum *Seldeno* referendum ſit; ſive ad Enochi tempora cum *Ioſepho*; ſive cum *Euſebio*, *&* *Epiphanio* ad quartum poſt diluvium ſaeculum, ad Serug ſcilicet aevum revocandum; & verum ſit quod *Lactantius Lib. II. c.* XIV. & *Athenagoras* in *Legatione* obſervant, ipſis videlicet idololatriae primordiis nulla numinum templa, nullas imagines fuiſſe: tamen inter alias idololatriae cauſſas & hanc exſtitiſſe, quod antiquiſſimis temporibus verum Deum mortales certis monumentis & ſignis poſitis honorare inſtituiſſent. Nam hiſce deinde ex corruptela & ſuperſtitione, ut fere uſuvenit, divini honores pro ipſo Deo tributi ſunt. Id coniicere eſt ex eo quod *Iacobus* ipſe in Meſopotamiam proficiſcens [*Geneſ. XXVIII.*] quum in ſomnis ſcalam illam mirabilem, cui Deus innitebatur, vidiſſet, ſurgens tulit lapidem, quem ſubpoſuerat capiti ſuo, & *erexit in titulum* fundens oleum deſuper, ut habet vulgata Verſio. Septuaginta vero interpretantur καὶ ἔςησεν αὐτὸν ςήλην. Vox autem ςήλη apud eoſdem paſſim invenitur, ut videre eſt *Lib. IV Regum cap.* III. & X. & XVII. & *Deuteron. cap.* XVI. nec aliud ſignificat quam *titulum*, *cippum*, *columnam*, *pyramidem*, quandoque etiam *ſaxum quadratum*, reſpondetque voci Ebraeae *Matzeva*. Nunquam enim Iacobus ita Deum honorare ſubſtinuiſſet, ut videtur, niſi ex maiorum ſuorum inſtituto illud accepiſſet. Et Phoenices quidem principio deos ſub haſtarum, aut columnarum forma colebant, quod habet *Pſeudo-Sanchoniathon* apud *Euſeb. Lib. I.* Προπαρασκ. *Ioſephus* quoque I. *adverſus Apionem* volumine de quibuſdam columnis loquitur in vetuſto Tyri templo ſacratis. Heinc

Deus

Deus Iudaeis in Phoenicen tranſituris *Levit. I. v.* 1. ait *: Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*. Scythae antiquitus adorabant acinacem, Arabes lapidem, quem quadratum fuiſſe ait *Maximus Tyrius Serm.* xxxviii. In Icaro imago Dianae lignum erat non laboratum, & Cythaeroniae Iunonis Theſpiae truncus exciſus, & Samiae Iunonis, ut ait *Aethlius*, prius quidem erat aſſer: poſtea autem quum eſſet Archon Procleus, in formam ſtatuae effiGa eſt. Adeundus *Clemens* in *Protreptico*, qui alicubi verſum refert, ex quo intelligimus Bacchum a Thebanis ſub columnae imagine cultum fuiſſe:

> Στύλος Θηβαίοισι Διώνυσσος πολυγήθης
>
> *Exhilarans Bacchus Thebanis columna eſt.*

Lucanus Lib. III. Pharſal.

> . . . . . . *Simulacraque moeſta deorum*
>
> *Arte carent, caeſiſque exſtant informia truncis.*

Tibullus autem *Lib. I. Eleg.* 1.

> *Nam veneror ſeu ſtipes habet deſertus in agris,*
>
> *Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.*

Quare Ethnicus a *Prudentio* in *Apotheoſi* dicitur

> *Devotus cippo, ficulni ſtipitis unctor.*

Heinc illud apud *Lucianum in Charonte*: τὶ ἐκεῖνοι ςεφανοῦσι τοὺς λίθους, καὶ χρίουσι μύρῳ; quod habet etiam ψευδομαντ. Quum autem *Iacobus* locum illum, in quo lapidem in titulum erexerat, Bethel adpellaviſſet, inde Baetylorum lapidum fabulamentis origo exſtitit, de quibus, & de eorum errore, qui illos animatos dicunt, late eruditus *Bochartus* in *Phaleg. par. II. Lib.* 11. *cap.* 11. & *Marſhamus in Can. Chron.* Quod quidem omne iis, quae Sapientiae Libro *cap.* xiv. habentur, contrarium eſſe non arbitror. Utrumque enim verum eſſe poteſt. Conſulendus *Calmetius Diſſertat. De Origine Idololatriae*. Nec mirum videri debet ſi vel ex ignoratione rerum, vel ex perverſa imitatione ſuperſtitioſus ſtatuarum cultus inventus eſt: quum & alia quaedam, quae a ſanctis viris recte ac rite facta leguntur, Ethnici perperam aemulati videantur. Nam, ut id obiter notem, videtur Abrahami filium Deo immolantis perverſa imitatio, quidquid aliter *Marſhamus* cenſeat, mos, qui apud Phoenices, & Chal-

& Chaldaeos invaluit, & quem interdum Iudaei etiam amplexati ſunt, proprios filios Diis ſuis in victimas mactandi, quod dolet, aut exſecratur divinus Pſaltes, aliique Prophetae; & unde certe in plures gentes crudelis humanarum hoſtiarum caedes propagata defluxit, de quarum immanibus ſacris videndi ſunt inter alios *Clemens Alexandrinus* in *Adhortatione ad Gentes*, & *Euſebius Caeſarienſis Lib. I.* Προπαρασκ. & *Oratione de Laudibus Conſtantini*, & *Theodoretus Lib. VII.* Θεραπευ. Sic quum *Abrahamus Geneſ. XXI.* 33. lucum circum altare ſerit ac plantat, id forte facit, unde poſtea Ethnicorum ſimilis ſuperſtitio promanavit.

Sed ut redeat, unde huc divertit oratio, eo proclivius unius Dei rerum omnium conditoris ac domini notitiam apud Aegyptios fuiſſe perſuaſum habebimus, ſi animadvertemus huiuſmodi cognitionem omnium fere gentium fuiſſe communem, ut videre eſt apud *Apoſtolum* ad Romanos ſcribentem, *Varronem* apud *Auguſtinum Lib. IV. De Civit. Dei cap.* XXXI. *Iuſtinum Martyrem* in *Paraenetico*, *Tertullianum de Teſtimonio animae*, *Plutarchum De Daemonio Socratis*, *Athenagoram in Legatione*, *Lactantium Firmianum*, *Ioſephum Lib. II. contra Apionem*, *Cyrillum Lib. I. Adverſ. Iulianum*, *& Prudentium in Apotheoſi*, cuius elegantes verſiculos heic tranſcribere operae pretium eſſe duximus. Canit igitur:

Et quis in Idolio recubans inter ſacra mille,
Ridiculoſque Deos venerans ſale, ceſpite, thure,
Non putet eſſe Deum ſummum, & ſuper omnia ſolum?
Quamvis Saturnis, Iunonibus, & Cytheraeis,
Portentiſque aliis fumantes conſecret aras:
Attamen in coelum quoties ſubſpexit, in uno
Conſtituit ius omne Deo, cui ſerviat ingens
Virtutum ratio variis inſtructa miniſtris.
Quae gens tam ſtolida eſt animis? tam barbara linguis?
Quaeve ſuperſtitio tam ſordida? quae caniformem
Latrantemque throno coeli praeponat Anubim?
Nemo Cloacinae, aut Hippo ſuper aſtra Deabus
Dat ſolium, quamvis olidam perſolvat acerram,
Sacrilegiſque molam manibus rimetur, & exta.

Con-

Conſule barbati deliramenta Platonis,
Conſule & hircoſos Cynicos, quos ſomniat, & quos
Texit Ariſtoteles torta vertigine nervos.
Hos omnes quamvis anceps Labyrinthus, & error
Circumflexus agat, quamvis promittere & ipſi
Gallinam ſoleant, aut Gallum, Clinicus ut ſe
Dignetur praeſtare Deus morientibus aequum.
Quum ventum tamen ad normam rationis, & artis
Turbidulos ſenſus, & litigioſa fragoſis
Argumenta modis concludunt numen in unum,
Cuius ad arbitrium ſphera mobilis, atque rotunda
Volvatur, ſerventque ſuos vaga ſidera curſus.
Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille
Non ſit, & erecto ſpectet coeleſtia vultu,
Non recipit neget ut regimen pollere ſupremum.
Iſtud & ipſe Numae tacitus ſibi ſenſit Aruſpex
Semifer, & Scotus ſentit cane milite peior.

Heinc veritate ipſa coactus *Sophocles*, licet Ethnicus,

Εἷς, inquit, ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστι θεὸς
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας.
Vnus profecto eſt, unus eſt tantum Deus,
Coeli, ſolique machinam qui condidit,
Vadumque ponti caerulum, & vim ſpiritus.

Ipſa autem Aegyptiorum ſuperſtitio manifeſte demonſtrat, Mundum quoque divina providentia regi ac procurari illis adcreditum fuiſſe; huiuſmodi enim opinio cuiuſcumque religionis fundamentum eſt. Sed de hoc dubitare non ſinit etiam *Plutarchus in Alexandro*. Nec ſine origine & principio illum eſſe cenſuere, quamquam non ea omnium communis erat opinio, ut *Diodorus Lib. I.* memoriae prodidit. Heinc *Porphyrius De Nympharum Antro* Mundum ſub ortum canis fuiſſe genitum ex Aegyptiorum ſententia refert, cui concinens *Solinus cap.* XXXV. *Polyhiſtoris* ſcriptum reliquit, Mundi natalem in XIII. & XI. Kal. Auguſtas ab Aegyptiis reiectum fuiſſe, ad quem *Solini* locum videndus doctiſſimus *Salmaſius* in ſuis *Plinianis Exercitationibus*: neque ab hoc diſcrepat, ſi probe intelli-

Digitized by Google

gatur, *Henr. Dodvvellus Append. ad Diſſert. Cypr.* §. xiv. Heinc & eum interiturum arbitrati ſunt, *Diogene Laërtio Lib. I. & Plutarcho De Iſide & Oſiride* auctoribus. Hic inſuper adſeverat rerum omnium ortum atque exordium aquam Aegyptios poſuiſſe: quae quidem omnia ab Ebraica doctrina non diſſonant, a qua forte nec in iactata nimia vetuſtate illi diſcedunt, ſive ea novem annorum millium ſit, ut eſt apud *Platonem in Timaeo*, & de qua iam diſſeruimus; ſive ſupra tredecim millium annorum aetates adſcendat, ut habet *Pomponius Mela L. I. c.* ix. ſive a Dionyſio ad Amaſim quindecies mille anni computentur, ut ſcribit *Herodotus Lib. II. cap.* cxlv. ſive ab Oſiride & Iſide ad Alexandrum annos numerent plus decies mille, vel, ut nonnulli ſcribunt, paulominus ter & vicies mille, teſte *Diodoro Lib. I.* ut elucet ex iis, quae ſuperius tempeſtive diſputavimus: modo eam antiquitatem non recipiamus, quae apud *Laërtium* ad quinquageſies mille ferme annos extenditur, termino facta Alexandri Macedonis aetate; ſeu quae apud *Simplicium Comment.* in *Lib. II. Ariſtotelis de Coelo* per lxiii. annorum myriadas producitur. Et profecto Aegyptii multa antiquitate merito cenſeri poterant, unde & anſa adrepta eſt eam fabulis etiam extollendi. Aegyptiorum enim imperium mdclxiii. annis a Cambyſe Perſa retro numerandis permanſit, iuxta *Conſtantinum Manaſſem*, ut initium eiuſdem defluat ab anno Per. Iul. mmdxxviii. & a Mishraimi Chami F. aetate. Heinc poſteriores Pharaones, filios regum antiquorum ſe fuiſſe iactitabant, ut ex *cap.* xix. *Eſaiae v.* 11. intelligere eſt.

Deorum autem praeſentias, & Daemonum Angelorumque naturas atque virtutem celebres apud Aegyptios fuiſſe ignorare non poteſt, niſi qui *Iamblichum De Myſteriis*, aut *Plutarchum De Iſide & Oſiride* nunquam legerit. De iis etiam quaedam videnda ſunt apud *Marshamum Can. Chron. Aegyptiaco ſaecul.* iv. ubi oſtendit quarto iam poſt diluvium ſaeculo θεοφανείας creditas fuiſſe. Ex *Iamblicho* pariter cognoſcimus myſterium apud Aegyptios fuiſſe, quod Deum non ſine conſubſtantialis filii conſortio exſiſtere inſinuat. Animorum aeternitas ex ea, quae apud illos invaluit, *Plutarcho De Iſide, & Oſiride*, *Laërtio Lib. I. Clemente Lib. VI.* Στρωματῶν, & *Euſebio X.*
Προ-

Προπαρ. teſtibus, *μετεμψυχώσεως* doctrina luculente reſultat, in qua & quaedam reſurrectionis ſpecies adparet, quod *Lactantius Lib. VIII. cap.* XXIII. animadvertit. Quare *Tertullianus Lib. De Reſurrectione carnis* de Metempſychoſi agens ſcribit: *Ita ſaeculum reſurrectionem mortuorum, nec quum errat, ignorat.* Immo eos omnium primos de animorum immortalitate opinionem habuiſſe ſcribit *Herodotus Lib. II. cap.* CXXIII. & reſurrectionem *διὰ μετεμψυχώσεως* crediddiſſe, eaque propter tantum ſtudii & diligentiae in cadaveribus adſervandis conlocaſſe. Diſſentit tamen in *Meſſeniacis Pauſanias*, Chaldaeoſque & Indorum Magos primos vult immortalem eſſe hominum mentem adſeveraſſe.

Et haec quoque omnia ſapientiae & placitis Ebraeorum adfinia, a quibus forte ad Aegyptios circumciſio profluxit. Quicumque enim Iudaeos potius ab Aegyptiis hanc accepiſſe cum *Celſo* apud Origenem, & *Iuliano Auguſto* apud Cyrillum opinatur, ut *Marshamus in Can. Aegyptiaco*, *Spencerus De Legibus Ritualibus Iudaeorum*, & *Ioh. Clericus in Geneſin*, a quibus deceptus eſt *Lengletius in nova Methodo legendi hiſtoriam*, nec tribus Anticyris ſanitati reſtituetur. Nam circumciſionis originem ab Abrahamo deſcendere ſacrae literae manifeſte docent, ut recte animadvertit *Origenes Lib. I. contra Celſum*: Abrahami autem aetate Aegyptiorum quoque moribus receptam fuiſſe non conſtat. Non me quidem latet *Herodotum* literis mandaviſſe, Phoenicas, & Syros, qui in Paleſtina ſunt, circumcidi accepto more ab Aegyptiis. Verba *Herodoti* noſtro indimus Commentario: Μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων, inquit, *Χόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ, καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι.* *Soli omnium hominum Cholchi, & Aegyptii, & Aethiopes ab initio ſtatim pudenda circumcidunt. Nam & Phoenices, & Syrii, qui ſunt in Palaeſtina, didiciſſe id ab Aegyptiis & ipſi confitentur.* Sed *Herodotum* hiſtoricorum mendaciſſimum fuiſſe notat *Cicero*, & *Lucianus*, & *Plutarchus De malignitate Herodoti*; & in rebus praeſertim Aegyptiorum tradendis multa mentitum eſſe iam & *Manetho* ipſe Aegyptius, & *Diodorus Lib. I.* quamquam Graiae gentis homo,

 ani-

Digitized by Google

animadverterunt. Sed e re noſtra fore exiſtimo, ſi ipſa *Diodori* ve:ba heic referre non pigeat. Ἡρόδοτος δὲ ὁ πολυπράγμων εἰ κἄν τις ἄλλος γεγονὼς, καὶ πολλῆς ἱστορίας ἔμπειρος ἐπικεχείρηκε μὲν περὶ τούτων ἀποδιδόναι λόγον, ἠκολουθηκὼς δὲ ἀντιλεγομέναις ὑπονοίαις εὑρίσκεται. *Herodotus autem multarum rerum ſatagens, ſi quiſquam alius, & variae hiſtoriae peritus rationem quidem illorum reddere ſtuduit. Verum opiniones ambiguas, & contradictioni obnoxias ſequi deprehenditur.* Et ex intervallo: ὅσα μὲν οὖν Ηρόδοτος, καὶ τινες τῶν τὰς Αἰγυπτίων πράξεις συνταξαμένων σχεδιάκασι καὶ συνεγράψαντο ἑκουσίως προκρίναντες τῆς ἀληθείας, τὸ τεραδοξολογεῖν ϗ μύθους πλάττειν ψυχαγωγίας ἕνεκα παρήσομεν. *Nos autem quae Herodotus, & nonnulli rerum Aegyptiarum Scriptores & portenta narrationum pro veritate ſponte amplexi, & voluptatis gratia fabulas commenti deblaterarunt, miſſa faciemus.* Porro adverſus eos qui circumciſionis exordium ab Aegyptiis repetunt, doctiſſimam diſſertationem adornavit *Calmetius*, quae omnino legenda eſt. Sed *Tacitus* ipſe hunc morem proprium Iudaeorum eſſe cognovit, quare *L. Hiſtor. V.* ſcriptum reliquit: *Circumcidere genitalia inſtituere, ut diverſitate noſcantur.* Mirari autem non ſubit ſi *Celſi*, & *Iuliani* τοῦ παραβάτου *Lengletius* fabulamentis inhaeſit, quum adſerere etiam non vereatur Iudaeos, qui in Aegypto erant, ſcabie & elephantiaſi laboraſſe, profanorum Scriptorum Mileſias exoſculatus, quas tamen *Ioſephus* in libris *contra Apionem* docte de more atque erudite confutaverat. Eo autem magis quaedam ex Ebraicae doctrinae fonte ad Aegyptios defluxiſſe credibile eſt, quod gentes, inter quas Iudaei verſabantur, eorum placitis adhaererent facillime. Heinc illa *Senecae* apud Auguſtinum *Lib. VI. De Civit. Dei cap.* XI. de Iudaeis loquentis: *Quum interim uſque eo ſceleratiſſimae gentis conſuetudo convaluerit, ut per omnes iam terras recepta ſit. Victi victoribus leges dederunt.* Ex eo autem ſua deſumſit *Rutilius Itinerarii Lib. I.* ubi canit.

Atque utinam numquam Iudaea ſubacta fuiſſet
Pompeî bellis, Imperioque Titi.
Latius exciſae peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Itaque non mirum ſi facile in dies gens illa augebatur, & ſi diſſer-

ſertus, & minime contemnendus auctor *Dion Caſſius Lib. XXXVI.* de Iudaeorum genere verba faciens, Κολουθὲν μὲν, inquit, πολλάκις, αὐξηθὲν δὲ ἐπὶ πλεῖϛον, ὥϛε ϗ παῤῥησίαν τῆς νεμίσεως ἐκνικῆσαι. *Cohibitum ſaepe, nihilominus auctum plurimum: ita ut & libertatem inſtitutorum ſuorum evicerit.* Haud me tamen praeterit adducta *Senecae*, & *Rutilii*, & *Dionis* loca non de Iudaeis, ſed de Chriſtianis, a quibuſdam intelligi, inter quos eſt eximiae eruditionis vir *Pet. Dan. Huetius* in ſua *Demonſtratione Evangelica Prop.* III. *n.* 21. Sed de Iudaeis potius cum magno *Auguſtino*, aliiſque doctiſſimis viris ipſe intellexerim, quorum inſtituta quaedam tam facile interdum Ethnicis adridebant, ut Sabbata ipſa a Graecis & Romanis religioſa obſervatione colerentur, *Horatio*, *Tibullo*, *Ovidio*, *Suetonio* teſtibus locupletiſſimis. Addit inſuper hic idem *Tranquillus* de Tiberio; *Externas caeremonias, Aegyptios, Iudaicoſque ritus compeſcuit &c.*

Vnum heic indictum nolim, non videri Aegyptios Moſis temporibus tot ſuperſtitionibus involutos fuiſſe, quot Syrii erant, & Phoenices; ſecus enim idem Legifer *Deuteron. cap.* XVIII. ita ſuis loquutus non fuiſſet. *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem: aut qui Arioloſ ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec Divos, aut quaerat a mortuis veritatem.* Et mox: *Gentes iſtae, quarum poſſidebis terram, augures & divinos audiunt.* Poſſem heic etiam ſubdere a *Diodoro Siculo* Moſen leges Aegyptiis tuliſſe adfirmari, ſi tutum eſſet *Iuſtino Martyri Apolog. II.* fidem adhibere. Quum enim conſtet eo loci, ubi *Iuſtinus Moſen* legit, Μνεύην a *Diodoro* ſcriptum fuiſſe, ut ea quae apud eumdem ſequuntur, legenti, & expendenti manifeſte patet; pro inutili & ſupervacaneo habendum eſt huiuſmodi σφάλμα vel tueri velle, vel pluribus in medium prolatis exornare: quamquam *Iuſtini*, ut videtur, fidem, re diligentius non examinata, ſequutus eſt *Cyrillus Alexandrinus I. Adverſus Iulianum* volumine.

CAPUT IX.

Iudaicarum legum & inſtitutorum notitiam ad Aegyptios perveniſſe vero non eſt abſimile.

QVum Moſes tot patratis prodigiis Aegyptiorum genti plane mirabilis exſtitiſſet, unde *Exodi cap.* XI. de eo dicitur: *Fuitque Moſes vir magnus valde in terra Aegypti, coram ſervis Pharaonis, & omni populo;* vero non eſt abſimile eorum etiam, quae poſt ex Aegypto profectionem operatus fuerat, praeſertim quum in non longe diſſitas regiones migraſſet, notitiam illos, tanti viri opinione permotos, captare ſtuduiſſe. Et certe finitimas Iudaeis gentes, eorum mores, inſtituta, res geſtas optime noviſse vel liquere poteſt ex iis, quae Holopherni narrat *Achior* dux Ammonitarum, *Iudith cap.* V. qui quidem Ethnicus erat, & a ritibus Iudaeorum abhorrens, *Iudith. cap.* XIV. ſed famam mirabilium Dei invaſiſſe omnes, ac perterruiſſe finitimos, vel Moſes ipſe luculente ſignificat. *Geneſeos* enim *cap.* XV. in cantico poſt maris rubri tranſitum concinnato: *Adſcenderunt populi*, inquit, *& irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim: Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* quod confirmatur *cap.* II. *Ioſue.* Immo tranſitus maris rubri memoriam apud Aegyptios, alioſque populos remanſiſſe & *Diodorus Lib. III.* & *Artapanus* apud *Euſebium Lib. IX.* Πρoπαρ. *cap.* IV. perſpicue indicant; quin hic idem auctor apud eumdem Euſebium tradidit Aegyptios in virgae, qua Moſes tot prodigia patraverat, memoriam, ſimiles virgas in ſuae Iſidis templis conſecraſſe. Heinc Iudaicarum etiam legum & inſtitutorum cognitionem eos non neglexiſſe forte conligere eſt: quam & longe abſolutiorem, ſicuti & aliorum ſacrorum voluminum, tractu temporis adipiſci potuere, quod paſſim *Iuſtinus Martyr in Paraenetico* ſubponit, & adfirmat *Cyrillus Lib. I. contra Iulianum*, & ſubindicare videtur *Auguſtinus Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* IX. & intrepide adſeverat *Huetius Demonſtrat. Evang. Propoſ.* IV. *cap.* I. *n.* 3.

qui

Digitized by Google

qui ulterius addit Moſis libros, Homeri & Heſiodi aetate iam in Aegypto fuiſſe. Et ſacros quidem Iudaeorum codices in Aegypto olim, ante etiam Ptolemaeorum tempora, exſtitiſse, multa alia ſunt argumenta quae perſuadere forte videantur: Aegyptiorum erga doctrinas amor & proclivitas; eiuſmodi libros adquirendi opportunitas; Iudaeorum in Aegyptum fugae, cumque Aegyptiis commercia; veterum ſcriptorum teſtimonia & auctoritas; aliarum gentium exemplum.

C A P V T X.

Aegyptiorum erga diſciplinas amor. Libros comparandi, & Bibliothecas inſtituendi etiam antiquis temporibus ſtudium. Iudaeorum commercia.

ET quo pondere & impetu in diſciplinas liberaleſque artes ferrentur Aegyptii, ſatis hactenus indicatum eſt, & liquet etiam ex *I. Regum cap.* IV. 30. quare & reges ipſi Aegyptiorum apud *Eſaiam cap.* XIX. dicuntur filii ſapientum. Et Aegypti quidem reges nonniſi e ſapientum numero eligebantur; quod ſi minus docti eruditique fuiſſent, rerum humanarum divinarumque notitia, poſtquam etiam regale ſolium adſcendiſſent, a Sacerdotibus inſtituebantur, auctore *Plutarcho De Iſide & Oſiride*. Iure igitur Aegyptii *Macrob. I. in Somn. Scip. cap.* XIX. dicuntur *omnium Philoſophiae diſciplinarum parentes*. Et *Saturn. I. cap.* XIV. illos idem auctor adpellat *ſolos divinarum rerum omnium conſcios*, quod *Libro VII.* eiuſdem operis *cap.* XIII. iterum inculcare non dubitat. Nunc autem animadvertiſſe ſubficiet librorum monumentorumque perquirendi ſtudium, & Bibliothecas inſtituendi cupidinem, non adeo ſeris temporibus excitatam fuiſſe, ut non antiqua etiam aetate mortalium animos inceſſerit. Nam ſi quid olim fuerit ex iis, quae poſtea conſequuta ſunt, recte & prudenter arguimus, nonne *Homeri* carmina tanti habita, & a cunctis ita expetita fuiſſe *Aelianus Lib. IX. Var. Hiſtor. cap.* XV. tradit, ut ille, quum rei familiaris anguſtia premeretur, non aliam filiae dotem,

Digitized by Google

quam Cypria Poemata dederit? *Lycurgum* autem Lacedaemoniorum regem & legiſlatorem, eiuſdem Poëtae carmina in Ionia apud Cleophyli poſteros reperta, in Graeciam diligenter exſcripta primum tranſtuliſſe ſcribit in Vita *Plutarchus*. Sibyllae libros a *Tarquinio* rege comparatos magno fuiſſe, *Plinius Lib. XIII. cap.* XIII. & *Agellius Lib. I. cap.* XIX. memoriae prodiderunt. Romani inſuper ab Athenienſibus & Lacedaemonibus leges ſuas repetiere, ut narrat *Livius Lib. III. Pomponius* Iureconſultus in *Lege II. Digeſtis De Origine Iuris, & Iuſtinianus Auguſtus Inſtitut. Tit. De Iure Naturali, Gentium, & Civili*: quamquam non deeſt hodie qui iſthuc ipſum in dubium revocare audeat. *Polycrates* Samius, *Piſiſtratus* Tyrannus, *Euripides* Tragicus, *Euclides* Athenienſis, *Nicocrates* Cyprius, *Ariſtoteles* Philoſophus, *Athenienſes* ipſi, Pergami *Reges* [de quorum Bibliotheca videndi *Strabo Lib. XIII. Plin. Lib. XIII. c.* II. *& Vitruv. L. VII.* & in qua fuiſſe ducenta millia ſingularium voluminum, ſcribit *Plutarchus in Antonio*] &, qui multorum libros in poteſtate habuit, *Neleus*, libris olim coacervandis nobiles exſtitere, ut *Athenaeus Lib. I. cap.* II. *& Gellius Lib. VI. c.* XVII. literarum monumentis commendarunt. Ab hoc *Neleo* libros omnes mercatus *Ptolemaeus* rex, cognomento *Philadelphus*, cum iis, quos Athenis, & Rhodi emerat, Alexandriam transferri curavit, ubi Bibliothecam ſeptingentis ferme voluminum millibus tandem inſtructam erexerat, ſi *A. Gellio Lib. VI. cap.* XVII. fides, vel, ut *Seneca De Tranquillitate cap.* IX. habet, quadringentis millibus. Sed & *Nehemias*, Iudaeus quidem & Perſarum regis pincerna, Bibliothecam Hieroſolymis exſtruxit, in qua libros tum ſacros, tum profanos congeſſit, ut habetur *Lib. II. Machabaeorum cap.* II. *Xerſes* ipſe plurimi ſe libros facere oſtendit, quum Athenarum potitus omnem librorum copiam, quam Piſiſtratus & Athenienſes cumulaverant, abſtulit, aſportavitque in Perſas, ut ſcribit *Gellius* loco citato. Quid *Platonem* memorem, qui nec impenſae, nec labori pepercit, ut Pythagoreorum libros conſequeretur? Conſulendus *Laërtius in Platone & Philolao, & laudatus Gellius Lib. III. cap.* XVII. Num *Apellicontem Teium*, Athenienſem civem, ſilentio praetercam? Hic Mithridatis aetate vivens, Ariſtote-

lis

lis Bibliothecam, aliaſque copioſas coëmit: ſubrepta quoque e Metroo, Phygiae Deae templo, in quo ſervabantur acta publica, Decretorum, quae a maioribus promulgata fuerant, αὐτόγραφα poſſedit, & ex aliis civitatibus, ſi quid eſſet antiquum, vel arcanum & reconditum, id omne conraſit: quo in furto deprehenſus Athenis, capitis periculum certum fuga evaſit, ut *Athenaeus Lib. V. cap.* XIV. ſcriptum reliquit. Apellicontis Bibliothecam *Sylla* quum Piraeeum tenuiſſet, rapuit & Romam tranſtulit, *Lucullus* autem e Pontica praeda magnam librorum vim in urbem eamdem abduxit: quod tamen omnium primus *Aemilius Paulus* fecerat, Perſe Macedonum Rege devicto, ut *Iſidorus* notabat. *Aſinius* vero *Pollio* omnium primus publico uſui, Auguſto invitante, Bibliothecam dicavit: adeantur *Plutarchus* in *Sylla* & *Lucullo*, *Plinius Lib VII. cap.* XXX. & *Lib. XXXV. cap.* II. *Suetonius in Auguſto*, & *Lucianus Adverſus Indoctum*. Quod ſi aetates relegentes ad Heroum tempora adſcendimus, iis etiam coacervandorum librorum ſtudium viguiſſe *Alexis* Comicus indicat, qui etſi in numerorum ratione foede peccat, antiquiſſimum tamen morem aliquatenus inſinuare fortaſſe videatur. Hic igitur in Fabula, cui *Lino* titulus eſt, Herculem fingit, quum a Lino erudiretur, iuſſum ex libris multis, qui aderant, eum accipere, quem vellet.

. . . . βιβλίον
Ενθεύθεν ὅ, τι βούλει προσελθὼν γὰρ λάβε,
Επίτ' ἀναγνῶς πανύγε διασκοπῶν
Απὸ τῶν ἐπιγραμμάτων ἀτρέματε καὶ σχολῇ.
Ορφεὺς ἔνεστιν, Ησίοδος, Τραγῳδία,
Χοίριλος, Ομηρος, Επίχαρμος, συγγράμματα
Παντοδαπά.
Accede & librum hinc, quem voles, accipe,
Deinde lege, & attente conſidera
Ex inſcriptis titulis ſenſim, & otioſe.
Adeſt Orpheus, Heſiodus, Tragoedia,
Choerilus, Homerus, Epicharmus, operaque
Scriptorum omnifaria.

Quod refertur ab *Athenaeo Lib. IV. cap.* XVIII. Sed ut certiora argu-

Digitized by Google

argumenta proferamus, ipſis *Ioſue* temporibus urbs in Chananaea erat, quae *Civitas literarum* adpellabatur, *Cariath Sepher*, ea, ut videtur, de cauſa, quod in illa Archiva, aut Bibliothecae eſſent, in quibus varia monumenta, & volumina diligenter adſervabantur, & literis iuventus inſtitueretur, *Ioſue cap.* XV. *v.* 15. ad quem locum conſulendus *Calmetius*, & *Ioh. Lomeier De Bibliothecis cap.* III. *Sect.* 3. Ioſue autem Hercule multo fuit antiquior.

Nec aliud profecto perſuadere videtur diligentia & ſolicitudo, qua quaecumque gentes haberent ſcriptis mandata monumenta, vel in templis Deorum, vel in publicis Archivis ab antiquiſſimis temporibus adſervabant. De Chananaeis iam diximus. Babylonii, coeli ſiderumque obſervationes ab ipſa prope diluvii aetate cuſtodiebant. Perſas publica monumenta, & quidem pervetuſta habuiſſe patet ex *I. Eſdrae c.* IV. *v.* 15. & in Bibliothecis recondiderant, quemadmodum ex eiuſdem *Libri cap.* V. *v.* 17. *& cap.* VI. *verſ.* 1. & *Eſtherae cap.* II. *v.* 23. cognoſcimus; quin antiquos ſui Zoroaſtris libros religioſe ſervabant, *Plinio Lib. XXX.* innuente. Tyrii vetuſtiſſimas ſuorum regum hiſtorias diligenter a temporis iniuria tuebantur, ut *Ioſephus I. contra Apionem* volumine ſcribit. Iudaei in Templo legem, & Prophetarum volumina repoſuere: Athenienſes in Metroum, Romani in aedes ſacras acta, & foedera, annaleſque deferebant, *Livio Lib. III. & IV.* & *Polybio Lib. III.* auctoribus. Sinenſes quantae vetuſtatis hiſtorias, & inſtrumenta habeant iam neminem fugit: Aegyptii novem millium annorum Annales ſe tenere Soloni dixerunt apud *Platonem in Timaeo*. Vetuſtiſſimam de Atlantide hiſtoriam eos habuiſſe, ex eodem *Platone* liquet: apud eoſdem Mercurii columnas myſteriis plenas, & innumerabiles libros exſtitiſſe auctor eſt *Iamblichus De Arcanis gentium* commentans: ut iam dubium eſſe non poſſit, quin in aliena libenter inquirerent, qui ſua tam ſolicite & diligenter adſervabant. Curioſum mortalibus natura dedit ingenium, & omnes ſponte ſcire & cognoſcere multa deſiderant. Quare iam opinari eſt omnibus temporibus ſcripta & monumenta aliquo nomine celebria & famigerata ſibi comparare unumquemque ſtuduiſſe, & eos praeſertim qui natura-

Digitized by Google

turalem quendam in diſciplinas arteſque liberales impetum & propenſionem haberent, quales quidem Aegyptii fuere. Sed rem ita ſe quoad illos habuiſſe certiſſima hiſtoriae fide edocemur, nam, *Diodoro Lib. I.* teſte, Oſimanduas Rex Aegypti antiquiſſimus inter alia operum praeclara, ſacram Bibliothecam ſtruxit, & in eius fronte praeſcripſit ψυχῆς ἰατρεῖον *Animi medica officina*: & exinde ſemper aliquae in Aegypto Bibliothecae exſtitiſſe videntur. Naucrates enim apud *Euſtathium Praefat. Odyſſ.* plagii Homerum accuſat, & in Aegyptum quum veniſſet, libros reperiſſe ait Phantaſiae feminae, quae Iliadem atque Vlyſſeam ſcripſerit, & Memphi in Vulcani templo depoſuerit. Quae in viro, opinor falſa, rem tamen & morem firmare deprehenduntur.

Itaque apud eos nobilia popularis ſui Moſis volumina exſtitiſſe vero ſit quam ſimillimum: praecipue cum nonniſi e finitima regione ea repetenda eſſent, cuius cum incolis aſſidua erant, & nunquam intermiſſa commercia, ſive ad ea quae ſuperius mature memoravimus, ſive ad *Salomonis* cum rege Aegypti adfinitatem, *III. Regum cap.* III. *II. Paralip. capite* I. ſive ad Ieroboami in Aegyptum fugam, & cum Pharaonis itidem filia matrimonium, *III. Reg. cap.* XI. ſive ad Mered Iudaeum, qui pariter Betiam Aegyptii regis filiam uxorem duxit, *I. Paralip.* IV. 18. ſive ad Iudaeorum paſſim cum feminis Aegyptiis coniugia, quae indicantur *I. Eſdrae cap.* IX. animum advertamus. Et quidem *Moſes* iam inſinuaverat ſe non aeque coniugia & commercia Iudaeorum cum Aegyptiis improbare, atque cum ceteris gentibus, ut ex *cap. Deuteronomii* XXIII. colligere eſt. Sed commercia Iudaeorum cum Aegyptiis ſatis exhibentur etiam *Lib. II. Paralipom. cap.* I. Inſuper *III. Regum cap.* IV. de Salomone dicitur, fuiſſe nominatum in univerſis gentibus per circuitum, & ſubiicitur deinceps: *& veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab univerſis regibus terrae qui audiebant ſapientiam eius*. Quin & morem inter Reges viguiſſe ſibi invicem libros una cum aliis muneribus mittendi indicatur *cap.* XXXIX. *Eſaiae v.* I. Verum alia plura conſuetudinis Iudaeorum cum Aegyptiis exempla in huius voluminis decurſu opportune lectoribus obcurrent.

For-

Forte heic aliquis obiecerit Aegyptiacam linguam ab Ebraea longe fuiſſe diverſam, & id in cauſſa eſſe potuiſſe, cur Aegyptii Iudaeorum leges & volumina neglexerint. Sed facile eſt huiuſmodi difficultatem diſſlare. Nullus quidem ambigendi locus eſt, quin alius eſſet Ebraeorum, alius Aegyptiorum ſermo, & unus ab altero diſcreparet. Id enim patet vel ex *Pſalmo LXXX.* ubi dicitur: *Quum exiret de terra Aegypti, linguam, quam non noverat, audivit:* quod quidem etiam de lingua Phoenicia intelligi poſſe videtur. Idipſum indicat *Eſaias cap.* XIX. *verſ.* 18. ubi ait: *In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan.* Et *Ioſephus* Aegyptium ſe eſse ſimulans fratres adloquebatur per interpretem. Itaque quum inter ſe loquerentur putabant ſe non intelligi, *Geneſ.* XLII. *verſ.* 23. Heinc eſt quod doctiſſimus *Bochartus in Phaleg. Lib. I. c.* XV. ſcribit Aegyptiam linguam magis ab Ebraica diverſam fuiſſe, quam Syram, aut Chaldaeam, quae eius erant dialecti. Tamen, quia Iudaei & Aegyptii vicini erant, non dubitat laudatus *Bochartus*, quin Ebraeus & Aegyptius ſermo quaedam habuerint communia, quod late ibidem oſtendit. Addunt inſuper viri eruditiſſimi *Lud. Thomaſſinus* in Praefatione *Gloſſarii Ebraici*, & *Paul. Pezronius* in libro *De Antiquitate & origine linguae Celticae* non maiorem inter Orientales linguas differentiam interceſſiſſe, quam quae inter linguas Italicam, Gallicam, & Hiſpanicam obcurrit. Immo antiquos Aegyptiorum characteres eoſdem fuiſſe ac Phoenicios, eos ſcilicet quibus Moſes ſcripſit, contendunt viri longe doctiſſimi, de quo conſulendus eſt *Calmetius Diſſertatione De antiquis ſcribendi modis*, quae commentarios in *Pentateuchum* praecedit. Heinc forte facile erat alterutris alterius gentis linguam addiſcere, quod & commercia eorumdem mutua, quae paulo ante memoravimus, ſuadent. Quin finitimorum linguam callere alias gentes conterminas conſuevisſe, liquido conſtat ex *cap.* XXXVI. *Eſaiae verſ.* 11. Quod quidem de doctioribus inprimis, veluti Prophetis & Hierophantis, proclive eſt ſubſpicari

Multo autem minus nobis obſtare videtur *Herodotus Lib. II. cap.* LXXVIII. & *Chaeremon* apud Porphyrium *De Abſtinentia ab* *ani-*

animalibus Lib. IV. qui Aegyptios ſuarum tantum legum cultores, alienarum autem imitatores minime fuiſſe teſtantur.

C A P V T XI.

Decem Tribuum diſperſio. Regum Iudae cum Aegyptiis bella, & foedera. Iudaeorum in Aegyptum fuga.

SEd etſi minus forte Aegyptii ſacros Iudaeorum codices requiſiviſſent, incredibile tamen eſt ab ipſis Iudaeis inlatos in Aegyptum, & veluti oblatos negligere omnino, & contemnere voluiſſe. Nam exploratae fidei eſt Iudaeos, ubi eorum regnum, Salomone defuncto, diviſum eſt, barbararum gentium victoriis, & oppreſſione coactos, in diverſas mundi plagas diſperſos fuiſſe. Ex iis autem, decem Tribus, quae Iſraelis regi parebant, quum duae, Iudae, & Beniamini, in Iudae regis ditione permanſiſſent, omnium primas everſas fuiſſe, & diſſipatas. *Achabo* enim Iſraelis regi, qui Omri patri anno Per. Iul. MMMDXCVI. in regno ſubceſſit, Syriae rex bellum intulit, eumque poſtremo ſuperavit, ut habetur *III. Reg. cap.* XXII. & *II. Paralip. cap.* XVIII. Deinde *Iehoachazo* regnante, qui anno Per. Iulianae MMMDCCCLVIII. imperare coepit, regnum Iſraelis univerſum Syris praedae fuit *IV. Reg. cap. XIII.* Et tandem *Oſee*, qui Iſraelis regno anno memoratae Periodi MMMDCCCCXXXIV. potitus eſt, a rege Aſſyriorum Salmanaſare victus & tributarius effectus eſt. Hic deinde, quum rebellionem adverſus Aſſyrios meditaretur, eius conſiliis deprehenſis, perpetuis eum vinculis in carcerem coniecit, urbemque excidit, populumque univerſum in regnum ſuum abduxit, Aſſyriis in hoſtili ſolo ad cuſtodiam poſitis, quod anno Per. Iul. MMMDCCCCXCIII. contigiſſe deprehenditur. *IV. Reg. cap.* XVII. Heinc aeterna decem Tribuum captivitas, quae per Parthos, Medos, Indos, Aethiopas, & univerſum Orientem diſperſae amplius in ſolum patrium regreſſae non ſunt, quod & *Sev. Sulpitius Lib. II. Sacrae Hiſtoriae* animadvertebat, & late *Calmetius Diſſertatione De diſperſione decem Iſraelis Tribuum*. *Oſee* autem propheta *cap.* VIII. 13. &

IX. 3.

Digitized by Google

IX. 3. & XI. 5. aperte dicit multos Iudaeorum, qui e decem Iſraelis Tribubus erant, poſt regni Samariae vaſtationem in Aegyptum confugiſſe, licet maior pars trans Euphratem captiva abducta fuerit, ut *cap.* V. 13. VIII. 9. IX. 3. X. 6. XI. 5. diſerte indicat. Eorum tamen, qui in Aegyptum redierant, plerique ſupremum ibidem diem obiere, ut *cap.* IX. 6. habetur. Tandemque *cap.* XI. 11. ait eos poſtremum ex Aegypto in patriam ſedem reverſuros, quod de aliqua eorum parte intelligendum eſſe videtur.

Sed quum e re noſtra ſit, quae bella aut foedera inter Iudaeos Aegyptioſque interceſſerint commemorare, ut exinde magis atque magis utriuſque gentis mutuam cognitionem & conſuetudinem percipiamus, advertendum eſt *Oziam* Iudae regem, qui anno Per. Iul. MMMDCCCCIIII. regnare coepit, quum proſperis eventibus adverſus finitimos bella geſſiſſet, Aegyptum etiam ſui nominis terrore concuſſiſſe, *II. Paralip.* XXVI. quum tamen antea *Seſacus*, Aegypti rex, anno ſcilicet quincto regis Roboami, qui eſt Periodi Iulianae MMMDCCXLIII. ex Aegypto adſcendens & Hieroſolymis potitus, Dei templum regioſque theſauros diripuiſſet, ut *III. Regum cap.* XIV. *&* *II. Paralip. cap.* XII. memoriae proditum eſt. Anno autem circiter Per. Iulianae MMMMII. Iudaei cum Aegyptiis confoederati fuiſſe videntur, quod deinceps etiam fecere, & magnam ſpem in eorum auxilio conlocaſſe, ut deducere eſt ex eo, quod quum *Sennacheribus* Aſſyriae rex praedicto anno Aegyptum invaſiſſet, & ingentem Aegyptiorum multitudinem ſecum abduxiſſet in Aſſyriam, Prophetarum vaticinia completa ſunt, quae ſpes Ebraeorum victis Aegyptiis fruſtratum iri praedicebant. Nam quum tunc adimpletum cognoſcatur quod ſigno ante biennium dato [*Eſaiae* XX. 4.] denunciatum fuerat: *Abducet rex Aſſyriae captivam multitudinem Aegyptiorum, & deportandam turbam Aethiopum puerorum & ſenum, nudam & diſcalceatam*. Non videmus, ut cum *Uſſerio* loquar, quare ad Iudaeos non ſit referendum, quod in duobus ſequentibus verſibus ſubiicitur: *Et perterrefacti erubeſcent, ab Aethiopibus expectatione ſua, & ab Aegyptiis gloriatione ſua. Et dicet incola regionis huius tempore illo: Ecce ita habet expectatio noſtra, quo confugiebamus*

ad

Digitized by Google

ad auxilium, ut eriperemur a conſpectu regis Aſſyriae, & quomodo evademus nos? Neque enim omnino ſine cauſa ea de re ita eos commonefaciendos fuiſſe putavit Legatus Aſſyrius: *Nunc ecce fiduciam tuam habueris in ſcipione arundinis iſtius quaſſatae, in Aegypto: quo ſi quis innixus fuerit, intrans volam eius perforabit eam: ita eſt Pharao rex Aegypti omnibus fiduciam habentibus in ipſo*, ut legitur *II. Regum cap.* XVIII. 21. Nam & eamdem ſimilitudinem de Aegyptiis & domo Iſraelis ab ipſo Deo uſurpatam in *Ezechiele cap.* XXIX. 6. 7. & multa adverſus vanam Iudaeorum in Aegyptiacis auxiliis confidentiam in *Eſaia cap.* XXX. & XXXI. prolata legimus, & hoc quoque inter alia: *Erit vobis robur Pharaonis pudori, & receptus iſte in umbram Aegypti, ignominiae. Nam Aegyptii in vanum & inaniter adiuvabunt; idcirco proclamo de hoc: robur eorum eſt, ut maneant domi. Eſaiae cap.* XXX. Inſequentibus autem temporibus *Ioſias* adverſus Necaum Aegypti regem bella geſſiſſe memoratur, anno ſcilicet Per. Iulianae MMMMCIV. quamquam exitu infelici, nam & ipſe interfectus eſt, & *Ieoachazus* filius, qui ei in imperio ſucceſſerat, ab eodem rege eo ipſo anno vinctus & captivus in Aegyptum ductus eſt, & Iudaei vectigalia pendere coacti. Poſt *Ieoachazi* depoſitionem, rex *Eliacimus*, qui poſtea immutato nomine *Ioachimus* vocitatus eſt, arbitrio victoris Iudaeis datus, regi Aegyptio parebat, *II. Paralip.* XXXV. & XXXVI. Per haec tempora, anno videlicet Per. Iulianae MMMMCIX. Aegyptii una cum Iudaeis, Syris, & Phoenicibus a Nebuchadneſare victi ac ſuperati, in Babylonis regionem captivi ducuntur, ut *Beroſus Lib. III. Rerum Chaldaicarum* auctor eſt. Anno vero eiuſdem Periodi MMMMCXXIV. *Pharaonis Hophrae*, ſive *Vaphris* copiae ex Aegypto egreſſae ſunt, ut *Sedekiae* contra Chaldaeos, qui Hieroſolyma obſidione cinxerant atque premebant, ſuppetias ferrent, quod *Ieremiae cap.* XXXVIII. habetur. *Ieremias* autem, qui anno memoratae Periodi MMMMLXXXV. ad propheticum munus vocatus fuerat, & *Baruchus* Neriae F. una cum aliis Iudaeis anno MMMMCXIV. ob Babyloniorum metum in Aegyptum confugerunt, *Ieremiae cap.* XXXII. & XXXIII. cum *Sev. Sulpitio Lib. II. Hiſtoriae Sacrae*. Anno autem MMMMCXLIII. *Nebuchadneſar* Aegy-

Aegypto potitus a Syene uſque in terminum, tum Aegyptiorum, tum Iudaeorum inter illos habitantium alios gladio cecidit, alios captivos abduxit, iuxta *Ieremiae* vaticinia *cap.* XLIII. XLIV. & XLVI. & *Ezechielis cap.* XXIX. XXX. & XXXI. Quum autem *Cambyſes* anno MMMMCLXXXIX. ſui imperii ſcilicet V. Aegyptum occupaſſet, ut *Iulius Africanus & Euſebius in Chronico Graeco* tradunt, & quinquaginta Aegyptiorum millia in pugna cecidiſſet, ſex millia captivorum, ut *Cteſias* auctor eſt, Suſa tranſtulit. Sic pariter Aegyptii Iudaeis in Chaldaea tunc temporis verſantibus admiſcentur. Itaque quum compertum habeamus uſque ad Darium, qui templi Hieroſolymitani reſtitutionem permiſit, & Artaxerſen, qui Dario ſucceſſit, & leges Iudaicas, ſacramque urbem inſtaurare Eſdrae & Nehemiae clementer adnuit, Iudeorum captivitatem duraſſe, inſequentibus etiam temporibus multos Iudaeorum in Aegypto, & Chaldaea remanſiſſe, quum iam ibi fortunas ſuas ſtabiliſſent, & veriſimilitudo ſuadet, & *Lucas II. Actor.* & *Ioſephus Lib. X. cap.* VIII. *& Lib. XVIII. cap.* XII. *Antiquit.* adteſtantur. Anno itaque *Artaxerſis VII.* pleniſsima populo Iudaico libertas conceſſa eſt, atque ab Eſdra Iudaeorum Reſpublica reſtituta, quod in annum Periodi Iul. MMMMCCXLVII. incidit: & anno MMMMCCLX. univerſo populo Hieroſolymis congregato Lex Dei ab eodem Eſdra legitur & exponitur.

Ex his, quae modo, & capite quoque ſuperiore de mutuo Iudaeorum, Aegyptiorumque commercio certiſsimae hiſtoriae monumentis adductis haud incurioſe diſseruimus, manifeſte elucet quam fruſtra ſit *Marshamus* in *Can. Chron. Saecul. IX.* dum contendit Iudaeis nulla fuiſſe cum aliis gentibus commercia: nam ne Scriptores, quos ad ſuam intentionem comprobandam adlegat, fide periclitentur, aliter eos profecto explicare & intelligere oportet quam ipſe faciat. Commercia inſuper Iudaeorum per Oceanum navigantium cum Afris, Arabibus, Perſis, & Indis ab ipſa Davidis aetate percurrit & adſtruit *Humfrid. Prideaux Hiſt. Iud. Par. I. Lib.* 1. *Anno ante Chriſtum DCCXL.* & eos in Peloponneſum aliquam coloniam deduxiſſe veroſimile videtur *Edm. Dickinſono* in ſuis *Delphis Phoeniciſſantibus* freto auctoritate & loco inſigni *Libri I. Machabaeor. cap.* XII.

Et

Et per haec quidem omnia paulo altius repetita diſcurrimus, ut liquido conſtaret, quoties & quanta opportunitas arcana Ebraeorum volumina adipiſcendi ſeſe Aegyptiis obtulerit. Certe enim tot Ebraeorum Prophetae & Sacerdotes nunquam patrium ſolum, niſi ſecum divinis illis voluminibus aſportatis, deſerere ſubſtinuiſſent. Quod etiam perſuadere poteſt *Ieremiae* cura, qua libros legis captivis, qui Babylonem abducebantur, dedit, ne eius in captivitate obliviſcerentur, ut habetur *II. Machab. cap.* II. Heinc elucet, eorum opinionem non ſubſiſtere, qui cenſent ſacros Iudaeorum libros a Chaldaeis una cum templo exuſtos fuiſſe, & ab Eſdra deinde reſtitutos, ut *Tertullianus*, & quidam alii antiqui Scriptores, cui quidem ſententiae exordium extitiſſe videtur ex *Lib. IV. Apocrypho Eſdrae cap.* XIV. *verſ.* 21. *& ſeqq. Daniel* inſuper legebat Ieremiam poſt templum incenſum. Nec minus religioſi & diligentes veteres illi eſſe poterant, quam poſteri illorum fuerint, qui a Ptolemaeo Lagi in Aegyptum abducti ſunt, ut ſcribit *Hecathaeus* apud *Ioſephum I. contra Apionem*. Non multo enim poſt celebris illa, quae LXX. Interpretum dicitur, divinae Scripturae in Graecam linguam translatio a Iudaeis in Aegypto commorantibus facta eſt. Quod ſi Ieſu Siracidae nepos, & Eccleſiaſtici interpres, in ſuo Prologo iuxta Vulgatam loquens audiendus eſt, ita in eo infit: *Nam in octavo & trigeſimo anno temporibus Ptolemaei Evergetis regis, poſtquam perveni in Aegyptum, & quum multum temporis ibi fuiſſem, inveni ibi libros relictos non parvae neque contemnendae doctrinae.* Verum iuxta Graecum fontem id fortaſſis nonniſi de ipſo Siracidae libro intelligendum venit, ibi enim ita legitur: ἐν δὲ τῷ ὀγδόῳ καὶ λ' ἔτει ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου βασιλέως παραγενεθεὶς εἰς Αἴγυπτον, καὶ συγχρονίσας, εὗρον οὐ μικρᾶς παιδείας ἀφόμοιον. Et deinde ſubditur: ἀναγκαιότατον ἐθέμην αὐτὸς προσενέγκασθαί τινα σπουδὴν καὶ φιλοπονίαν τοῦ μεθερμηνεῦσαι τήνδε τὴν βίβλον. Quod tamen etiam Vulgata ſubindicat: *Itaque bonum & neceſſarium putavi & ipſe aliquam addere diligentiam & laborem interpretandi librum iſtum.*

C A P V T XII.

Scriptorum teſtimonia, quibus Iudaicas Scripturas apud Aegyptios extitiſſe indicatur.

SEd rem, ut ſubſpicamur, ſe habuiſſe veteres etiam Scriptores indicare videntur, e quibus lubenter ſilentio tranſiliam *Artapanum*, qui multa Orpheum e Moſis doctrina & legibus hauſiſſe ſcribit, & locum inſignem *Iuſtini Martyris*, qui in *Exhortatione ad Gentes* habetur, heic ſubiiciam. Ait igitur inclutus Martyr: οὐ γὰρ λανθάνειν ἐνίους ὑμῶν οἶμαι ἐντυχόντας πάντωσπου τῇτε Διοδώρου ἱςορίᾳ, καὶ τῇ τῶν λοιπῶν τῶν περὶ τούτων ἱςορισάντων, ὅτι καὶ Ορφεὺς, καὶ Ομηρος, καὶ Σόλων ὁ τοὺς νόμους Αθηναίοις γεγραφὼς, καὶ Πυθαγόρας, καὶ Πλάτων, καὶ ἄλλοί τινες ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενοι, καὶ ἐκ τῆς Μωύσεως ἱςορίας ὠφεληθέντες ὕςερον ἐναντία τῶν πρώτερον μὴ καλῶς περὶ θεῶν δοξάντων αὐτοῖς ἀπεφήναντο. *Non enim aliquem veſtri, qui in Diodori unquam, & ceterorum qui de hiſce ſcripſerunt, hiſtoriam prorſus inciderit, latere arbitror & Orpheum, & Homerum, & Solonem, qui leges Athenienſibus tulit, & Pythagoram, & Platonem, & alios quoſdam, quum in Aegypto fuiſſent, Moyſis etiam hiſtoria adiutos iis contraria, quae prius de Diis recte non ſenſerant, eoſdem poſterius tradidiſſe.* A *Iuſtino Martyre* non diſſentit *Cyrillus Alexandrinus* qui *Lib. I. & II. adverſus Iulianum Auguſtum* Moſis ſcripta apud Aegyptios exſtitiſſe ſatis inſinuat, eoſque ſapientiſſimum Moſen in ore frequenter habuiſſe adſeverare non dubitat. Illud autem adeo verum viſum eſt *Auguſtino Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* XI. ut quum ſibi Platonem Ebraicas ſcripturas legiſſe perſuadere non poſſet, inficiari tamen auſus non ſit, eas in Aegypto id temporis adſervatas fuiſſe; immo idipſum tamquam ſuae diſputationis fundamentum praeſumit atque ſubponit.

CA-

CAPUT XIII.

Sacra Iudaeorum volumina etiam ab aliis gentibus habita.

ET quidem eo probabilius apud Aegyptios diſciplinis addictiſſimos, & Iudaeis finitimos, & cum iiſdem aſſidue converſantes, ſacri horum codices exſtitiſſe videantur poſſit, quod aliis etiam gentibus eadem innotuiſſe volumina, quaedam forte argumenta ſuadeant. Id enim ſatis indicare cenſeatur quod de Magis ad Chriſtum adorandum ex Oriente venientibus habet Evangeliſta: quamquam non diſſimulandum converſas in Graecam linguam tum temporis Scripturas fuiſſe. Sed ſi fuere Perſae, ut videtur *Clementi Alexandrino*, *Tertulliano*, & *Prudentio*; vel Arabes, ut *Epiphanio III. Adverſ. Haer. Tom. II.* aliiſque, veroſimilius eſt Graece eos eruditos non fuiſſe, ſed facile Ebraeam linguam intellexiſſe. *Arnaldus* tamen Abbas Bonae-Vallis *Sermone De Stella & Magis* opinatur Balaami vaticinium ab Ethnicis fuiſſe literis mandatum, & profanorum monumentorum libris inſertum. *Intimatum eſt ei* [*Herodi* ſcilicet] *quod ab antiquis temporibus Moabites Propheta, licet gentilis, praedixerat, & contulit cum literis gentium, ſanctorum vaticinia prophetarum;* in quam ſententiam ire etiam videtur *Ioh. Lomeier De Bibliothecis cap.* IV. Aethiopas quoque Iudaicas apud ſe ſcripturas habuiſſe, Aethiops ille, de quo ſcribit *Lucas in Actis Apoſtolorum*, Eunuchus, & gazae Reginae Candacis Praefectus, argumento eſſe poteſt. Qui quamvis Ebraicis myſteriis initiatus fuiſſe videatur, Hieroſolyma adoraturus enim acceſſiſſe dicitur; tamen id quod intendimus non minus probat. Nec quis obiiciat aetatis nimis ſerae eſſe haec exempla. Nam nulla ratio ſubeſt, cur magis coeleſtes literas hac aetate diverſis nationibus innotuiſſe credamus, quam vetuſtioribus temporibus. Si enim id ex Iudaeorum diſperſione evenit, quam remotis a Chriſti ortu ſaeculis iam per omnes fere gentes facta fuerit, certiſſima hiſtoria demonſtravimus. Quid quod & iſthuc ipſum ſuadere poſſe videntur diverſarum gentium ad Regem Salomonem legationes, & aſ-

ſidua commercia, quae *III. Regum* IV. & *II. Paralipom.* IX. memorantur, & de quibus quaedam iam tempeſtive praelibavimus? Quid quod loco decem Tribuum, Samariam deinde nationes barbarae ac diverſae incoluere, ut patet ex *Eſdrae Lib. I. cap.* IV. *verſ.* 9. 10. Conſulendus *Graveſonius Hiſtor. V. T.*

CAPUT XIV.

Orpheus, Muſaeus, Melampus, Daedalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Thales *in Aegyptum contendere. De* Thaletis *doctrina quaedam.*

IN Aegyptum igitur regionem diſciplinis, artibuſque liberalibus celebrem; religionibus myſteriiſque nobiliſſimam; viris, ſacerdotibuſque ſapientiſſimis frequentem, Graecos praeſertim homines fama & admiratio trahebat. Digna ſunt, quae heic deſcribantur, *Diodori* verba, quae libro eius *Bibliothecae I.* ita habent. Πολλὰ τῶν παλαιῶν ἐθῶν τῶν γενομένων παρ' Αἰγυπτίοις, ὐ μόνον παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις ἀποδοχῆς ἔτυχεν· ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς Ελλησιν ὐ μετρίως ἐθαυμάσθη. Διόπερ οἱ μέγιςοι τῶν ἐν παιδείᾳ δοξασθέντων, ἐφιλοτιμήθησαν εἰς Αἴγυπτον παραβαλεῖν, ἵνα μετάσχωσι τῶντε νόμων καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων, ὡς ἀξιολόγων ὄντων. *Multi priſci Aegyptiorum mores, non tantum ab indigenis probati fuere, ſed in magnam quoque apud Graecos admirationem venere: ob quod inter doctos celebratiſſimi quique peregrinationibus in Aegyptum operam dedere, ut legum illheic & ſtudiorum, tamquam rerum magni momenti, cognitionem adſequerentur.* Hic autem ipſe Hiſtoriographus tradit Graecos Aegyptum frequentare coepiſſe ſub Pſammiticho Principe, qui obiiſſe dicitur anno Periodi Iulianae MMMMXCVI. iuxta *H. Prideaux* calculos exactiores: illud tamen antea literis iam mandaverat *Herodotus Lib. II. cap.* XCIX. Huius ergo Regis humanitas, & ſingularis erga extraneos benevolentia eos maxime adlexit. Sed ante huius etiam Principis imperium ex antiquiſſimis *Orpheus, Muſaeus, Melampus, Daedalus* in illam conceſſiſse perhibentur, ut ex ſaepius laudato *Diodoro*, & *Euſebio Lib. X.* Προπαρ. *cap.* II. patet. *Orpheum* ex Moſe profeciſſe ſcribit *Artapa-*

Digitized by Google

tapanus apud eumdem *Euſebium Libro citati operis IX.* Heinc *Suidas* in Ὀρφεὺς, eum Moſi valde conſona dicere prudenter animadvertit, ſi tamen vera Orphei conſulta ad illius aetatem pervenere. Et profecto quaedam citat ex Orpheo *Timotheus Chronographus*, quae cum Moſe omnino conſentiunt. Ἦν, inquit, χάος νὺξ ζοφερὰ, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα. *Erat Chaos, & nox tenebroſa omnia occultans quae ſub aethere.* Ἡ γῆ ὑπὸ τοῦ σκότου ἦν ἀόρατος· τὸ δὲ φῶς ῥῆξαν τὸν αἰθέρα ἐφώτισε πᾶσαν τὴν κτίσιν. *Terra prae tenebris erat inconſpicua: ſed lux aethera perrumpens illuminavit omnem creaturam.* De Inferis Elyſiiſque fidem ex Aegypto pariter ad Graecos eumdem poëtam traduxiſſe teſtatur itidem *Diodorus I. Bibliothecae* volumine. Sed & *Lycurgus* Lacedaemoniorum legislator, qui ante Pſammitichum vixiſſe fertur, circa annum ſcilicet Per. Iulianae MMMDCCCXXXVIII. in Aegyptum profectus eſt, ut apud modo memoratum *Diodorum*, & *Plutarchum in Vita*, & *De Iſide, & Oſiride* videre eſt.

Homerus quoque, de cuius aetate tam varia & diverſa feruntur, ut videre eſt apud *Plutarchum De Homero*, & *Tatianum in Oratione*, quem de more deſcribit *Euſebius* ἐν Προπαρασκευῇ, & in *Chronico*, Aegyptios adiit, *Diodoro*, & *Iuſtino Martyre*, & *Euſebio* auctoribus: immo non deſunt qui eum Aegyptium fuiſſe dicant apud Alexandrinum *Clementem I.* Στρωματῶν, & *Chalcidium in Timaeum*, quamquam *Lucianus in Vera Hiſtoria* eum Babylonium facit. Poëta hic vetuſtiſſimus de providentia Dei egregie ſenſit, & e cauſſarum ordine fortunam ſapienter excluſit. *Fortunam Homerus*, ait *Macrobius Lib.V. Saturnaliorum cap.* XVI. *neſcire maluit, & ſoli decreto, quam* μοῖραν *vocant, omnia regenda committit: adeo ut hoc vocabulum* τύχη *in nulla parte Homerici voluminis nominetur.* Si autem fatum prudenter induxit, unde *Iliad.* ζ'. cecinit:

Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν
Οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.
Nemo adeo ſive ille malus, ſive eſt bonus, unquam
Natus homo, ſeſe potuit ſubducere fato.

liberam tamen hominis voluntatem, & αὐτεξούσιον non reiecit, ſed perſpicue ac diſerte commendavit, quare *Odyſſ.* α' Io-

Digitized by Google

vem ita ſuperos adloquentem inducit:

Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Quam falſo accuſant ſuperos, ſtultique queruntur
Mortales: quaſi nos tantorum cauſſa malorum
Simus, & excordes ſua non vaeſania laedat,
Et praeter fatum cogat tot ferre labores.

Id, quod omne *Plutarchus de Homero*, & *Euſebius Lib. VI.* Προπαρασκ. ſolerter animadvertunt. Vtrumque autem, Fatum ſcilicet, & hominis αὐτεξούσιον, quomodo concurrat, & ſibi invicem non repugnet, docte & acute diſſerunt *Auguſtinus Lib. V. De Civ. Dei cap.* VIII. IX. *& ſeq. D. Thomas I. I. Quaeſt.* CXVI. & *Iuſtus Lipſius L. I. De Conſtantia cap.* XIX. XX. *& ſeq.* An vero iſthuc ipſum facile ac expedite explicet *Chryſippus* ille, Porticûs fulcrum & columna, ex iis, quae refert *Gellius Lib. VI. Noct. Attic. cap.* II. coniectare eſt: *M.* quidem *Tullio Libro De Fato* ille in hac quaeſtione magis ſe intricare, quam expedire videtur. *Homerus* item de animorum immortalitate recte opinatus eſt, ut etiam *Plutarchus* libro laudato obſervabat; & aquam cum Iudaeis rerum initium fuiſſe exiſtimavit, unde illud *Iliad.* ξ.

Ὠκεανόντε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Θῆτιν
Oceanumque Deûm geneſin, Thetinque parentem.

quam quidem opinionem ab Aegyptiis illum didiciſſe ſcribit pariter *Plutarchus De Iſide & Oſiride*. Alibi vero non aquam ſolam, ſed terram etiam univerſitatis primordia ſtatuere videtur, ut *Iliad.* η. ubi *Menelaus* Graecos obiurgans, malaque iiſdem imprecans ait:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ, καὶ γαῖα γένοισθε.
Vos vero in terram cuncti redigamini, aquamque.

ſignificat enim diſſolutionem univerſi in principia ea, ex quibus ortum habet, ſi bene commentatur ſaepius laudatus Philoſophus Chaeronenſis. Verum eamdem de aqua rerum omnium origine ſententiam *Orpheus* multo ante Homerum amplexus fuerat. Eiuſdem autem Orphei veſtigiis inſiſtens iuxta ea, quae in Aegypto viderat, inferorum loca deſcripſit. Sed

ſuper

ſuper hoc audiendus eſt *Diodorus Lib. I.* qui, quum dixiſſet credulitatem, quam Graeci de Inferis habebant, ab Orpheo primum in Graeciam ex Aegypto traductam fuiſſe, ſubdit, τοῦ Ορφέως τοῦτο καταδείξαντος παρὰ τοῖς Ελλησι τὸν Ομηρον ἀκολούθως ταύτῳ θεῖναι κατὰ τὴν ποίησιν

> Ερμῆς δὲ ψυχὰς κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
> Ανδρῶν ἡρώων, ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσίν.

Εἶτα πάλιν προβάντα λέγειν

> Παρ' δ' ἴσαν Ωκεανοῦτε ῥοὰς καὶ λευκάδα πέτρην,
> Η δὲ παρ' ἠελίοιο πύλας καὶ δῆμον ὀνείρων
> Ηϊσαν· αἶψα δ' ἵκοντο ἀσφοδελὸν λειμῶνα
> Ενθάδε ναίουσι ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων.

Ωκεανὸν μὲν οὖν καλεῖν τὸν ποταμὸν διὰ τὸ τοὺς Αἰγυπτίους κατὰ τὴν ἰδίαν διάλεκτον Ωκεανὸν λέγειν τὸν Νεῖλον. Ηλίου δὲ πύλας τὴν πόλιν τὴν Ηλιουπολιτῶν, λειμῶνα δὲ νομίζειν καὶ τὴν μυθολογουμένην οἴκησιν τῶν μεταλλαχότων, τὸν παρὰ τὴν λίμνην τόπον τὴν καλουμένην μὲν Αχερουσίαν, πλησίον δὲ οὖσαν τῆς Μέμφεως, ὄντων περὶ αὐτὴν λειμώνων καλλίστων, καὶ λωτοῦ, καὶ καλάμου, ἀκολούθως δὲ εἰρῆσθαι καὶ τὸ κατοικεῖν τοὺς τελευτήσαντας ἐν τούτοις τοῖς τόποις διὰ τὸ τὰς τῶν Αἰγυπτίων ταφὰς τὰς πλείστας καὶ μεγίστας ἐνταῦθα γίνεσθαι, κτλ. *Id quum Orpheus cum Graecis communicaſſet, Homerum eius veſtigia ſecutum poemati ſuo inſeruiſſe,*

> *Heroumque animas Cyllenius evocat Hermes*
> *In manibuſque gerit baculum, qui fulgidus auro eſt.*

ubi progreſſus aliquantum addat,

> *Oceani veniunt undas, & Leucada rupem,*
> *Solis & ad portas, ubi ſomnia [gens vaga] regnant,*
> *Vlteriuſque adeunt viridantia prata, frequentant*
> *Quae manes, hominum vita ſimulacra carentum.*

Oceani nomen heic fluvio tribui, ſic enim lingua populari Nilum Aegyptiis nominari. Per ſolis portas Heliopolin intelligi. Pratum vero & defunctorum habitationem confictam, eſſe locum iuxta paludem, quam Acheruſiam vocant, prope Memphin; quam prata & ſtagna amoeniſſima cum Loti & Calami ſilvis circumdant. Nec abludere quod mortuos loca iſta incolere fingat; pleraſque enim & maximas Aegyptiorum funerationes iſtbic peragi &c. Sed quod nobis inprimis animadverſum velim eſt, *Home-*

merum ab Aegyptiis Sacerdotibus θεοφανείας accepiſſe, ut *Diodorus* laudato volumine adſeverat, adeoque ceciniſſe:

Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοί τε λαθόντες ἐπιστρωφῶσι πόληας
Ἀνθρώπων ὕβριντε καὶ εὐνομίην ἐσορῶντες.
Hoſpitibuſque Dei ſimiles aliunde profectis
Introeunt urbes variae ſub imagine formae,
Vt videant quae prava viris, quae iuſta gerantur.

Quod evidenter oſtendit Aegyptios Sace.dotes eorum, quae narrat Moſes, ignaros omnino non fuiſſe: unde & apud illos in ſuis monumentis quidam mille annos & ultra vixiſſe memo.antur, ut ex eodem *Diodoro*, *Manethone* apud *Ioſeph. Lib. I.* *Αρχαιολογ. cap.* xv. & *Plinio Lib. VII.* liquet. Quid doctrinae de tribus δημιουργοῖς principiis *Homerus* contuliſſe videatur, ſubindicat *Plato in Gorgia*, ſi *Proculo Lib. I. in Theol. Plat. cap.* v. credere dignum eſt.

Quanta vero *Solon* [hic anno Per. Iulianae MMMMCXX. vivebat, & in Aegyptum profectus eſt quum multi Iudaeorum regionem illam incolerent, ut obſervat *Euſebius Lib. X.* *Προπαρασκ. cap.* II.] ab Aegyptiis Prophetis, & a praeceptore *Sonchite* Saita acceperit, duo Platonis dialogi, *Timaeus*, & *Critias* luculenter oſtendunt. *Cleobulum* autem, in eamdem regionem peregrinatione ſuſcepta, Aegyptiorum diſciplinis imbutum fuiſſe exploratae fidei eſt. *Pherecides* Syrius, qui anno Per. Iulianae MMMMCLXXVII. floruit, Aegyptios pariter convenit, quod *Ioſephus I. contra Apionem* refert. Hic in Phoenicum etiam ſtudiis multum verſatus eſt, quum, *Heſychio* & *Suida* auctoribus, reconditos Phoenicum libros ſibi comparaviſset; nec falſorum Deorum cultor fuit, & primus a quibuſdam, qui de animorum immortalitate diſputaverit, habitus eſt.

Thaletem quoque Mileſium in Aegyptum conceſſiſſe ſcribit citato libro *Ioſephus*, & *Plutarchus I.* [ſi tamen hoc opus *Plutarchi* eſt] *De Placitis cap.* III. qui eum ibidem diu verſatum fuiſſe ait, quemadmodum & *Laërtius in Vita*. Id autem contigit quum iam ſenex eſſet, & poſtquam Aſiam Phoenicenque luſtraſſet. Immo eum *Leander*, & *Herodotus* Phoenicem fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe adfirmant. Obiit *Thales* anno Per. Iulianae MMMMCLXVII. nonaginta & duos annos natus. Iam non mirum ſi tam multa *Thales* in ſua decreta Moſaicis placitis conſona tranſtulit. Nam & Chaos, ſeu rerum materiam aquam eſſe dixit, ut videre eſt apud *Ariſtotelem I.* τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, *Ciceronem I. De Natura Deorum*, *Plutarchum De Placitis*, *Laërtium*, & *Stobaeum:* quo referenda verba illa *Plutarchi* in Libro *Ignis an Aqua utilior*, ubi producto Heſiodi loco:

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ'.

Cunctorum primum Chaos extitit,

addit: *Maior pars Phyſicorum antiquiſſimorum aquam Chaos adpellavere, voce derivata* παρὰ τῆς χύσεως *ab effuſione*. Sed & *Ariſtoteles I. Metaphyſ.* ſcripſerat, quum de Thalete locutus eſſet: εἰσὶ δέ τινες οἱ καὶ τοὺς παμπαλαίους, καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως, καὶ πρώτους θεολογήσαντας, οὕτως οἴονται περὶ τῆς φύσεως διαλαβεῖν. Ὠκεανόντε γὰρ καὶ Θέτιν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας, καὶ τὸν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ, τὴν καλουμένην ὑπ' αὐτῶν στύγα τῶν ποιητῶν. *Sunt autem quidam qui etiam antiquiſſimos illos, & nimis a praeſenti generatione remotos, & primos theologiſſantes ſic arbitrantur de Natura ſenſiſſe. Oceanum namque & Thetin generationis parentes eſſe cecinerunt. Iuſiurandum quoque Deorum aquam eſſe, Stygem a Poëtis adpellatam*. Quapropter etſi forte dici poſſet ab Heſiodo & Homero hanc ſententiam *Thaletem* derivaſſe, ut & ipſe innuere viſus eſt poëtarum principem advocans ad ſuam opinionem confirmandam, *Plutarcho & Iuſtino Martyre* teſtibus; tamen id ab eo fieri potuit, quod amaret exoticam & peregrinam ſententiam Graecis etiam teſtimoniis & auctoritatibus comprobare. Quin & *Orpheum* adlegare potuiſſet, ſi quae ſub Orphei nomine apud *Athenagoram* leguntur:

Ἐκ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη

Ex aqua genitum lutum.

Et apud eumdem *Athenagoram*, & *Iuſtinum* ἐν Παραινετικῷ.

Ὠκεανὸς, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Oceanus, qui dat cunctis primordia rebus.

pro genuinis Orphei foetibus haberi poſſent. Orphica enim quae circumferuntur Piſiſtrati aevo vetuſtiora non ſunt, ut *Huetius* quoque *Demonſtrat. Evang. Prop. IV. cap.* 1. *verſ* 3. animad-

madvertit. Eorum autem auctor vel *Onomacritus* Athenienſis fuit, ut habet *Tatianus contra Gentes*, & *Clemens I.* Στρωματ. vel *Cercops* quidam, ut adſerit *Ariſtoteles* apud *Ciceronem I. De Natura Deorum*. Itaque dicendum eſt cum *Plutarcho De Iſide & Oſiride* huiuſmodi opinionem ab Aegyptiis Thaletem accepiſſe, niſi arbitrari lubeat eamdem illum deduxiſſe a Phoenicibus, quum ſimile conſultum apud eos invaluiſſet, ut ex *Pſeudo-Sanchoniathone* apud *Euſebium Lib. I.* Προπαρασκ. *cap.* x. perſpectum habemus. Quod quidem confirmari videtur ex eo, quod *Zeno*, quum e Phoenicibus eſſet, quorum Colonia Cittium in Cypro eſt, *Laërtio in Zenone* auctore, quare *Phoenix* apud *Suidam* adpellatur, & *Ciceroni IV. De Finibus Poenulus* dicitur, paria ſenſit. Scholiaſtes enim *Apollonii* ad illud eiuſdem poëtae.

. . . . ἐξ ἰλύος ἐβλάστησε
Χθὼν αὐτή . . . .
. . . . *Edita limo*
Tellus ipſa fuit . . . .

ita ſcribit: Ζήνων τὸ παρ' Ησιόδῳ χάος ὕδωρ εἶναί φησιν, ἐξ οὗ τὰ πάντα γίνεται, οὗ συνιζάνοντος ἰλὺν γενέσθαι, ἧς πηγνυμένης ἡ γῆ στερεοῦται. *Zeno Chaos illud apud Heſiodum aquam eſſe dicebat, unde fiunt omnia, ea ſubſidente, factum limum, limo concreto, terram ſolidatam*. Haud tamen facile recipiendum crediderim quod *Edm. Dickinſonus* opinatur, Moſen ſcilicet dum exul in Madiana ageret, ad Phoenices excurriſſe, & ibi apud Sidonios de rerum principiis, & naturalibus cauſſis diſſeruiſſe. Et quidem ante laudatum *Dickinſonum Theodoretus, Ioh. Arcerius, & Seldenus* Moſen & Moſchum Sidonium unum eumdemque eſſe cenſuerant, & ratio temporum congruit, eiſque doctiſſimus *Huetius* in ſua *Demonſtratione Evangelica* libenter adſtipulatur *Propoſ. IV. cap.* 1. *num.* 8. quod tamen nos in medio relinquimus. Sed quod forte inſinuare poſſit eiuſmodi opinionem a Moſe, & Iudaeis in alias gentes defluxiſſe, eſt *Numenii* Pythagorei apud *Porphyrium De Nympharum Antro* locus, ubi ipſa Moſis verba pro hac ſententia adlegavit, ait enim τὸν προφήτην εἰρηκέναι ἐμφέρεσθαι ἐπάνω τοῦ ὕδατος τοῦ Θεοῦ πνεῦμα, *dixiſſe Prophetam Dei ſpiritum ſupervectatum aquis*. *Megaſthenes* autem

apud

Digitized by Google

apud *Strabonem Lib. XV.* Indos quoque Philoſophos ait mundi primordia aquam eſſe cenſuiſſe, nam iis, & Iudaeis communem doctrinam tribuere videtur idem auctor apud *Clementem Alexandrinum Lib. I. Stromatum*. Eam ſententiam nec Scythis quidem ignotam fuiſſe, ex iis quae *Iuſtinus Lib. II.* habet, intelligere eſt. Non mirum autem eſſe, ſi ad Phoenicas, utpote Iudaeis conterminos, multa horum decreta profluxere, animadvertit etiam *Theodoretus Θεραπευτ. Serm. I.* De commercio autem & amicitia Phoenicum cum Iudaeis ex ſacrarum literarum oraculis conſtat *III. Regum cap. V. II. Paralip. cap.* II. & *II. Eſdrae cap.* XIII. 16. *Hiram* vero Tyri regem Salomoni literas ſcribere ſolitum fuiſſe, eique aenigmata reſolvenda proponere, & viciſſim hoc ipſum a Salomone factitatum, *Dius* & *Menander* apud *Ioſephum Lib. VIII. Antiquit. cap. II.* teſtantur, quamquam Epiſtolae, quas *Ioſephus* refert, pro apocryphis habendae ſunt. Porro, quum Tyrum civitatem opulentiſſimam mercaturae gratia populi undique gentium adcurrerent, ut ex *Ezechielis cap.* XXVII. liquet, facile Phoenicum dogmata in aliarum quoque nationum cognitionem deveniebant. Immo Phoenices ipſi per totum ferme terrarum orbem diſperſi erant, non tantum quia inclyti mercatores, & negotiatores ditiſſimi fuere, ut *Eſaias cap.* XXIII. luculente enunciat; ſed etiam quia in regiones quaslibet colonias deduxerant, ut late non minus quam erudite oſtendit doctiſſimus *Bochartus* in *Phaleg*; quare eos Pelargos primum a Graecis adpellatos fuiſſe *Myrſilus* apud *Dionyſium* Halicarnaſſenſem *Lib. I.* ait, quod τῶν ὀρνέων τοῖς καλουμένοις πελαργοῖς εἰκασθέντες καθ' ἀγέλας ἐφοίτων εἴς τε τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὸν Βάρβαρον. *Quadam alitum Pelargorum* [Ciconiarum] *ſimilitudine, agminatim oberrarent per Graecas regiones, & Barbaras*: quumque eos pateat multis gentibus primos literaturam adtuliſſe, cur dubitemus ſua etiam placita, & mores, una cum illa pariter communicaſſe, quae deinde in alios populos tractu temporis diverſa propagatione dimanaverint? Lubet heic exſcribere quae habet *Edm. Chishull* in *Antiquitatibus Aſiaticis* ad Inſcriptionem Sigeam *cap.* XV. *Sed revocat*, inquit, *nunc calamum properantem, & neſcio qua animum dulcedine perfundit, veneranda illa origo, & ſucceſſio*

ceſſio literarum. Sexaginta ſcilicet ante tempora Troiana annis Latinae a Pelaſgis, & Arcadibus, utriſque gente Aeolibus, domo patriaque profugis, ad Vmbros & Aborigines, alioſque tum Italiae populos, ſunt deductae. Graecas centum & quinquaginta annis ante Pelaſgorum exitum, aut Cadmus, aut Cadmei certe Phoenices Graeciae tum indigenis Aeolibus & Ionibus tradidere. Cadmeis eo tempore Phoenicibus eaedem fuere literae, quae & Samaritis poſtea Iſraeliticis fuerunt: Samaritis eaedem quae & Iudaeis ipſorum fratribus ad aſportationem uſque Babylonicam: Iudaeis nondum aſportatis eaedem quae & Pentateucho Moſis: Pentateucho, ut fas eſt credere, eaedem quae lapideis legis tabulis, Dei ipſius digito inſcriptis. Pulcra ex his concluſio, & praeclara eluceſcit; ab iiſdem ſacris fontibus literaturam fluxiſſe, & religionem. Sed ut ad *Thaletem* revertamur, hic noctem aiebat una prius exſtitiſſe die, *Laërtio Diogene* auctore, quam creationis circumſtantiam *Orpheus* quoque obſervavit & *Heſiodus*, eademque vigebat apud Aegyptios opinio, ut *Plutarchus IV. Sympoſ. cap.* v. adſeverat. *Moſes* autem ſcripſerat: *Et tenebrae erant ſuper faciem abyſſi*. Haec cauſa fuit computandorum a Germanis, Gallis, Numidis, & Athenienſibus per noctes temporum, ut ex *Tacito De Mor. German. Caeſare de Bello Gallico VI. Nicolao Damaſceno apud Stobaeum Serm. XLII. Gellio Lib. III. cap.* II. *Cenſorino De Die Natali cap.* XXIII. *Varrone apud Macrob. Lib. I. Saturnaliorum cap.* III. liquet. Quod autem *Ariſtoteles I. Metaphyſ. & Seneca VI. Quaeſt. Natural.* tradunt, Thaletem videlicet infimum locum aquis adſignaſſe, & terram iis velut innatantem conſtituiſſe, a Iudaeorum philoſophia forte non diſcrepat. *Pſalmo* enim CXXXV. v. 6. legitur: Τῷ στερεώσαντι τὴν γῆν ἐπὶ τῶν ὑδάτων. *Qui firmavit terram ſuper aquas*. Et *Pſalm.* XXIII. Αὐτὸς ἐπὶ θαλασσῶν ἐθεμελίωσεν αὐτήν· καὶ ἐπὶ ποταμῶν ἡτοίμασεν αὐτήν. *Ipſe ſuper maria fundavit eum* [orbem terrarum ſcilicet] *& ſuper flumina praeparavit eum*. Mundum quoque unicum eſſe ille adfirmavit, *Plutarcho* in *Placitis* teſte aſſiduo, qui quidem & pulcerrimus a Deo conditus ſit, & eius aeterna providentia ſapientiſſime regatur, ut ex *Laërtio & Stobaeo Eclog. Phyſic. cap.* VIII. oſtendere eſt. Sed de Philoſophorum cum Ebraeis in eo, quod Mundi Syſtema reſpi-

Digitized by Google

reſpicit, conſenſione, conſulendus eruditus *Calmetius Diſſert. De Mundi iuxta veteres Iudaeos Syſtemate*. De Divina pariter natura recte ſenſit Thales. Rogatus enim, Quid ſit Deus? τὸ μήτε ἀρχὴν, inquit, μήτε τέλος ἔχον. *Id quod neque habet principium, neque finem*. Quum autem rogaſſet eum alius, An Deum lateat homo aliquid agens? Καὶ πῶς, inquit, ὅσγε οὐδὲ διανοούμενος. *Et quomodo, qui ne cogitans quidem*? ut apud memoratum *Laërtium* & *Clementem Alexandrinum* videre eſt. *Cicero* autem *L. II. De Legibus* Thalete auctore homines exiſtimare oportere ait, omnia quae cernuntur, Deorum eſſe plena, quod latius expedit *Plutarchus De Placitis*, *&* *Athenagoras*, & quod quidem ante Thaletem Graecis, ut *Heſiodo*, innotuerat, & Angelorum Daemonumque naturam manifeſte ac dilucide inſinuat. Id autem omne quam Iudaeorum placitis conſonum ſit quis non videat?

CAPUT XV.

Pythagoras *quoque in Aegyptum, Aſſyriam, aliaſque regiones peregrinatus eſt. De eius doctrina quaedam.* Pherecydes *itidem Syrius, &* Thales *Mileſius, &* Democritus *Chaldaeos convenere. De Chaldaeorum placitis nonnulla.*

SEd omnium, qui Aegyptum peragravere, nominatiſſimus *Pythagoras* eſt. Hic Pherecydis diſcipulus, quum iam Phoenicen luſtraſſet, & Sidone cum Moſchi Phyſiologi ſucceſſoribus congreſſus fuiſſet, Tyrique Chaldaeis commendatus, eorum diſciplinis operam ibidem navaſſet [ſi minus *Neanthi* adhaerendum, qui eum Tyrium fuiſſe dicit apud *Porphyrium in Vita*, & *Clementem I.* Στρωμ. & *Theodoretum Serm. I.* Θεραπ.] Sacris quae in diverſis Syriae partibus celebrabantur initiatus, ut *Iamblichus in Vita* tradit, in Aegyptum anno Periodi Iulianae MMMMCLXVII. profectus eſt. Eum viginti duos annos cum Aegyptiis verſatum eſſe, laudatus *Iamblichus* ſcribit. Illius autem regionis linguam didiciſſe *Valerius Maximus Lib. VIII. Memor. cap.* VII. literis mandavit his verbis

bis uſus: *Et literis gentis eius adſuefactus praeteriti aevi ſacerdotum commentarios ſcrutatus innumerabilium ſaeculorum obſervationes cognovit*. *Diogenes* etiam apud Porphyrium, cui & *Antiphon* ſuffragatur, prodit, Pythagoram dum vixit in Aegypto cum Sacerdotibus, & ſapientiam & linguam Aegyptiorum perdidiciſſe, atque triplex literarum genus, Epiſtolicum ſcilicet, Hieroglyphicum, & Symbolicum. Quare Prophetas & Sacerdotes, quibus eſt uſus, in ſui amorem admirationemque, ut ait *Iamblichus*, excitans, eorum auxilio omnium rerum adcuratam hauſit cognitionem, neque praetermiſit ſive virorum eius temporis ſapientia celebratorum, ſive initiorum quomodocumque cultorum notitiam; nec loca inviſere neglexit, in quibus ſe inventurum aliquid ſingulare putavit. Heinc ut ei adyta ſubire fas eſſet, & myſticam Aegyptiorum philoſophiam addiſcere, circumciſus etiam fuiſſe traditur a *Clemente Alexandrino I. Στρωματῶν*, qui eius quoque magiſtrum ait fuiſſe *Sonchidem* Archiprophetam: quamquam hunc *Plutarchus De Iſide & Oſiride Oenuphin*, Heliopolitam adpellat. Multos Iudaeorum, quum in Aegyptum *Pythagoras* conceſſit, eam regionem incoluiſſe, ex iis, quae ſuperius opportune docuimus, patet. Iis autem illum ibidem congreſſum fuiſſe ſcribit *Theodoretus II. Θεραπ.* Quum vero *Cambyſes* Perſarum rex Aegypto potitus eſt, & inde multa hominum millia Suſa tranſtulit, *Pythagoras* quoque, qui id temporis in Aegypto verſabatur, ab ipſius militibus captus, Babylonem abductus fuit, ut memoriae prodidit in vita *Iamblichus*, qui & cum Magis ibidem converſatum fuiſſe perhibet. Addit vero alter Pythagorae vitae ſcriptor *Malchus*, ſive *Porphyrius*, eum Babylone & cum aliis Iudaeis verſatum fuiſſe, & *Zabratum* etiam quemdam adiiſſe, ab eoque priſtinae vitae ſordibus fuiſſe expurgatum. Is *Nazaratus* ille Aſſyrius fuiſſe putatur, quem *Alexander ἐν τῷ περὶ πυθαγορικῶν συμβόλων*, Pythagorae fecit magiſtrum, aliique nonnulli *Ezechielem* fuiſſe perperam opinati ſunt, ut laudatus *Clemens* in *I. Stromatum* volumine retulit. Huic tamen opinioni temporum ratio non reſiſtit, ut *Seldenus* recte animadvertit. Babyloniorum autem Iudaeorum conſuetudine Pythagoram fuiſſe uſum, argumento fuerit quod eorum dogmata

mata compluria in ſuam Philoſophiam traduxerit, ut *Hermippus* ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ πυθαγόρου βιβλίων a *Ioſepho Lib. I. contra Apionem*, & ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ab *Origene Lib. I. contra Celſum* citatus, diſerte teſtatur. *Hermippi* verba apud Ioſephum de praeceptis Pythagorae & inſtitutis loquentis ita habent: ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε καὶ ἰουδαίων, καὶ θρακῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν. quod & *Ariſtobulus* apud Clementem *Lib. I.* Στρωμ. confirmat. Nulla autem ratione ſubfulti quidam non ἰουδαίων, ſed ἰδαίων legendum eſſe apud Hermippum ſubſpicantur. Sed cum Ebraeis congreſſum fuiſſe Pythagoram in illius Vita ex Diogene ἐν τοῖς ὑπὲρ Θύλην ἀπίστοις, *De incredibilibus ultra Thulen* nos docet, ut diximus, expreſſe *Porphyrius*, a quibus, & ſomniorum interpretationem didiciſſe ait. Fruſtra vero pariter nonnulli ſunt qui & hunc Porphyrii locum corruptum, aut interpolatum eſſe pertendunt. Duodecim annis cum Chaldaeis *Pythagoras* verſatus eſt, quem & ad Brachmanas contendiſſe *Alexander*, & *Apuleius* tradunt, ſicut & in Arabiam *Diogenes* apud memoratum Porphyrium. Iam mirari ſubit, quod *Lactantius Firmianus Lib. IV. De Divin. Inſtit. cap.* 11. Iudaeos conveniſſe Pythagoram adfirmare neget: ſed forte is ſignificare voluit illum in Iudaeam non eſſe profectum.

Non mirum tamen heinc fuerit, ſi ut *Heraclitus* Phyſicus apud Laërtium ait, hiſtoriarum *Pythagoras* prae aliis omnibus peritus fuit, veterumque ſcripta evolvens, inde ſuam ſapiêntiam, polymathianque conlegit. In eius doctrina ex Orientalibus derivatum fuiſſe alicui fortaſſe videatur, quod ternarium numerum tanquam primum perfectum maxime ſubſpiceret, eumque primam & propriam unitatum coacervationem eſſe adfirmaret. *Pythagorici*, ait *Servius* ad Eclogam VIII. *ternarium numerum perfectum Deo adſignant*. Unde non abit, quod de iiſdem Pythagoricis habet *Ariſtoteles I. De Coelo* ipſo initio. Numerum item ſenarium perfectum & abſolutum eſſe ſtatuebat, creationem Mundi ex ſententia Prophetae veneratus, ut videtur *Clementi Alexandrino* librorum, quos Στρωματέας inſcripſit, VI. Quare illum *formam formae*, & *univerſi articulationem*, & *mundum*, & *animae effectorem*, & *nuptias*, & *jugalem*, & *inlecebram vel conciliationem* Pythagorei adpellabant.

bant. Heinc forte & *Auguſtinus* cum Libris *De Geneſi ad Literam*, tum operoſis quidem & literarum plenis *De Civitate Dei* voluminibus multa de huius numeri perfectione & laudibus acute ſubtiliterque commentatur. Haec autem ſenarii numeri laus & aeſtimatio ex Aegyptiis ad Pythagoram profluxiſſe videtur, ſi *Macrobio* fides *VII. Saturnal. cap.* XIII. Septenarium quoque numerum rebus ſacris maxime convenire Pythagoras opinatus eſt, quare ἑπτὰς dictum exiſtimabat, quaſi σεπτὰς, σεβασμοῦ ἄξιος, ut ſcribit *Nicomachus* apud Photium, & *Philo* περὶ κοσμοποιΐας; quod quidem cum Ebraeorum placitis mire congruere deprehenditur, ut coeleſtes literas evolventi ſtatim elucet; quamobrem de eius numeri laudibus & praeſtantia tam multa reperire eſt apud *Philonem*, *Cyprianum Martyrem*, *Clementem Alexandrinum*, *Euſebium*, *Baſilium*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, alioſque Eccleſiaſticos Scriptores. Non diſſimulandum tamen in iis, quae de numeris docuit *Pythagoras*, in quibus certe prolixior fuit, *Orphei* etiam veſtigiis inſtitiſſe videri poſſe, ut ex *Iamblicho in Vita* intelligere eſt. *Pythagoras* homines conloquio Deorum meliores evadere dixit, bonorumque finem Deo ſimiles effici ſtatuebat. Quod Deum adtinet, unum illum eſſe adfirmavit, ut ex *Iuſtino in Paraenetico* conſtat, & rerum univerſitatem mirabili providentia regere ac procurare, quod *Iamblichus & Laërtius* produnt. Poſt ſummum Deum tres eorum, quae tantum ſub intelligentiam cadunt, ſpecies conſtituebat, Deos videlicet, Daemonas, & Heroas, ut ex *Laërtio*, *Iamblicho*, & *Aureis carminibus* comprehendere eſt. Hoc a Chaldaeis quidem accipere potuit, quemadmodum & illud accepiſſe ex *Porphyrio* novimus, quod effabatur, Deum ἐοικέναι τὸ μὲν σῶμα φωτὶ· τὴν δὲ ψυχὴν ἀληθείᾳ, corpore luci, animo autem veritati ſimilem eſse, quem ſolum ſapientem dicebat, ut apud *Laërtium* & *Porphyrium* legimus; & quem neque ſenſui, neque paſſioni obnoxium, ſed inadſpicuum, & qui intelligentia tantum perciperetur, eſſe perſeverabat, *Chaeronenſi Plutarcho in Numa* auctore: id quod etiam amplius inſinuavit illo Symbolo: Θεῦ τύπον μὴ ἐπίγλυφε δακτυλίῳ. *Dei formam annulo ne inſculpito*. Scilicet, ut *Iamblichus* exponit, philoſophare, & ante omnia Deos ducito incor-

corporeos eſſe, quod ſaepe a nobis laudatus *Clemens* confirmat. Quae mihi in mentem revocant ea, quae habet *Tacitus V.* Hiſtoriarum ita ſcribens: *Iudaei mente ſola, unumque numen intelligunt. Profanos, qui Deûm imagines, mortalibus materiis, in ſpecies hominum effingant. Summum illud & aeternum, neque mutabile, neque interiturum.* Sed & Exemplar rerum omnium intelligibile, ſive Ideam, Mundi item animam admiſiſſe, vel ex *Timaei* Libro, qui a Proculo ſervatus temporis iniuria non intercidit, & cui titulus eſt περὶ τᾶς ψυχᾶς κόσμω καὶ φύσιος, ſatis ſuperque conſtare poteſt, & partim *Laërtius Diogenes* adſeverat. Quare de tribus δημιουργοῖς principiis doctrinam, Pythagoricam quoque fuiſſe diſerte ſignificat *Iamblichus* apud *Proclum Lib. II. in Timaeum*, & *Euſebius Caeſarienſis Lib. XIV.* Προπαρασκ. *cap.* 11. Ideam autem Pythagorici λόγον etiam adpellare conſueverunt, ut ex *Epicharmo* ἐν πολιτείᾳ apud *Clementem Alexandrinum Lib. V.* Στρωματ. conligere eſt. Mundum itaque a Deo conditum fuiſſe Pythagoras ſapienter exiſtimavit, & interitui quidem, quantum ad eius naturam, obnoxium, nunquam tamen interiturum Dei providentia ſervatum, ut ex laudato *Timaei Libro*, & *Plutarcho De Placitis Philoſophorum* elucet. Quam docte autem ac perite de animorum aeternitate ſenſerit, magis notum eſt, quam ut commemorare opus ſit. Eos opificium aeterni Dei eſſe dixit, & opinione περὶ μετεμψυχώσεως Chaldaeos, & Aegyptios imitatus eſſe videtur. Heic in memoriam revocare oportet, quod apud *Clericum Pneumatolog. Sect. II. cap.* 1. legitur: *Platonici ac Pythagorici omnia dicuntur Chaldaeis debere.*

Non ſolus tamen Pythagoras Chaldaeis congreſſus eſt, ſed & eius praeceptor *Pherecydes*, qui, ut iam diximus, comparatis ſibi Phoenicum libris, multa ac ſublimia ſine praeceptore didicerat, & *Thales* Mileſius Babyloniorum terram peragravere, ut *Ioſeph. Lib. I. contra Apionem* auctor eſt. *Democritus* quoque, cum in Aegyptum ad Sacerdotes Geometriae diſcendae cauſa, quod teſtibus Demetrio & Antiſthene adlegatis *Diogenes Laërtius* prodit, tum in Perſiam ad Chaldaeos, atque ad mare rubrum profectus eſt. Sed & cum Gymnoſophiſtis in India verſatum, & peregrinatum in Aethiopiam va-

riam illarum gentium ſapientiam didiciſſe, ſunt qui adfirment. Totos quidem LXXX. annos peregrinationibus conſumſiſſe certum & exploratum eſt. Adeundi *Laërtius in Vita*, *Aelianus L. IV. var. biſt. cap.* XX. *Plinius Lib. XXV. cap.* 11. *& Lib. XXX. cap.* 1. *Euſebius X.* Προπαρ. *cap.* 11. *Clemens Alexandrinus* 1. Στρωμ. & *Suidas*. *Laërtius* quoque ſcriptum reliquit a nonnullis perhiberi Democritum περὶ τῶν ἐν βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων *De Sacris in Babylone literis* librum exaraſſe, quem certe librum *Clementem Alexandrinum I. Strom.* reſpicere veroſimile eſt. Δημόκριτος γὰρ, inquit, τοὺς βαβυλωνίους λόγους ἠθικοὺς πεποίηται· λέγεται γὰρ τὴν Ἀκικάρου στήλην ἑρμηνευθεῖσαν τοῖς ἰδίοις συντάξαι συγγράμμασι. *Democritus Babylonios ſermones doctrinam morum concernentes, literis conſignavit: dicitur enim ſcriptis ſuis ſententias Pyramidis Acicari* [ſeu, ut legit *Strabo*, *Achaicari*] *inſeruiſſe*. Item περὶ τῶν ἐν μεροῇ ἱερῶν γραμμάτων. *De bis quae ſunt in Meroe ſacris literis*. *Chaldaicus Sermo* pariter, & *Sermo Phrygius* eius libri eſſe feruntur. *Plinius Lib. XXX. cap.* 1. ſcribit a Democrito *Apollobechem* Coptiten, & *Dardanum* e Phoenice inluſtratos fuiſſe, & huius quidem volumina ex eius ſepulcro petiiſſe, ſua autem ex eorum edidiſſe diſciplina. At non defuere qui hos libros *Democrito* abiudicarent, ut apud eumdem *Plinium* videre eſt, inter quos etiam *Diogenes Laërtius* recenſendus. Non tamen inficiandum videtur de Atomis doctrinam, quidquid *Burnettus in Archaeologia Philoſophica*, & *Baelus in Dictionario Critico* reclament, ex Phoenicibus originem traxiſſe. Quamquam enim *Cicero* auctorem huius de Atomis ſententiae Democritum uno loco facit, alio Leucippo eum honorem adſerit, addens in hoc ſimilem eum Leucippo fuiſſe, in reliquis uberiorem, ut *Libro De Fato*, & *IV. Quaeſt. Academ.* videre eſt; tamen eiuſmodi inventum *Moſcho* Phoenicio *Poſidonius* tribuit, quem ante bellum Troianum vixiſſe adfirmat *Strabo Lib. XVI.* & a quibuſdam cum Moſe confundi ſupra tempeſtive animadvertimus. Sed a Pythagora forte id Eleatici accepere, quae *Ariſtotelis* ſententia eſſe videtur *III. De Coelo*. Atque heinc eſſe credere par eſt, quod Pythagorica *Monadum* adpellatione Atomos *Automedon* deſignaverit *Lib. I. Anthologiae XV.* Sed de huius opinionis ex Phoenicibus Ebraeiſque origine videantur

Diſ-

Digitized by Google

Diſſertationes *Gotfridi Olearii* a nobis etiam inferius laudandae. *Democritus* item homines ex aqua & limo primum genitos fuiſſe adfirmavit, ut auctor eſt *Cenſorinus De Die Natali cap.* IV. quod Phoeniciae Philoſophiae conſonare deprehenditur. Homines quoque eſſe revicturos huic eidem Philoſopho perſuaſum fuiſſe ſcribit *Plinius Lib. VIII. cap.* LV. *Similis*, inquit, *& de adſervandis corporibus hominum, ac reviviſcendi promiſſa a Democrito vanitas, qui non revixit ipſe.*

Sed quia nonnulla iam de Chaldaeorum doctrina nos ſuperius opportune praelibaſſe meminimus, nunc alia quaedam eiuſdem commemorare fert animus, ut magis atque magis ſemper eluceat, unde Graeci ſapientes pleraque conſulta deduxerint, & ea, quae in huius voluminis decurſu a nobis adferuntur, vero eſſe quamſimillima dignoſcantur. Deum igitur unum ac ſummum a Chaldaeis creditum fuiſſe luculentus auctor eſt ſcriptor *Brevis Explanationis dogmatum Chaldaicorum*. *Vnicum*, inquit, *arbitrantur rerum omnium principium, idque profitentur unum eſſe & bonum*. Deus autem ſecundum Magos & Chaldaeos, ut ex *Porphyrio* in *Vita Pythagorae* cognoſcere eſt, *corpore ſimilis eſt luci, animo veritati*. Quare illum Perſae אוראמזא *Oromazen*, hoc eſt, *ignem ſplendentem* adpellaverunt. Et *lucem* a Chaldaeis dici, eruditiſſimus *Euſebius* adteſtatur. Eodem ſenſu Deum vocabant *Ignem*, nam, quum אור *Or*, vel *Our*, Chaldaice ſignificet *lucem* & *ignem*, promiſcue horum vocabulorum ſignificata ſumebant, quaſi *lux* & *ignis* idem ſint. Sic in Iudaeorum quoque literis Deus Moſi in flamma ignis adparet; mox inter fulgura & coruſcationes in Sinai leges illi, populoque praeſcribit; nunc ignis conſumens dicitur, nunc amictus lumine tamquam veſtimento praedicatur, id quod etiam doctiſſimus *Clericus in Indice Philologico Hiſtor. Philoſ. Orientalis Stanleii* in voce *Oromazes* animadvertebat. Quod ſi Perſicum dogma, ut oſtendimus, ex Chaldaeorum ſapientia defluxit, Chaldaicam de Deo opinionem ex Magorum etiam documentis conſequenter adgnoſcere erit. *Zoroaſter* igitur Magus in ſacro Perſicorum rituum commentario haec totidem verbis habet, ut apud *Euſebium Lib. I.* Προπαρ. *cap. ult.* legitur. Ὁ δὲ θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος. οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος ἄφθαρτος, ἀΐδιος, ἀγέννη-

τος, ἀμερὴς, ἀνομοιότατος, ἡνίοχος παντὸς καλοῦ, ἀδωροδόκητος, ἀγαθῶν ἀγαθώτατος, φρονίμων φρονιμώτατος. ἔστι δὲ καὶ πατὴρ εὐνομίας, καὶ δικαιοσύνης, αὐτοδίδακτος, φυσικὸς, καὶ τέλειος, καὶ σοφὸς, καὶ ἱεροῦ φυσικοῦ μόνος εὑρετής. *Deus*, inquit, *eſt accipitris capite* [quod quidem ἀλληγορικῶς intelligendum venit] *hic eſt primus*, *incorruptibilis*, *aeternus*, *ingenitus*, *ſine partibus*, *omnibus aliis diſſimillimus*, *moderator omnis boni*, *donis non capiendus*, *bonorum optimus*, *prudentium prudentiſſimus*, *legum*, *aequitatis*, *ac iuſtitiae parens*, *ipſe ſui doctor*, *phyſicus*, *& perfectus*, *& ſapiens*, *& ſacri phyſici unicus inventor*. Deorum quoque & Daemonum varios ordines, ut ſuperius etiam ſubindicavimus, Chaldaei conſtituerunt, & Daemonum alios quidem bonos, alios autem malos eſſe dixere, ut ex *Pſello* diſcere eſt. Animarum quoque προΰπαρξιν, earumque vehicula, & immortalitatem Chaldaei, Magique credebant, quin & mortuorum reſurrectionem fore, *Laërtio in Prooemio ex Theopompi Philippicorum VIII. & Eudemii Rhodii* adſertione teſte aſſiduo, dum ſcribit ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους, *revicturos ſecundum Magos homines*, *& futuros immortales*. Id quod & Democrito dehinc placuiſſe notavimus, quare non omnino vere fortaſſis *Sept. Tertullianus De Praeſcriptionibus* ſcripſit: *Et ut carnis reſtitutio negetur*, *de una omnium philoſophorum ſchola ſumitur*.

Quum autem conſtet unum Deum tantum, ceterorum omnium ſupremum a Chaldaeis habitum fuiſſe, verum quoque Deum ab iiſdem aliquatenus cognitum, & cultum fuiſſe exiſtimare religioni non duxerim. Hunc enim Deum, *Belum*, hoc eſt, *Dominum* adpellabant. *Belus* autem Chaldaeorum idem eſt ac *Baal* Phoenicum, qua voce Ebraei *Dominum* ſignificare conſueverunt. Heinc Deus apud Oſeam *cap.* 11. *verſ.* 16. ait: *Vocabit me vir meus*, *& non vocabit me ultra Baali*, ad quem locum videndus *Seldenus Syntagm. II. De Diis Syris cap.* 1. *Agathias* quoque *Lib. II.* ſcribit, Iovem a Perſis ſub nomine *Beli* cultum fuiſſe, quod Chaldaicam huius religionis originem aperte oſtendit. Et quidem qui primi Orientales diſciplinas Graecos docuerunt, plerique omnes vocem βῆλον vocabulo ζεὺς tranſtulerunt. Ita *Herodotus*, *Diodorus*, *Heſychius*

ſychius, aliique. Idolum vero quoddam nomine *Bel* apud Babylonios, ſeu Perſas fuiſſe liquet etiam ex eius hiſtoria, quae ex Theodotionis editione in Danielis libro refertur. *Bel* quoque memoratur *Eſaiae cap.* XLVI. & *Ieremiae cap.* L. *&* LI. & *Baruch cap.* VI. Nam apud Aſſyrios *Bel* dicebatur, quadam ſacrorum ratione, & Saturnus, & Sol, ut ait *Servius* in *I. Aeneidos*, & videri poteſt *Theophilus* ad *Autolyc. Lib. III. ſub finem*, & *Ioh. Clericus* in *Indice Philologico ad Hiſtor. Philoſ. Oriental. Stanleii* in voce *Belus*: veri ſcilicet Dei adpellatione ad falſa numina ſignificanda ſenſim traducta. Ex huius autem vocabuli ſignificatione liquido patet, nomen *Belus* non proprium fuiſſe, ut crediderunt Graeci, ſed adpellativum Ebraeum, nempe *Baal*, quod, ut diximus, *Dominum* denotat. Et quidem fere omnes, qui ſub *Beli* nomine ab Hiſtoricis memorantur, aliis etiam nominibus indigitatos fuiſſe deprehendimus, ut *Belum* Aegyptium *Aegypti* & *Danai* patrem, qui rex *Amenophis* fuiſſe cenſetur: Babylonius item *Belus*, *Evechous* fuiſſe creditur: Phoenicius vero, Eliſae, ſeu Didonis genitor, cuius *Virgilius I. Aeneidos* meminit, *Methres* alio nomine dicebatur, ut auctor eſt *Servius*. Quare & de *Belo* Aſſyrio Nini patre idem arbitrari fas eſt.

At, ſi res penſiculatius examinetur, apud omnes aeque gentes veri Dei notitia aliqua exſtitiſſe videri poteſt. Vnum enim ſummum Deum nationes omnes inter denſas errorum tenebras, quibus premebantur, adgnovere, quod alibi mature praeſtruximus: nec illum alium eſſe opinati ſunt, quam nos profiteamur, etſi non debito eum cultu, & religione honoraverunt. *Quum cognoviſſent Deum*, inquit Apoſtolus ad Romanos ſcribens, *non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſse ſapientes ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ᾽ ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώ-

που, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν. Rei autem huiuſmodi rationem praeclariter etiam reddit *Tertullianus*. *Nemo negat*, inquit, *quia nemo ignorat, quod ultro natura ſubgerit, Deum eſſe univerſitatis conditorem, eamque univerſitatem tam bonam, quam homini mancipatam. Sed quia non penitus Deum norunt, niſi naturali iure, non etiam familiari, de longinquo, non de proximo: neceſſe eſt ignorent, qualiter adminiſtrari aut iuberet, aut prohiberet quae inſtituit, ſimul quae ſint aemula ex diverſo adulterandis uſibus divinae conditionis, quia neque voluntatem, neque adverſarium noveris eius, quem minus noveris*. Et profecto ipſi Ethnici interdum diſerte ac luculente proteſtati ſunt, non alium ſupremum Deum ſe colere, quam nos veneremur, quomodocumque eum colerent, unde apud *Lactantium Lib. I. Divin. Inſtit. cap.* XI. legimus: *Solent enim quidam errores ſuos hac excuſatione defendere, qui convicti de uno Deo, quum id negare non poſſunt, ipſum ſe colere adfirmant. Verum hoc ſibi placere, ut Iupiter nominetur. Celſus* autem apud *Origenem Lib. I. contra Celſum* non referre adfirmabat etiamſi vulgato hoc apud Graecos nomine rerum omnium Deus vocetur, *Iupiter*, aut quopiam alio, verbi gratia, Indis uſitato, aut Aegyptiis. Conferunt quae habet *Auguſtinus Lib. IV. De Civit. Dei cap.* IX. de Iove verba faciens. *Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum Deum ſolum ſine ſimulacro colunt, ſed alio nomine nuncupari*. Heinc *Symmachus* adverſus Chriſtianos pro veteri Deorum cultu perorans, *Aequum eſt*, inquit, *quidquid omnes colunt, unum putari*: adeo & dum errori deſervit, in verum incurrit. Nam, ut recte *Minucius* in *Octavio* animadvertit, *& qui Iovem principem volunt, falluntur in nomine, ſed de una poteſtate conſentiunt*. Sed ad noſtram adſertionem confirmandam magni momenti eſſe poſſunt nomina, quibus Deos ſuos variae gentes inſignibant. Illa enim eadem ſunt, ac veri Dei nomina: ut manifeſte indicent quaſcumque religiones a recto illo ac ſincero Dei cultu profluxiſſe, quem vel ignorantia, vel oblivio, vel temporis longinquitas, ut fere uſuvenit, & humanae naturae vitium multiplici ſuperſtitione conruperat. Et quidem *Iovis* nomen, quo Latini ſummum illum Deum, divum patrem, atque hominum regem de-

ſigna-

Digitized by Google

ſignabant, non aliunde derivatum eſſe videtur, quidquid *Cicero II. De Nat. Deor.* & *Gellius Lib. V. cap.* XII. aliter ſentiant, quam ex Ebraeo יהוה *Iehova*, ſive ut *Caſtalio* ſcribere amat, *Iovah*, quod eſt veri Dei nomen tetragrammaton & ineffabile, & in quo eſſe τοῦ ὄντος ſignificationem vere dictum *Philoni*: nam Grammatici Ebraei obſervant tria tempora verbi ſubſtantivi *ſum* in eo contineri, praeteritum, praeſens, & futurum, *ſum*, *fui*, *ero*. Ex *Iehova* factum videtur alterum Dei apud Ebreos nomen, *Iah*. Ex his autem originem ducit *Iao* Ἰάω, quomodo Graeci Deum Iudaeorum adpellabant: nam *Diodorus Siculus Lib. I.* ſcribit Moſen Iudaeorum legislatorem Deo *Iao* ſuas leges acceptas tuliſſe. Hunc autem Deum, ſeu *Iao*, ſummum Deum a Graecis exiſtimatum fuiſſe indicare poſſunt verſus, qui apud *Macrobium Lib. I. Saturn. cap.* XVIII. habentur:

> Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω,
> Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
> Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.
> *Dic me cunctorum ſupremum Numen* Iao,
> *Tempore Plutonem hyberno, ſimul incipiente*
> *Vere Iovem, rapida Solemque aeſtate coruſcum,*
> *At mollem, Autumnus rediit quum laetus*, Iao.

Hoc nomen *Iao Baſilides*, aliique Gnoſtici ad ſupremum Aeona in ſuis Genealogiis ſignificandum tranſtulere, ut apud Salaminium *Epiphanium* videre eſt. Tyrii, ſi Byblio *Philoni* apud *Euſeb. X.* Προπαρ. & *Theodoretum I.* Θεραπευτ. fides adhibenda eſt, Deum colebant, cui nomen erat *Ievo*, Ἰεύω, eiuſdem profecto cum memoratis originis. Orientis enim populi iiſdem vocibus alii alias tribuebant vocales, & inde in propriis nominibus tanta ſaepe diverſitas. Nam iſthuc ipſum nomen, Ἰαοὺ apud *Clementem Alexandrinum V. Strom.* ſcribitur, Samaritani vero Ἰαβαὶ *Iavae* efferebant, teſte *Theodoreto Quaeſt. XV. in Exodum.* Inde modica mutatione, Maurorum *Iuba. Minucius Felix*: *Iuba Mauris volentibus Deus eſt.* Non aliud quidem vocabulum fuiſſe *Ed. Dickinſono* adſenſus autumaverim illud, quo Apollo indigitatus fuit, ut ſcribit *Macrob. Lib. I. Saturnal. cap.* XVII. ἰήιος videlicet, quamquam ipſe ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, hoc

 eſt,

Digitized by Google

eſt, *a ſanando* deducit. *Iacchus* quoque ab *Iah*, ſive Ἰάω derivatum nomen videtur aliquibus. Sed & quae eidem Baccho fiebant adclamationes, non aliam habuiſſe originem exiſtimaverim. *Euohe* enim *Iehova*, corrupte pronuntiatum, eſſe videtur. Et quidem *Lucianus* memoriae prodidit, quum *Thyades* εὖ οἶ proclamabant, *Dominum ſuum* eas adpellare ſolitas. Καὶ βοῷν, inquit, εὖ οἶ, τοῦτο δὲ εἰκάζειν, καλεῖσθαι αὐτῶν τὸν δεσπότην. Exinde vero & illa Bacchi nomina, *Evan*, ut legitur apud *Ovidium IV. Metamorphoſeon*, & *Evius*, quod habet idem poëta *I. De Art. Amandi*, & *Statius Thebaidos Lib. II.* & *Evantes* Bacchantes apud *Virgilium*, & *Catullum*. Illud quoque Bacchantium Epiphonema εὖοἶ σαβοῖ de quo *Demoſthenes* περὶ ϛεφαν. a *Iehoua Sebaoth* deductum cenſent *Seldenus*, & *Voſſius*. In hac quoque ſententia olim erat vir maximus, & omni eruditionis genere excultiſſimus *Antonius Maria Salvinius* Florentinus, Praeceptor meus, qui raro exemplo admirabilem modeſtiam, & humanitatem ſingularem cum ſumma ſcientia & doctrina coniunxerat, ut animi pendeam, incredibilem ne magis liberalium artium, diſciplinarumque cognitionem, an candidos mores, ſpectatamque animi virtutem in illo commendem.

Iam vero vidimus a Chaldaeis & Perſis Deum, ſeu Iovem *Belum* adpellatum fuiſſe, qui idem eſt ac *Baali* Phoenicum, & *Bal* Poenorum, ut habet *Servius in I. Aeneidos*, & *Auguſtinus Quaeſt. XVI. in Iudic.* Diſerte quoque Etymologus: Βάλαι γὰρ καλεῖται τῇ Σύρων φωνῇ ὁ τῇ Ἑλληνίδι Βῆλος. Quamvis enim antiqui Aſſyrii *Belum* proprie Solem nuncuparent, tamen eos ad hoc ſidus indigitandum, quod pro ſanctiſſimo numine habebant, veri Dei nomen uſurpaſſe ſtatim eminet: heinc illum etiam *Beelſamen* vocabant, hoc eſt *Dominum Coeli*. *Bel* quoque eadem de cauſa apud eos Saturnus dictus eſt: quamquam neſcio an fides Graecis Scriptoribus in hoc omnino habenda ſit, ut etiam *Clericus* obſervabat. Non inficiandum tamen Ebraeos nomine hoc *Baal* lubentius uſos fuiſſe ut falſa numina, quibus Gentiles Syri ſerviebant, denotarent. Diverſis autem de cauſis obtigit ut dictio *Baal* cum aliqua alia coniungeretur, & nomen compoſitum fieret, ut *Baalberith*, qui Deus erat Siche-

chemitarum, & *Dominus fœderis* interpretari poſſumus: *Baalpeor*, vel *Baalphegor* Deus Moabitarum & Madianitarum, *Baalzebub*, vel *Beelzebub*, Idolum Philiſtaeorum, & maxime Accaronitarum, quod vocabulum Latine verti poſſet *Deus muſcarum*. Sed forte verum illius Idoli nomen *Beelſamain*, ideſt, *Dominus Coelorum* fuit, *Beelzebub* vero per contemtum a Iudaeis vocitatum eſt. *Baalzephon* quoque Idoli nomen, quod Aegyptii colebant, aliquibus videtur, quibus tamen adverſatur *Seldenus*, apud quem *Syntagm. II. De Diis Syris cap.* I. quantum hoc nomen *Baal* ad Deos adpellitandos inter Europeos invaluerit videre eſt.

Sed Ἥλιος *Helios* quoque Graecorum, quo nomine *Sol* intelligitur, ab *El* Phoenicum, quod *Deum* ſignificat, ut notat etiam *Servius*, factum eſt. Inter nomina, quibus Iudaei verum Deum adpellabant, *El*, & *Helion* reperiuntur, ut videre eſt apud *Hieronymum Epiſtola CXXXVI. ad Marcellam*. Primum nomen *Aquila*, ἐτυμολογίαν eius exprimens, ἰσχυρὸν, ſeu *Fortem*, interpretatur, ſecundum nos *Excelſum* dicimus. Heinc forte factum eſt ut *Saturnus* apud Phoenicas *Elion*, vel *Il*, aut *Ilus* diceretur, ſi *Pſeudo-Sanchoniathoni* apud *Euſebium I.* Προπαρ. credere dignum eſt, quod notabat etiam *Bochartus Geographiae Sacrae Par. II. Lib. I. cap.* III. Quid autem eſt *Adonis*, niſi *Adon* Ebraeorum, quod *Dominus* Latine transfertur? *Heſychius*: Ἄδωνις δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. Heinc eodem *Heſychio* auctore, Adonis Laconibus Κιρὶς, vel Κύρις, ſeu Κύριος dictus eſt. *Adonis* autem Aſſyriorum Deus fuit, & poſtea Phoenicum, auctore *Macrobio Lib. I. Saturnal. cap.* XXI. atque heinc eius cultus ad Amathuſios quoque, Phoenicum in Cypro colonos, *Stephano* teſte, tranſivit. *Marnas* quoque Gazaeorum nonniſi *Dominus hominum* Syriace ſonare cognoſcitur. Quin nomina illa *Mithra*, *Hamilca*, *Moloch*, aut *Melech*, aut *Malcum*, aut *Milcom* nonniſi *regem & dominum* ſignificare intelligimus. Sed quum *Moloch* nomen pluribus Numinibus commune eſſet, idem enim ſonat ac *Rex*, ad diſtinctionem praenomina addebantur, ut *Adramelech*, vox compoſita ex *Adir*, ideſt *Magnificus*, & *Melech*; & *Amamelech* ſive *Anamelech*, quod nomen ſignificat *opulentum regem*. Arabibus enim *Gani*, ſive *Ani* ſonat divitem, ut *Voſſius* ob-

Digitized by Google

obſervat; *Adramelech* autem & *Anamelech* inter Idola Aſſyriorum nominantur. *Hercules* quoque *Malica*, ideſt *Malca*, *Rex*, a ſupra memoratis Amathuſiis colebatur, ut laudatus *Heſychius* ſcribit. *Aſſyrii* etiam *Deo*, verba ſunt *Macrobii Lib. I. Saturn. cap.* XVIII. *quem ſummum maximumque venerantur*, *Adad nomen dederunt*. *Eius nominis interpretatio ſignificat unus*. Sed forte in hoc nomine tradendo *Macrobius* fallitur, aut eius verba depravata ſunt, ut notat *Iohan. Seldenus*, cuius egregium opus, quod *De Diis Syris* inſcripſit, notitias de huiuſmodi rebus quamplurimas ſuppeditare legentibus poterit.

Sive igitur quorumdam vocabulorum originem, ſive eorum vim & intellectum ſedulo ac penſiculate examinemus, certum prope ratumque erit omnium religionum rivulos ex uno & eodem fonte per quoſcumque tramites longa propagatione defluxiſſe, genteſque variis ſuperſtitionum vinculis obligatas non adeo manus ad verum numen extendere & elevare oblitas eſſe, ut nullum ſincerae, ac piae credulitatis veſtigium apud eaſdem ſuperaverit. Quare *Paulus* Athenienſibus, quos quidem ſuperſtitioſiores invenerat, inquiebat: *Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego adnuncio vobis*. ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. occaſione capta ex ara in qua ſcriptum erat: Ἀγνώστῳ θεῷ *Ignoto Deo*, ut refert *Lucas Act. cap.* XVII. Immo ut eodem tempore Deum eumdem omnibus eſſe communem ſignificanter inſinuaret, id quod *Aratus Solenſis* in *Phaenomenis* de Iove dixerat, vero Deo adplicat, illudque adlegat: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: *Illius enim & genus ſumus*; quod quidem hemiſtichium ad primum verſum refertur: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα: *Ab Iove initium faciamus*. Iſthuc ipſum *Clemens* quoque *Alexandrinus Lib. VI.* Στρωματῶν recte ac ſapienter animadvertebat: poſtquam enim ex libro quodam ἀποκρύφῳ, qui *Praedicatio Petri* inſcriptus erat, haec Petri verba retuliſſet: τὸν θεὸν σέβεσθε, μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας, *Deum colite, non ſecundum Graecos*, ait Apoſtolum τὸν τρόπον τῆς σεβήσεως ἐναλλάττειν τοῦ θεοῦ, οὐχὶ δὲ ἄλλον καταγγέλλειν. *Mutare rationem cultûs divini, non alium adnunciare*. Id totum maxime probat, atque tuetur *Voſſius De Origine Idololatriae Lib. I. cap.* II. & neſcio quid conferant *Varro* apud *Auguſtinum Lib. IV. De Civit. Dei*. *Auctor libelli de Mundo*

cap.

cap. VII. & *Macrob. I. Saturnal.* Sed Colophonem forte addere poſſe videatur locus inſignis, qui habetur *II. Regum cap.* XVII. *verſ.* 32. *&* 33. & in quo de Coloniis a Salmanaſare in Samariam deductis agitur: *Timebunt itaque Dominum, & fecerunt ſibi quoſdam ſacerdotes Excelſorum, qui illis in fanis Excelſorum ſacra faciebant. Sic itaque timebant Dominum, & coluerunt Deos ſuos, iuxta morem gentium, quas inde tranſtulerant.*

CAPUT XVI.

An Heraclitus *in Aegyptum contenderit. De eius placitis quaedam.* Euripides *in Aegyptum penetravit. Item* Eudoxus *Cnidius*, Enopides *Chius*, *aliique*.

H*Eraclitus* autem Epheſius, qui anno Periodi Iulianae MMMMCCXIV. floruit, quin Aegyptios convenerit, in dubium fortaſſe non revocandum. Quis enim habeat perſuaſum, eum, quum per plurimas terras inacceſſas in montem Atlanticum iter laborioſiſſimum ſuſcepiſſet, ut *Proclus in Timaeum* memoriae prodidit, Aegyptios deinde, non adeo remotos, at obvios, neglexiſſe? Sed quidquid de hoc ſentiendum ſit, eius certe philoſophia, utpote Aſiani, aliorum Orientalium placitis concinere in multis, & conſonare deprehenditur. Tam recte enim de Deo, eiuſque cultu ſenſit, ut ea, per quae Deos ſuos homines deliniri, ac placari exiſtimabant, ſacrificia derideret. *Purgantur*, inquiebat, *dum cruore polluuntur, non ſecus ac ſi quis in lutum ingreſſus, luto ſe abluat*, ut auctor eſt *Elias Cretenſis in Orat. XXIII. Gregorii Nazianzeni*. Idolis vero vota facientes, perinde agere dicebat ac ſi quis loquatur cum aedibus: ἀγάλμασι τουτέοισιν εὔχονται, ὅποιον, εἴτις δόμοις λεσχηνεύοιτο. Bacchi vero ſacra his verbis inriſit: *Niſi pompam facerent Baccho, & cantica canerent impudentiſſima, actum erat*: εἰ μὴ γάρ Διονύσῳ πομπὴν ἐποιοῦντο, καὶ ὕμνεον ᾆσμα αἰδοίοισιν ἀναιδέστατα, εἴργασαι. quod *Clemens Alexandrinus* in *Protreptico* ſcriptum reliquit. Non me fallit videri quibuſdam parum dextre de Deo eſſe loquutum, ut *Ariſtoteli*, *Varroni*, *Philoni Iudaeo*, *Auguſtino*, quod eum ignem eſſe dixerit; ſed forte Heracliti ſen-

ſententia ex iis, quae de Chaldaica doctrina praeſtruximus, rectam accipit interpretationem. De animarum quoque aeternitate optime opinatus eſt, quare animarum & Daemonum plena omnia eſſe dixit, ut *Laërtius* quidem literis mandavit; & apud *Clementem in Stromatis, & in Protreptico* exſtat eius ſententia, quae habet, manere homines mortuos ea, quae neque ſperent, neque expectent, quod non abſimilis Apoſtolici teſtimonii mihi memoriam renovat. Haud equidem ignoro a *Theodoreto V.* Θεραπευτ. ſcribi Heraclitum cenſuiſſe animas hominum corporibus liberatas in mundi totius animam concedere, ſed id forte explicandum eſt iis, quae commentatur *Plotinus Lib. I. & II. De Dubiis Animae.* Hiſce addi poteſt quod apud laudatos *Clementem Lib. II.* Στρωμ. & *Theodoretum* Θεραπευτ. *I.* Heraclitus ait, videlicet, ἐὰν μὴ ἔλπηται ἀνέλπιστον, οὐκ ἐξευρήσει, ἀνεξερεύνητον, καὶ ἄπορον. *Niſi quis ſperet, quod eſt inſperatum, non inveniet inſcrutabile quod eſt, & inacceſſum.* Quae verba explicationem quamdam habere dicit *Clemens* propheticorum illorum: *Niſi credideritis, non intelligetis.*

Deum autem univerſitatis creatorem fuiſſe non dubitavit, quem & in ea condenda luſiſſe dixit, ut relatum eſt *Proclo II. in Timaeum.* ἄλλοι δὲ, ſunt *Procli* verba, καὶ τὸν δημιουργὸν ἐν τῷ κοσμουργεῖν παίζειν εἰρήκασι, καθάπερ Ηράκλειτος: quo ſpectant *Clementis* illa de eodem: τοιαύτην τινὰ παίζειν παιδίαν τὸν ἑαυτοῦ Δία Ηράκλειτος λέγει. *Talem vero ludum Iovem ſuum ludere dicit Heraclitus:* quorum quidam ſimilia habentur apud *Salomonem VIII. Proverbiorum.* Per hunc igitur Deum, eiuſque Rationem omnia diſponentem, ab igne, quem rerum omnium principium arbitratus eſt, aërem in liquidam ſubſtantiam redigi adfirmabat, quae ſemen quaſi ſit conditoris mundi, & quam mare adpellabat. Ex hac viciſſim Coelum, Terramque gigni, & omnia quae iis continentur, ut apud *Clementem V.* Στρωμ. videre eſt; apud quem tamen idem *Heraclitus* videtur adſerere mundum eſſe aeternum, nec ab ullo creatum ſive Deorum, ſive hominum, ſicut etiam apud *Plutarchum De Procreatione Animi* habetur, quod forte de Mundi materia intelligendum venit, uti recte etiam exiſtimat *Gotfr. Olearius*

in

in *Priori Diſſertatione De Principio rerum naturalium ex mente Heracliti*. At ſi laudato *Plutarcho De Placitis Philoſophorum* fides, Heraclitus cenſuit ignis exſtinctione hanc rerum univerſitatem productam fuiſſe: primum enim craſſiſsimas eius partes in ſeſe coeundo terram conſtituiſſe, deinde laxatam ignis vi terram, edidiſſe aquam; hanc exhalando aëri ortum praebuiſſe. Animam autem mundi autumavit naturae illius humidae exhalationem, ut idem *Plutarchus Lib. IV.* memorati operis prodit. Atque haec anima eſt, quam ἀρχὴν *principium* vocat iuxta *Ariſtotelem Lib. I. De Anima*, atque ἀναθυμίασιν *exhalationem* definit, ex qua reliqua ſint omnia. Eadem apud laudatum Philoſophum Chaeronenſem *Lib. I. De Placitis*, Heraclito dicitur οὐσία τοῦ παντὸς, *eſſentia*, *ſeu natura univerſi*, & deſcribitur aethereum corpus [unde & Ariſtoteli ἀσωματώτατον dicitur, & ſemper fluens] quod ſemen ſit omnium rerum generationis. Ignem vero eſse rerum exordium atque materiam, ab Hippaſo Pythagoreo, cuius fuit auditor, potuit Heraclitus accipere: ille enim in eadem ſententia fuit, ut ex *Ariſtotele I. Metaphyſic. Plutar. I. De Placitis*, *&* *Stobaeo* intelligimus. Sed quemadmodum Heraclitus Mundum ex igne ſecundum Hippaſi decreta conſtituit; ita & tandem in ignem reſolutum iri cum eodem adfirmavit, ut ex *Plutarcho*, *&* *Clemente Alexandrino* liquido conſtat. Haud me quidem praeterit videri quibuſdam, ignem rerum principium ab Heraclito conſtitutum non fuiſſe, ſed aërem, vel tenuiſſima corpuſcula, ſive atomos, quod late exſequitur laudatus *Olearius* in memorata priori, & poſteriori etiam *Diſſertatione*; ſed utcumque ſit, noſtra parum refert.

Neceſſe tamen habeo heic paulo fuſius explicare, quod ex *Clemente Alexandrino* ſuperius innuimus, ex Heracliti ſcilicet mente materiam rerum per Deum & *Rationem* fuiſse diſpoſitam, ut in tot rerum facies, naturaſque pulcerrimas coaleſceret. Eam quidem fuiſſe huius Philoſophi ſententiam teſtis eſt etiam *Amelius* Platonicus apud *Euſebium Caeſarienſem Lib. XI.* Προτρ. *cap.* x. & *Cyrillum Lib. VIII. Adverſus Iulianum*. *Plutarchus* autem *I. De Placitis*, Ἡράκλειτος, inquit, οὐσίαν εἱμαρμένης λόγον

λόγον τὸν διὰ τῆς ὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντά φησι. *Heraclitus fati naturam dicit Rationem per univerſitatis ſubſtantiam permeantem*. Nam Καθ' εἱμαρμένην mundum eſſe factum pronuntiavit, teſtibus locupletiſſimis *Laërtio*, *Plutarcho*, *Hermia*, *Theodoreto*; quamobrem apud *Stobaeum Eclog. Phyſ. cap.* I. εἱμαρμένη ſecundum Heraclitum eſt λόγος ἐκ τῆς ἐναντιοδρομίας δημιουργὸς τῶν ὄντων. *Ratio quae de motibus contrariis res efficit*. Et hanc quidem *Rationem* exſiſtentem, & ſubſtantiam mente vel intellectu praeditam exiſtimaſſe vel ex eo liquere poteſt, quod iam *Heracliti* aetate, *Anaxagorae* doctrina de Mente rerum opifice invaluiſſe videtur, quam & multo ante docuerat *Thales*. Id patet etiam, quia τὸν λόγον Ethnici Philoſophi ſemper exſiſtentem intellexere, ut ex laudato *Amelio*, qui *Heracliti*, *Platonis*, & *Iohannis* Evangeliſtae λόγον contendit, & eumdem putat, colligere eſt. Quin *Porphyrius* adfirmat Deum λόγον αἰώνιον ab Aegyptiis adpellari, ut apud *Euſebium III. Praepar. Evang. cap.* II. legitur, & *Phornutus* προεστῶτα λόγον vocat θεὸν δημιουργὸν, ubi de *Pane* agit. Ex Stoicis autem aperte conſtat, λόγον cum Deo, & fato confundi, & fatum, neceſſitatemque cum Deo, ſiquidem fidem merentur *Laërtius in Zenone*, *Tertullianus in Apologetico cap.* XXI. *Lactantius librorum, quos divinas Inſtitutiones inſcripſit*, *III.* Quare non ſine magna ratione *Iuſtinus Martyr. in Apologia I.* quae tamen ſecunda dicenda eſſet, ſcriptum reliquit: καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. Quantum vero *Heracliti* de principiis ſententia cum Moſis Phoenicumque placitis congruat vide in citata poſteriori *Gotfr. Olearii Diſſertatione*.

Euripides etiam Tragicus in Aegyptum peregrinatus eſt, qui quum ibi morbo correptus fuiſſet, a Sacerdotibus marinae aquae curatione ſaluti reſtitutus eſt. Quamobrem poſtea, quum Tragoediam, cuius *Iphigenia Taurica* titulus eſt, conſcriberet, dixit:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
Mare univerſa proluit hominum mala.

Quin & adfirmavit iuxta Homeri effatum omnes Aegyptios me-

Medicos eſſe. *Eudoxus* item Aſtronomus una cum *Chryſippo* Medico in Aegyptum perrexit, ubi *Octaeterida*, ut quidam opinantur, conſcripſit. Ibi autem *Chonuphide* uſus eſt praeceptore, ut *Clemens* quidem *Lib. I.* Στρωμαῖ. & *Plutarchus De Iſide & Oſiride* ſcribit, quamquam apud *Laërtium* in vita parvo diſcrimine *Ichonuphyn* Heliopolitanum legere eſt. Sed & plerique alii Graecorum Sapientes, ut *Enopides* Chius, auctore *Diodoro*, in Aegyptum doctrinae ac ſcientiae cauſſa conceſſere, quos omnes lubenter percenſere ſuperſedemus, ut de *Platone* tandem, ad quem unum, quaecumque hactenus diſputavimus, dirigebantur, ſermo a nobis inſtituatur.

Duo tantum heic veluti pro huius libri coronide ſubiiciam. Unum eſt id, quod ait *Cyrillus Alexandrinus Lib. I. contra Iulianum*, Graecos omnes ſcilicet ſapientes, qui in Aegyptum diſcendi cauſſa profecti ſunt, utpote Moſaicorum dogmatum non expertes, propius ad veritatem acceſſiſſe, quam ceteros: *εἰσὶ δὲ μωσαικῶν οὐκ ἀμοιρήσαντες λόγων, διὰ τὸ μέχρις Αἰγύπτου φιλομαθείας χάριν παρελθεῖν, οὗτοι ἄμεινόν πως, ἢ οἱ λοιποὶ πεφρονήκασιν, ἐγγὺς μὲν γεγονότες τῆς ἀληθείας, οὐ μὴν ἀθόλωτον παντελῶς ἐσχηκότες τῆς διανοίας τὸν ὀφθαλμόν, οὓς ἂν οἶμαί τις καὶ παραβλῶπας εἰπὼν, οὐκ ἂν τοῦ εἰκότος ἁμάρτοι λογισμοῦ. Sunt vero ex iis Moſaicorum Sermonum haud expertes, ut qui diſcendi cauſsa peregre in Aegyptum uſque profecti ſint, hi melius quodammodo quam ceteri ſenſerunt, ad veritatem quidem propius accedentes, ſed non mentis oculum omnino purum & caligine vacuum lucidumque habuerunt, quos ſiquis Strabos dixerit, non utique a ratione deerrabit*. Alterum vero, ludibrium Eruditis debere eos, qui Aegyptios ſua placita & documenta viris ad eos accedentibus tradere, & manifeſtare refugiſſe, aut nefas eſſe arbitratos adfirmant, quum Scriptores omnes contrarium diſerte perſpicueque prodant, & *Herodotus* inprimis, qui *Lib II.* de Aegyptiis loquens ait: Τὰ *μέν νυν θεῖα τῶν ἀπηγημάτων οἷα ἤκουον οὐκ εἰμι πρόθυμος ἐξηγέεσθαι ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον· νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτῶν ἐπίστασθαι. τὰ δ' ἂν ἐπιμνησθῶ αὐτῶν ὑπὸ τοῦ λόγου ἀναγκαζόμενος ἐπιμνησθήσομαι. Verum quae mihi ad Deos pertinentia narrarunt, ea ſcriptis mandare non libet, praeter illo-*

rum

rum nomina: quod idem de illis omnes homines ſcire exiſtimem. Quae autem de his commemorabo, id oratione coactus commemorabo. Oportet autem ut nunquam *Diodorum* legerit, ſiquis eiuſmodi effutire non dubitat, ſexcentis enim locis auctor hic graviſſimus adſeverat ſe & ſacros commentarios, & arcana volumina, & Aegyptiorum carmina diligenter evoluiſſe, & ipſos de iis, quae ad eos pertinent, conſuluiſſe ſacerdotes; praeter ea, quae iſthuc ipſum comprobantia, ex eodem Scriptore, & *Valerio Maximo* ſuperius adtulimus, ut alios innumeros, eoſdemque clariſſimos Auctores ſilentio tranſiliam, quos inter *Lucanus* ea, quae diſſerimus, luculentiſſimo teſtimonio confirmat: ab eo enim Caeſar ita Aegyptium Achorea adloquens *Pharſaliae X.* inducitur:

. . . . Cecropium ſua ſacra Platonem
Maiores docuere tui.

D E

Digitized by Google

DE RECTA CHRISTIANORVM
IN EO QVOD MYSTERIVM
DIVINAE TRINITATIS
ADTINET SENTENTIA.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Plato *in Aegyptum proficiſcitur*. Euripides *eius itineris comes non fuit*.

PLATO igitur, maiorum ſuorum aemulator, & ingenti ſapientiae amore perculſus, quum *Socrates* eius praeceptor, hauſto cicutae poculo, diem ſuum damnatus obiiſſet, animum induxit Athenas deſerere, & novos ſibi quaerere ſuſcepta peregrinatione magiſtros. *Socrates* quidem anno Periodi Iul. MMMMCCCXIV. Olympiadis LXXXXV. an. I. naturae conceſſit. Tum *Plato* XXVIII. aetatis annum agebat, iuxta *Apollodori* Chronologi celeberrimi calculos. Natus eſt enim anno I. Olympiadis LXXXVIII. Per. Iul. MMMMCCLXXXVI. Quod ſi adridet eruditorum obſerva-

Digitized by Google

vatio, quando *Socrates* ſcilicet mortuus eſt, Platonem fuiſſe Senatorem, adeoque xxx. aetatis annum tum expleviſſe, retrotrahendus erit eius ortus. Itaque non multo poſt praeceptoris fatum in Aegyptum proficiſcitur. *M.* enim *Tullius* apud *Nonium* in *Contendere* diſerte ſcribit, *Platonem, Socrate mortuo, in Aegyptum diſcendi cauſſa, poſt in Italiam contendiſſe.* Si vero lubet ſententiae eorum inhaerere, qui cenſent *Platonem* primum in Italiam ad Pythagoreos adpuliſſe, atque heinc diſceſſiſse Cyrenas & in Aegyptum, atque inde iterum Tarentum ad Pythagoreos rediiſſe, per me quidem licebit. *Plutarchus in Vita Solonis* memoriae prodidit, occaſionem Platoni peregrinationis fuiſſe, olei in Aegypto diſtractionem; mercaturam enim exercuiſſe idem auctor eſt, quemadmodum & alios ſapientes viros *Thaletem*, *Solonem*, *Hippocratem Mathematicum*. Quod ita forte accipiendum videtur, ut *Platonem*, quum numeros & coeleſtia a Barbaris Sacerdotibus ediſcendi maximo deſiderio flagraret, adrepta illa occaſione vel praetextu, Aegyptum peragraviſſe intelligatur.

Sunt qui apud *Laërtium Diogenem* ſcribant *Euripidem* Tragicum una cum Platone profectum itineris illi comitem exſtitiſſe. Sed quum ex Apollodoro apud *Diodorum*, cui & *Thomas Magiſter* vitae Euripidis ſcriptor adſtipulari videtur, *Euripidem* anno III. Olympiadis LXXXXIII. fato functum eſſe liqueat, certe auctores illi mendacii manifeſti arguuntur. Hiſce etiam repugnant *Diogenes Laërtius* in *Socrate*, *Scriptor Olympiadum*, *Suidas* in Ευριπίδης, & *Epochae Graecorum*, quas doctiſſimus *Seldenus* edidit.

CAPUT II.

Eudoxum *una cum* Platone *in Aegyptum non conceſſiſse*.

EVdoxum tamen una cum *Platone* in Aegyptum conceſſiſſe, & cum eodem in ea regione verſatum eſſe *Strabo Lib. XVII.* auctor eſt, ſicut & in *II. De Divinatione M. Tullius*. Sed rem aliter ſe habere veroſimilius eſt. *Eudoxus* enim annum viceſimum tertium aetatis agens, ut *Laërtius* ſcribit,

bit, Athenas cum *Theomedonte* medico profectus eſt. *Sotion ἐν Διαδοχαῖς*, & *M. Tullius* in libris *De Divinatione*, Platonis auditorem fuiſſe tradunt. Id contigiſſe videtur anno II. Olympiadis LXXXXIX. quamquam *Euſebius* in *Chronico* initio Olympiadis LXXXXVII. eum floruiſſe ſcribit, quod eſſe non potuit, ſiquidem Platonis diſcipulus fuit: nam ſeptennio poſt mortem Socratis claruiſſet, ut recte notat *Voſſius De Hiſtoricis Graecis Lib. I. cap.* VI. Nec *Plato* diſcipulos in Graecia habuit, niſi poſt ſuum ex Aegypto Athenas reditum, quidquid *Val. Maximus*, & *Hieronymus* ſecus indicare videantur. Eius autem Athenas reditus nonniſi poſt aditam Siciliam Dionyſii Senioris aetate contigit, quod Olympiade circiter LXXXXVIII. eveniſſe videtur, anno ſcilicet aetatis circiter quadrageſimo, ut ipſe in Epiſtolis teſtatur, & nos in eius vita, cuius iam voluminis iacturam fecimus, late exſequuti fueramus. *Eudoxus* duos tantum menſes Athenis moratus domum revertitur: forte quod illum *Plato* contemnens ab ſe dimiſerat. Inde amicorum largitate ſubfultus in Aegyptum cum *Chryſippo* medico traiecit.

Id autem poſt annum II. Olympiadis CIV. factum eſſe opinamur. Nam *Diogenes Laërtius* ſcribit illum commendatitias ab *Ageſilao* literas ad *Nectanebin* accepiſſe, a quo & Sacerdotibus commendatus fuerit. Compertum autem habemus *Nectabin* primum *Sebennytarum* Dynaſtiae regem, *Nepheritae* poſtremo *Mendeſiorum* Dynaſtiae regi ſubceſſiſſe anno Periodi Iulianae MMMMCCCXXXIX. ut videre eſt apud diligentiſſimum Chronologorum *Uſſerium* Harmacanum. Duodecim autem annis regnaviſſe conſtat, cui deinde ſubceſſit *Nectanebis II.* cum quo foedus *Ageſilaus* inierat, & qui tandem fugere coactus eſt anno Per. Iul. MMMMCCCLXIII. *Nectanebis* igitur *II.* imperaverit ab anno II. Olympiadis CIV. ad annum II. Olympiadis CVII. Igitur poſt trigeſimum & primum aetatis annum *Eudoxus* in Aegyptum navigavit, & anno Per. Iul. MMMMCCCXLVIII. illuc adpuliſſe adfirmarem, quandoquidem id laudato *Uſſerio* adridere videtur, niſi quae de literis ad *Nectanebin* ab *Ageſilao* datis ediximus, eas ſecundo *Nectanebi* Lacedemonii Regis amico ſcriptas fuiſſe ſuaderent. Quamquam non diffitendum eſt id fieri

 po-

Digitized by Google

vatio, quando *Socrates* ſcilicet mortuus eſt, Platonem fuiſſe Senatorem, adeoque xxx. aetatis annum tum expleviſſe, retrotrahendus erit eius ortus. Itaque non multo poſt praeceptoris fatum in Aegyptum proficiſcitur. *M.* enim *Tullius* apud *Nonium* in *Contendere* diſerte ſcribit, *Platonem, Socrate mortuo, in Aegyptum diſcendi cauſſa, poſt in Italiam contendiſſe.* Si vero lubet ſententiae eorum inhaerere, qui cenſent *Platonem* primum in Italiam ad Pythagoreos adpuliſſe, atque heinc diſceſſiſse Cyrenas & in Aegyptum, atque inde iterum Tarentum ad Pythagoreos rediiſſe, per me quidem licebit. *Plutarchus in Vita Solonis* memoriae prodidit, occaſionem Platoni peregrinationis fuiſſe, olei in Aegypto diſtractionem; mercaturam enim exercuiſſe idem auctor eſt, quemadmodum & alios ſapientes viros *Thaletem*, *Solonem*, *Hippocratem Mathematicum*. Quod ita forte accipiendum videtur, ut *Platonem*, quum numeros & coeleſtia a Barbaris Sacerdotibus ediſcendi maximo deſiderio flagraret, adrepta illa occaſione vel praetextu, Aegyptum peragraviſſe intelligatur.

Sunt qui apud *Laërtium Diogenem* ſcribant *Euripidem* Tragicum una cum Platone profectum itineris illi comitem exſtitiſſe. Sed quum ex Apollodoro apud *Diodorum*, cui & *Thomas Magiſter* vitae Euripidis ſcriptor adſtipulari videtur, *Euripidem* anno III. Olympiadis LXXXXIII. fato functum eſſe liqueat, certe auctores illi mendacii manifeſti arguuntur. Hiſce etiam repugnant *Diogenes Laërtius* in *Socrate*, *Scriptor Olympiadum*, *Suidas* in Εὐριπίδης, & *Epochae Graecorum*, quas doctiſſimus *Seldenus* edidit.

CAPUT II.

Eudoxum *una cum* Platone *in Aegyptum non conceſſiſſe*.

EVdoxum tamen una cum *Platone* in Aegyptum conceſſiſſe, & cum eodem in ea regione verſatum eſſe *Strabo Lib. XVII.* auctor eſt, ſicut & in *II. De Divinatione M. Tullius*. Sed rem aliter ſe habere veroſimilius eſt. *Eudoxus* enim annum viceſimum tertium aetatis agens, ut *Laërtius* ſcribit,

bit,

Digitized by Google

bit, Athenas cum *Theomedonte* medico profectus eſt. *Sotion* ἐν Διαδοχαῖς, & *M. Tullius* in libris *De Divinatione*, Platonis auditorem fuiſſe tradunt. Id contigiſſe videtur anno ii. Olympiadis lxxxxix. quamquam *Euſebius* in *Chronico* initio Olympiadis lxxxxvii. eum floruiſſe ſcribit, quod eſſe non potuit, ſiquidem Platonis diſcipulus fuit: nam ſeptennio poſt mortem Socratis claruiſſet, ut recte notat *Voſſius De Hiſtoricis Graecis Lib. I. cap.* vi. Nec *Plato* diſcipulos in Graecia habuit, niſi poſt ſuum ex Aegypto Athenas reditum, quidquid *Val. Maximus*, & *Hieronymus* ſecus indicare videantur. Eius autem Athenas reditus nonniſi poſt aditam Siciliam Dionyſii Senioris aetate contigit, quod Olympiade circiter lxxxxviii. eveniſſe videtur, anno ſcilicet aetatis circiter quadrageſimo, ut ipſe in Epiſtolis teſtatur, & nos in eius vita, cuius iam voluminis iacturam fecimus, late exſequuti fueramus. *Eudoxus* duos tantum menſes Athenis moratus domum revertitur: forte quod illum *Plato* contemnens ab ſe dimiſerat. Inde amicorum largitate ſubfultus in Aegyptum cum *Chryſippo* medico traiecit.

Id autem poſt annum ii. Olympiadis civ. factum eſſe opinamur. Nam *Diogenes Laërtius* ſcribit illum commendatitias ab *Ageſilao* literas ad *Nectanebin* accepiſſe, a quo & Sacerdotibus commendatus fuerit. Compertum autem habemus *Nectabin* primum *Sebennytarum* Dynaſtiae regem, *Nepheritae* poſtremo *Mendeſiorum* Dynaſtiae regi ſubceſſiſſe anno Periodi Iulianae mmmmcccxxxix. ut videre eſt apud diligentiſſimum Chronologorum *Vſſerium* Harmacanum. Duodecim autem annis regnaviſſe conſtat, cui deinde ſubceſſit *Nectanebis II.* cum quo foedus *Ageſilaus* inierat, & qui tandem fugere coactus eſt anno Per. Iul. mmmmccclxiii. *Nectanebis* igitur *II.* imperaverit ab anno ii. Olympiadis civ. ad annum ii. Olympiadis cvii. Igitur poſt trigeſimum & primum aetatis annum *Eudoxus* in Aegyptum navigavit, & anno Per. Iul. mmmmcccxlviii. illuc adpuliſſe adfirmarem, quandoquidem id laudato *Vſſerio* adridere videtur, niſi quae de literis ad *Nectanebin* ab *Ageſilao* datis ediximus, eas ſecundo *Nectanebi* Lacedemonii Regis amico ſcriptas fuiſſe ſuaderent. Quamquam non diffitendum eſt id fieri

Digitized by Google

potuiſſe etiam *Nectanebi I.* imperante. At illud ſemper ratum firmumque eſto, ante annum II. Olympiadis CI. quo *Nectanebis I.* regnare coepit, *Eudoxum* in Aegyptum non contendiſſe.

Annum in Aegypto unum, & menſes quatuor *Eudoxus* moratus eſt, ſi *Laërtio* fidem habemus. Cyzicum deinde atque in Propontidem tranſmittens ad *Mauſolum* quoque acceſſit, qui Cariae regulus anno Per. Iul. MMMMCCCLXI. obiit, Olympiadis videlicet CVI. anno IV. ut notat laudatus *Vſſerius*. Athenas demum redit habens ſecum diſcipulos plurimos, contriſtandi, ut quidam volunt, Platonis gratia, quod is ab initio illum ab ſe dimiſiſſet. Ad Dionyſium quoque Iuniorem Syracuſarum regem, & quidem poſtquam apud eumdem iam primum *Plato* diverterat, ut *Aelianus* ſcribit, profectus eſt, quod nonniſi poſt primum Olympiadis CIII. Periodi Iulianae MMMMCCCXLVI. annum evenire potuit, qua Olympiade eum floruiſſe & *Laërtius* tradit, & *Anonymus* ſcribit ἐν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ. Hoc enim anno *Dionyſius* ſenior moritur, & regnum filius eius obtinet *Dionyſius*, qui regnare deſiit Periodi Iul. anno MMMMCCCLXXI. Sed ſi *Platonis* Syracuſas ad iuniorem Dionyſium adventus, anno V. C. CCCC. ut *Gellius Lib. XVII. cap.* XXI. ſcribit, contigit, audacter adſerere poſſumus nonniſi poſt annum Per. Iul. MMMMCCCLX. *Eudoxum* ad Dionyſium Iuniorem acceſſiſse. *Eudoxus* autem, annum agens tertium ſupra quinquageſimum, diem obiit.

Haec omnia ſatis perſuadent vero eſſe omnino abſimile *Eudoxum* a *Platone* itineris in Aegyptum ſocium adſumtum fuiſſe. Nam hanc *Platonis* peregrinationem in Olympiadem ſaltem CI. praeter alia abſurda, reiicere oporteret. Exploratae autem fidei eſt iuxta ea, quae *M. Tullius* apud *Nonium*, & *Lib. V. De Finibus*, & *Apuleius* ſcripta reliquerunt, poſt peragratam Aegyptûm illum in Italiam ad Pythagoreos contendiſſe. Id autem contigiſſe anno eius aetatis circiter quadrageſimo ipſe in epiſtola, quam ad Dionis familiares primo ſcripſit, diſerte adfirmat, anno videlicet Per. Iul. MMMMCCCXXVI. tunc enim ad Seniorem Dionyſium profectum ſe eſse ſcribit. Quum enim in Italia verſaretur, Aetnae eructationes, & fervidum

vidum

vidum fretum videndi cupidus, in Siciliam traiecerat, ut *Laërtius*, *Athenaeus*, *Apuleius*, *&* *Olympiodorus* tradunt; atque Syracuſas delatus, adoleſcentis Dionis impulſu cum priore Dionyſio congreſsus eſt, ut *Plutarchus in Dione* memoriae prodidit. Itaque Olympiade LXXXXVIII. iam ex Aegypto reverſus fuerat,

Ex his, quae hactenus diſſeruimus, conſtat, arbitror, quam vere *Ioſ. Scaliger* in Notis *ad Sphaeram Manilii* ſcripſerit, *Platonem*, *Eudoxum*, *Euripidem* profectionis in Aegyptum ſocios, Planetarum curſum ab Aegyptiis didiciſse, & Graecorum omnium primos, populares ſuos id docuiſse; *Platonem* quidem, in *Timaeo*; *Eudoxum*, *ἐν ἐνόπτρῳ*; *Euripidem*, in *Thyeſte*,

C A P V T III.

De mora & ſtudiis Platonis *in Aegypto*.

QVum igitur *Strabo* Platonem & Eudoxum una in Aegyptum contendiſse literis mandaſset, quantum etiam temporis in ea regione permanſerint, indicavit, tredecim videlicet totos annos ibidem cum Sacerdotibus converſatos eſse ex quorundam ſententia teſtatus. Sed de *Eudoxo* aliter ſentiendum iam ſupra ex *Laërtio* inſinuavimus: de *Platone* tamen non vero abſimilia tradit, modo cum hoc temporis tractu, & eius apud Theodorum Geometram Cyrenis, & apud Pythagoreos in Italia moram confuderis. Nam ſi aetati, quam Socratis obitûs tempore *Plato* agebat, tredecim annos adieceris, unum ſupra quadrageſimum annum, quando in Siciliam primum profectus eſt, habebis. Sed forte unum aut alterum annum a Socratis morte in Graecia *Plato* trivit. Nihilotamen minus haud a veritate prorſus abludere heic *Strabonem* deprehendimus. Indictum tamen nolim in *Strabonis* Epitome, non tredecim, ſed tres tantum annos haberi. Quamvis autem *Plato* in Aegyptum addiſcendi gratia conceſſiſset, tamen docuiſse etiam & ſapientiam profeſsum eſse idem *Strabo* libro laudato ſubindicaret, dum ſcribit: *ἐκεῖ οὖν ἐδείκνυντο οἶκοί τε τῶν ἱε-*

 ρέων

ῥέων οἶκοι, καὶ πλάτωνος καὶ εὐδόξου διατριβαὶ: ſi τὸ διατριβαὶ non *domicilia*, ſed *auditoria* interpretandum eſset.

Quum igitur in Aegyptum adveniſset *Plato* heic etiam in Geometriam incubuit, ut *Val. Maximus Lib. VIII. Memorabilium*, *& Clemens Alexandrinus in Protreptico* auctores ſunt; ſed Aſtrologiam praecipue & coeleſtium obſervationum rationem percipere velis remiſque contendit, quod apud laudatum *Maximum*, *M. Tullium V. de Finibus*, & *Apuleium* legere eſt. *Strabo Lib. XVII.* ſcribit, tempore Platonis & Eudoxi ignotas fuiſſe Graecis eas diei ac noctis particulas, quae ſupra dies CCCLXV. excurrunt; easque primum Aegyptios tradidiſſe, a quibus iuniores Aſtrologi acceperint, quod an de *Platone* dicendum ſit, qui *Caput* XIX. *Cenſorini*, & ea, quae *Ptolemaeus Lib. III. Magnae Conſtruct.* habet, mature prius expenderit, diiudicare poterit. Multam etiam gentis illius ritibus, & ſacris cognoſcendis operam eum navaviſſe *Philoſtratus Lib. I. Vitae Apollonii Tyanei*, *& Lactantius IV. Divin. Inſtit.* volumine tradidere. *Iamblichus* vero de Gentium arcanis ſcribens, quemadmodum & *Proclus* ex *Crantore*, perhibet, *Platonem* in Aegypto Philoſophiam ex Mercurii columnis didiciſſe: columnas autem Mercurii doctrinis, myſteriiſque fuiſſe plenas, quod & *Tertullianus Lib. De Anima* confirmat. Cuncta autem Aegyptiorum arcana Platoni reſeravit *Iechnuphis* Heliopolita, qui tanto diſcipulo gloriabatur, ut *Clemens* eorum librorum, quos Στρωματέας inſcripſit, I, literarum monumentis commendavit. Heinc illud Caeſaris Aegyptium Achorea adloquentis apud *Lucanum X. Pharſaliae*:

> . . . . *Cecropium ſua ſacra Platonem*
> *Maiores docuere tui.*

Quum autem indubitatum ſit Medicinam iam ab antiquiſſimis temporibus magno in pretio & honore apud Aegyptios habitam fuiſse, quod & ſuperiori libro comprobavimus; ſubſpicari eſt & ad eam animum in Aegypto adplicuiſse *Platonem*, quum ex *Aeliano Lib. IX. De Var. Hiſtor.* eum Medicinae ſtudioſum fuiſse compertum habeamus. Quamquam & Pythagoreos, quibuſcum verſatus eſt *Plato*, rei medicae ſcientia praecelluiſse ex *Iamblicho in Vita Pythagorae* liquido con-

conſtat: nam & ipſe Pythagoras medica facultate clariſſimus exſtitit *Cornelio Celſo* in *Praefatione* auctore.

C A P V T IV.

An Plato *Aegyptias literas didicerit.*

AT quî *Plato*, ceterique Graecorum Sapientes, qui in Aegyptum doctrinae ac ſtudiorum cauſsa profecti ſunt, Aegyptiorum ſapientiam & arcana ediſcere potuere, quum illius gentis idioma longe diverſum eſſet a Graeco? Sed creditu difficile non videtur, pleroſque omnes ſapientiae quaeſitores viros, & eos praeſertim, qui in Aegypto diutius commorati ſunt, illius regionis literis adſueviſſe, ut tempeſtive ſuperius de *Pythagora*, *Diogenis*, *Antiphontis*, *&* *Valer. Maximi* teſtimoniis & auctoritate probavimus. *Democritum* vero huius linguae notitiam percepiſſe non longa tantum eius in Aegypto mora fortaſſe perſuadeat, ſed etiam quod περὶ τῶν ἐν μεροῆ ἱερῶν γραμμάτων; *De his quae ſunt in Meroe ſacris literis* librum conſcripſerit, *Laërtio* auctore, & *Apollobechen Coptiten* ſuis commentariis inluſtraverit, ut *Plinius Lib. XXX.* teſtatur, magno argumento eſſe poteſt. Quamquam quid περὶ γνησιότητος, huius operis ſentiendum ſit, alibi mature indicavimus. Chaldaeam quoque linguam eumdem calluiſſe ex eo quis ſubſpicetur, quod adoleſcens Magos quoſdam & Chaldaeos audiverit, Xerſe rege patri illius praeceptores, quando apud illum hoſpitatus eſt, relinquente, ut *Diogenes* ait; & περὶ τῶν ἐν βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων. *De ſacris in Babylone literis*, *Chaldaicaque hiſtoria* commentarios exaraverit. Accedit inſuper diu illum in Chaldaea, & Perſide verſatum fuiſſe, quod iam ſuperiori volumine claſſicorum Scriptorum auctoritate functi praeſtruximus: & *Clemens* quidem *Alexandrinus I.* Στρωματ. innuere videtur ſententias Pyramidis Acicari illum interpretatum ad Graecas aures tranſtuliſſe. Ait enim: λέγεται γὰρ τὴν ἀκικάρου στήλην ἑρμηνευθεῖσαν τοῖς ἰδίοις συντάξαι συγγράμμασι. Phoeniciae etiam linguae eum ignarum non fuiſſe prope adfirmarem, ſi *Plinii Lib. XXX.* narratio, qua refertur *Democritum* Dardani

e Phoenice volumina lectitaſſe, & ſuam inde hauſiſſe diſciplinam, variis praeſcriptionibus obnoxia minime deprehenderetur. Id autem iuſtius de Syrio *Pherecyde* ſubſpicabimur, quem multa, eademque ſublimia, comparatis ſibi Phoenicum libris, ſine praeceptore didiciſſe auctor eſt *Suidas*. Sed neſcio an *Blancho Albienſi* fides habenda ſit, qui ſe alicubi legiſſe teſtatur, Lycophronem poëtam literas Ebraicas percalluiſſe, & inde anagrammata conficiendi modum didiciſſe, ut videre eſt apud *Edm. Dickinſonum* in *Libro* cui titulus *Delphi Phoeniciſſantes*.

Et quidem nil facilius praeſtanti ingenio viris quam gentium, quibuſcum verſantur, linguam & ſermonem addiſcere. *Alcibiades* quidem, ſi *Athenaeo Lib. XII. cap.* IX. fidem habemus, linguam Perſicam didicit tantiſper dum apud Pharnabazum commoratus eſt. *Themiſtocles*, eodem *Athenaeo*, & *Plutarcho in Vita*, & *Valerio Maximo* teſtibus locupletiſſimis, ad Xerſem, quem paulo ante devicerat, confugere coactus, priuſquam in conſpectum eius veniret, Perſico ſermoni ſe adſuefecit. Auctor eſt *Solinus cap.* LVI. Libertum Annii Plocami, quum Arabiam peteret, Aquilonibus praeter Carmaniam raptum, ad Taprobanen tandem adpuliſſe: ubi ſex tantum menſium ſpatio Barbarum illius inſulae ſermonem perdoctus, ad conloquia regis admiſsus eſt. Quid de *P. Craſſo Muciano* dicam, qui quum in Aſiam ad Ariſtonicum regem debellandum conſul profectus eſset, tanta facilitate Graecae linguae notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque diviſam genera per omnes partes ac numeros penitus cognoſceret, ut *Val. Maximus Lib. VIII. Memorab. cap.* VII. ſcribit?

Quod ſi non facillime linguarum cognitio percipitur, quomodo *Mithridates* Ponti atque Bithyniae rex inclytus, duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris, haud unquam per interpretem loquutus eſt, ut *Maximus*, *Plinius*, *Solinus*, *Gellius* indubitabili adſertione teſtantur? Cur *M. Cato Cenſorius* provecta iam ſenectute decrepitus Graecis literis erudiri concupivit, quod laudatus *Maximus*, & *Cicero De Senectute* tradunt? Quî Sarſinas *Plautus*, dum molam verſat in piſtrino, & fabulas feſtiviſſimas ſcribit, Punicum Sermonem edidicit?

Non-

Digitized by Google

Nonne *Plutarchus*, ut ipſe initio *Vitae Demoſthenis* adſeverat, ex rerum, quae tractabantur, cognitione, ad perfectam Latinae orationis intelligentiam expeditiſſima ratione pervenit? Superfluum heic exſequi exiſtimo quam proclive fuerit Romanis Graecas literas diſcere, & quomodo inter Urbis feminas in luxum eiuſmodi eruditio tranſierit, quod vel *Ovidius* indicat, dum ſuadet rem puellis gratam facturos Amantes, ſi duarum linguarum eruditione praeſtiterint:

Profuit & linguas edidiciſſe duas.

Sed explicate, & ſolita dicacitate *Iuvenalis Satyr. VI.*

Nam quid rancidius quam quod ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quae de Tuſca Graecula facta eſt?
De Sulmonenſi mera Cecropis? Omnia Graece,
Quum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.
Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta.

Si autem ad recentioris aetatis exempla deſcendere lubet, iuvenis Diis, prope dixerim, par *Ioh. Picus*, & doctiſſimus *Rup. Bellarminus*, quam brevi temporis tractu Ebraicam linguam edocti ſint, magis notum eſt quam ut commemorare opus ſit. Ipſe autem quum in Germania eſſem magno cum ſtupore notavi non honeſtos tantum viros, & humanarum literarum ſtudiis excultos diverſis linguis facile & expedite loquentes, ſed mulierculas ipſas, & famulos, & muliones, & rupices nunc Latine, nunc Gallice, nunc Italice ſermocinantes admirabar, quod quidem vix credibile dictu eſt. Et quoniam de Germania mentio incidit, ſilentio praeterire nefas exiſtimo, quum Vindobonae, in Vrbe Norici clariſſima, commorarer, nobiliſſimum virum, & ampliſſime commendandum a me ibidem cognitum fuiſſe, *Marchionem Bartholomaeium* Florentinum Sereniſſimi Magni Etruriae Ducis apud Caeſarem Ablegatum. Quis enim ſine piaculo celebrare neglexerit optimi Viri, & prope ex virtutibus coagmentati modeſtiam, humanitatem, adfabilitatem, elegantiam, amplitudinem, munificentiam, in bonas liberaleſque artes proclivitatem ſingularem, & erga doctos homines amorem & benevolentiam incredibilem?

Nec facile eſt perſuaſu Graiae gentis homines, cultioreſque

que alios populos a Barbararum linguarum cognitione & ſtudio prorſus abhorruiſſe, quum certa hiſtoriae fide compertum habeamus, rem aliter ſe habuiſſe, & vel pluria ſciendi cupidine, vel ſibi oblata loci aut temporis opportunitate permotos cum Graecos, tum Romanos in Barbari ſermonis intelligentiam ſedulo gnaviterque incubuiſſe. Iſthuc autem ipſum perſpicue luculenteque confirmant, quae ſuperius protulimus, *Pythagorae*, *Themiſtoclis*, *Alcibiadis*, *Anonymi Liberti*, & *Plauti* Comici exempla: *Arrianus* autem *Lib. III.* περὶ ἀναβάσεως narrat ab Alexandro Barbaris Captivis Laomedontem Larichi F. praefectum fuiſſe, quod δίγλωσσος ἦν ἐς τὰ βαρβαρικὰ γράμματα. Et perſuaderi hoc ipſum poteſt ex eo quod videamus diverſa Sapientum virorum opera Barbaro ſermone conſcripta, Graece olim, & vetuſtis quidem temporibus, fuiſſe converſa: quod quidem fieri non potuit niſi ab hominibus utriuſque linguae peritiſſimis. Exploratae enim fidei eſt *Zoroaſtris* libros in Graecam linguam antiquitus translatos fuiſſe, adeoque *Hermippus*, qui de Arte Magica diligentiſſime ſcripſit, vicies centum millia verſuum a *Zoroaſtre* condita, indicibus quoque voluminum eius poſitis, explanavit, ut ſcribit *Plinius Libro XXX. cap.* I. Etſi vero non liqueat, an a Graeco aliquo, qui Chaldaeum ſermonem calluerit, vel a Chaldaeo homine Graece erudito, illi converſi fuerint, niſi *Hermippus* ipſe id perfecerit; *Laetum* tamen, ut habet *Clemens Alexandrinus*, nam *Chaetus* legitur apud *Tatianum*, ſive ex adpellationis indicio, ſive ex eo quod Philoſophorum vitas adcurate ſcripſiſſe perhibetur, Graecum fuiſſe forte intelligitur: is autem *Theodotum*, *Hypſicratem*, & *Mochum* Phoenices Scriptores, Graece interpretatus eſt. Vt autem ad Romanos tranſeat oratio, *Q. Ennius* quum Latine & Graece loqui ſciret, Oſcam quoque linguam percalluit, quare tria corda habere ſeſe dicebat, ut *Gellius Lib. XVII. cap.* XVII. memoriae prodidit. Carthagine autem capta, adeo Romani Punico ſermone delectabantur, ut quum Senatus duodetriginta Poeni *Magonis* de Agricultura volumina in Latinam linguam transferenda cenſuiſſet, multis linguae Punicae peritis negotium dederit, in quo tamen praeceſſit omnes vir tum clariſſimae familiae *D. Syllanus* ſapientiae compoſitiſſimae, ut ait *Plinius*
Lib.

Digitized by Google

Lib. XVIII. Hiſt. Natur. cap. III. Heinc & *Hannonis* Carthaginienſium ducis commentarii, Punicis rebus florentiſſimis explorare ambitum Africae iuſſi, de quibus laudatus *Plinius Libro V. cap.* I. a Latinis Graeciſque hominibus lecti paſſim, & intellecti. Heinc *Hiempſalis*, & alii Punici libri laudati, ut videre eſt apud *Melam* & *Solinum cap.* XXXV. De *Plauto* quidem opportune iam mentionem fecimus, qui tam multa in Poenulo Punica habet; ubi etiam indicare videtur Punicae linguae uſum multis Romae fuiſſe familiarem, quum & ſervus, haud certe Poenus, Punice ſe iactitet loquuturum. Ait enim:

Adibo, atque hoſce adpellabo Punice,
Si reſpondebunt, Punice pergam loqui,
Si non, tum ad horum mores linguam divortero.

Quid vero de Linguae Etruſcae cognitione, quae maxime inter Romanos viguit, dicam? Heinc ab eis rituales Etruſcorum libri habiti, & Tuſcae hiſtoriae lectae atque evolutae, ut ex *Cenſorino De Die Natali cap.* XVII. liquet. Sed iam tempus inſigne exemplum adducere, ex quo liquido conſtare poterit, quam ſerio & lubenter docti ſapienteſque viri Barbararum gentium, quas inter verſabantur, literis & orationi ſe adſueſecerint, illudque *Ovidii* calamitas, qui Tomos in Pontum ab Auguſto Caeſare relegatus eſt, tempeſtive ſuppeditabit. Quum enim in Barbaras illas regiones vates elegantiſſimus delatus eſſet, adeo illarum gentium ſermonem penitus animo comprehendit, ut non tantum cum illis familiariter & expedite conloqueretur, quod ipſe *Lib. III. De Ponto Epiſt.* II. *Cottae* teſtatur canens:

Heic quoque Sauromatae iam vos novere, Getaeque,
Et tales animos Barbara turba probat.
Quumque ego de veſtra nuper probitate referrem.
[Nam didici Getice, Sarmaticeque loqui]
Forte ſenex quidam coetu quum ſtaret in illo,
Reddidit ad noſtros talia verba ſonos &c.

ſed etiam ſexto ſui exilii anno poëma quoddam Getice compoſuerit, gentilſque meruerit adprobationem. De eo autem *Lib. IV. De Ponto Epiſt.* XIII. *ita ſcribit, Caro* ἐπιςέλλων:

Nec te mirari, ſi ſint vitioſa, decebit

Car-

Carmina, quae faciam poene poëta Getes.
Ah! pudet, & Getico ſcripſi ſermone libellum:
Structaque ſunt noſtris Barbara verba modis.
Et placui [gratare mihi] coepique poëtae
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quaeris? laudes de Caeſare dixi,
Adiuta eſt novitas numine noſtra Dei.
Nam patris Auguſti docui mortale fuiſſe
Corpus: in aethereas Numen abiſſe domos.
Eſſe parem virtute patri, qui fraena coactus
Saepe recuſati coeperit imperii.
Eſſe pudicarum te Veſtam, Livia, matrum,
Ambiguum nato dignior, anne Viro,
Eſſe duos Iuvenes firma adiumenta parentis,
Qui dederint animi pignora certa ſui.
Haec ubi non patria perlegi ſcripta camoena,
Venit & ad digitos ultima charta meos;
Et caput, & plenas omnes movere pharetras;
Et longum Getico murmur in ore fuit.

Et mirum profecto eſſet ſi Graeci homines, qui immenſo ſapientiae amore percellebantur, & acri pollebant ingenio, & exilia verius, ut cum *Plinio* loquar, quam peregrinationes doctrinae gratia ſuſcipiebant, earum gentium, inter quas tam ſedulo & laborioſe ſcientiam diſciplinaſque quaerebant, literas omnino neglexiſſent, quum & tanta proclivitas, & tanta opportunitas eas cognoſcendi ſubpeteret. Quid quod nulla via brevior atque ſecurior, ut perfectam, & numeris omnibus abſolutam Barbaricorum dogmatum notitiam conſequerentur? Ipſe quidem video quicumque Barbari Graeca ſapientia praeſtare voluerunt, eos huius gentis literis ſedulam operam navaviſſe prius, & ſic ad illam doctrinae laudem & eminentiam perveniſſe. Num in hoc ſtudio illi Graecorum induſtriam & diligentiam longe ſuperaverint? At prope id arbitrari Graiae gentis hominibus iniurium eſſe videatur. Barbarorum autem Sapientum Graece eruditorum exempla quamplurima obcurrunt, ut *Abaridos Hyperborei; Zamolxidos* Thracis; *Beroſi*, & duorum *Iulianorum* Chaldaeorum; *Herilli, Clitomachi*

chi, *&* *Demetrii* Carthaginenſium; *Manethonis*, *Hieronymi*, *Chaeremonis*, *Apionis*, *&* *Heraclidis Lembi* Aegyptiorum; *Heracliti*, *Porphyrii*, *Maximi*, *Antipatri*, *&* *Apollonii* Tyriorum; *Mithris*, *Philonis Byblii*, *Pompilii Andronici*, *Iuſtini Martyris*, *Tatiani* Syriorum; *Antipatri*, *Dionyſii*, *Boethi* Sidoniorum; *Metroclis &* *Sotadis* Maronitarum; *Ioſephi* Hieroſolymitani; *Favorini* Galli, & ſexcenta alia, quibus percurrendis ſuperſedemus, ne potius catalogum quemdam adornare, quam noſtram propoſitionem confirmare & inluſtrare videamur.

Stultum autem eſſet obponere, illud fuiſſe Graecae Sapientiae nomen & celebritatem; eas linguae elegantiſſimae veneres & inlecebras, quae mortales ceteros quadam veluti mirabilitate perculſos, aut dulcedine captos potenter adtraherent: quae quidem laudes & praerogativae gentibus aliis defuerint. Perſpectum enim, & exploratum habemus cum Aegyptiorum, tum Chaldaeorum ſapientiam apud omnes ſemper exſtitiſſe celeberrimam, nec latuiſſe quemquam quanta Indorum Brachmanes, & Gymnoſophiſtae, aliaeque Barbarae nationes doctrina & ingenio praecellerent: & de hoc quidem ipſi Graeci teſtimonia luculentiſſima reliquere, & ſufficit ut in memoriam revocentur, quae ſuper hac re libro ſuperiore mature & diligenter exſequuti fuimus. Et ſua quoque linguis Orientalibus, aliiſque venuſtas eſt & elegantia, quibus ſi minus bella, aut amores, illuſtribus voluminibus ſcriptis, modulate & numeroſe canebantur; mirabilis certe coeleſtium rerum ſcientia, & alta abſtruſaque ſapientiae divinioris arcana ad maximam & incredibilem humani generis utilitatem literarum monumentis commendabantur. Eos quidem populos mihi audire videor cum *Manilio Lib. III. Aſtronomicῶν* ita loquentes:

Huc ades, o quicumque meis advertere coeptis
Aurem oculoſque potes, veras & percipe voces.
Non ad iuratos reges, Troiamque cadentem
Impendas animum, nec dulcia carmina quaeras.
Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Si vero nullum exſtaret in eorum, qui longa itinera ingreſſi

greſſi inter varias gentes verſati ſunt, voluminibus indicium, aut veſtigium, ex quo liceret intelligere eos Barbararum linguarum cognitione praeditos fuiſſe, certe id vel proveniſſet ex eo, quod argumenta, materiaeque, quae tractabantur, minime id requiſiviſſent; vel quia, quum Graecis Barbara, quae didicerant, placita traderent, inutile prorſus & ſupervacaneum fuiſſet verba Aegyptiaca, aut Perſica, aliave eiuſmodi ingerere; vel quia pleraque omnia illorum Sapientum monumenta aetatem non tulerunt, admodum difficile eſt in huiuſmodi notitiam pervenire. Animadvertendum eſt inſuper non linguas tantum peregrinas ſibi notas fuiſſe eos diſſimulaſſe, ſed nec ſuorum etiam itinerum & peregrinationum unquam in ſuis commentariis quoſdam meminiſſe: adeo ut quum ex iis, qui pervetuſtis temporibus Aegyptios convenere, *Homerus* inter alios, & *Euripides*, & *Plato* ſua volumina a temporis iniuria ſervata ad nos uſque tranſmiſerint; tamen ſi ex his eorum in Aegyptum profectionem cognoſcere velis, oleum tibi certe, & impenſa perierit. Vnum *Democritum*, quod ſciam, inter Philoſophos ſuae Athenis morae in quodam commentario mentionem feciſſe tradit *Maximus Lib. VIII. Memorab. cap.* VII. Quod autem adfirmabamus, neglexiſſe Veteres ſuam exoticorum idiomatum peritiam oſtentare, niſi id omnino argumentum, quod prae manibus habebant, exigeret, vel ex eo liqueat, quod ex *Ennii*, quae ſuperſunt, fragmentis nunquam conligere erit Rhudium vatem Oſce eruditum fuiſſe; & niſi *Ovidius* ſe Geticam Sarmaticamque linguam calluiſſe teſtaretur, nunquam profecto ex eius carminibus iſthuc ipſum deduceremus: & *Plautus* ipſe, niſi fabulam, cui *Poenulo* titulus eſt, ſcripſiſſet, Punici ſermonis ignarus facillime crederetur. Ceterum quando id operis ratio popoſcerat, & res, de quibus agebatur, talem eruditionis cultum patiebantur, qualemcumque linguarum Barbararum notitiam haberent, oſtendere non omnino omiſerunt, ut in ſua hiſtoria *Herodotus*, *Plato* in *Cratylo*, *Plautus* in *Poenulo*, *Virgilius* in *Aeneide*, *Varro* in *Libris de Lingua Latina*, *Silius Italicus De Bello Punico*, *Servius Honoratus* in *Commentariis*, quibus Mantuanum Homerum inluſtravit. Recte *Manilius Lib. III. Aſtronomicῶν:*

Et

Et ſiqua externa referentur nomina lingua
Hoc operis, non vatis erit: Non omnia flecti
Poſſunt, & propria melius ſub voce notantur.

Expendendum inſuper propoſuerim, etſi *Diogenes Laërtius*, qui Philoſophorum vitas diligentiſſime ſcripſit, hanc Barbararum linguarum cognitionem nulli philoſophorum Graecorum expreſſe vendicet, nihil tamen ex eius ſilentio, quod noſtram adſertionem labefactet, exprimi poſſe. Primo enim certum exploratumque eſt multa a *Laërtio* in Philoſophica hiſtoria deſcribenda omiſſa fuiſſe, quod quidem impugnare non audeat, niſi qui in antiquis Scriptoribus perlegendis minime exercitatus fuerit, aut ne doctorum quidem virorum, & *Aeg. Menagii* praeſertim, ad illum Biographum notas unquam inſpexerit, vel in Philoſophicam *Thomae Stanleii* Hiſtoriam ſaltem inciderit. Nam, ut exempli gratia aliquid proferam, quia *Laërtius* Pythagoram Aegyptias literas perdoctum fuiſſe ſilentio tranſiliit, expreſſa & luculenta hac de re alterius *Diogenis, Antiphontis*, & *Maximi* teſtimonia reiiciemus? Et ſi id *Laërtio* in *Pythagora* memoria excidit, vel notare neglexit; cur & in aliorum vitis idem illi potuiſſe contingere non ſubſpicemur? Secundo, proclive *Laërtio* eſſe potuit eiuſmodi ſcribendo praeterire, quod ſatis eſſe arbitraretur Philoſophorum itinera & peregrinationes, & gentes, quibuſcum congreſſi fuerant, indicaſſe: nam eos hac occaſione nonnullam exoticarum linguarum, & pro mora, quam in Barbaris regionibus fecerant, magis aut minus abſolutam cognitionem hauſiſſe veluti ſponte conſequebatur. Obtuſiori pectore profecto, hebetiorique ingenio fuiſſent, qui per multos annos cum aliqua gente converſati, eius gentis literis prorſus expertes in patrium ſolum rediiſſent.

Quod autem *Platonem* adtinet, non temere quem atque inconſulte facturum exiſtimarem, ſi non omnino eum Aegyptiae literaturae rudem arbitraretur, quandoquidem id longa eius in Aegypto mora perſuadere videtur. Nam & vir acri ingenio fuit, & multis ediſcendis exercitato; nec minus quam Pythagoras ſapientiae, & multa cognoſcendi amore correptus. Ceterum *Auguſtinus Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* XI. Platonem,

Digitized by Google

nem, ut Sacerdotum doctrinam, & myſteria perciperet, interprete eſſe uſum adfirmat, quod forte de eo tempore, quo recens adhuc in Aegyptum advenerat, intelligendum eſt, quando & ſimile exemplum habemus in Themiſtocle apud *Plutarchum in Vita*. Et quidem *Plato* ipſe aliarum etiam praeter Graecam linguarum nonnullam ſe habuiſſe notitiam ſatis indicat in *Cratylo*, & *Epinomide*, ubi & Phrygia vocabula, & Syria nomina, & Barbaras adpellationes notat, & diſcutit.

C A P V T V.

Multos Iudaeorum Aegyptum incoluiſſe, quum illhuc Plato *conceſſit.*

OPportune ſuperiore huius retractatus volumine oſtendimus Iudaeos plurimos cum decem Tribuum diſperſionis, tum Ieremiae & Baruchi Prophetarum aetate, anno videlicet Per. Iul. MMMMCXXVI. in Aegyptum ſe recepiſſe, atque ab *Eſdra* tandem Artaxerſis permiſſu anno memoratae Periodi MMMMCCXXXXVII. Iudaeorum remp. fuiſſe reſtitutam, centum & uno ſupra viginti annis ab hac poſteriore fuga Iudaeorum in Aegyptum elapſis. Vſque in haec tempora profugorum illorum plurimos Aegyptum incoluiſſe, Perſarum tyrannidem indignantes, non videtur dubitandum. Rep autem reſtituta alios in patrium ſolum reverſos eſſe, alios in Aegypto, cui iam adſueverant, & ubi qualeſcumque fortunas ſtabiliverant, remanſiſſe, prout feciſſe eos, qui in Chaldaeam captivi abducti fuerant, ſuperius ex *Ioſepho* probavimus, vero eſt quamſimillimum. Exſtat quidem *Ieremiae* vaticinium *cap.* XXXVII. quod iis, qui in Aegyptum fugerant, vel mortem, vel Babylonicam captivitatem praedicit, & quod quidem adimpletum fuiſſe pro certo habendum eſt, ut recte notat *Sigonius* redarguens *Sev. Sulpitium*, qui *Lib. II. Hiſtor. Sacrae* ſcriptum reliquit: *Sed plebs adſueta malo, inſolens parendi ſalubribus conſiliis, & divino imperio, profecta eſt in Aegyptum, quid de eis poſtea actum ſacris literis ſiletur: nobis nihil compertum*. Sed huius etiam prophetiae, quam *Ieremias*

cap.

cap. xxxxiv. repetit, implementum aperte conligitur, cum ex laudato capite, & *cap.* xxxxvii. huius Prophetae, tum ex *Ezechielis cap.* xxix. *& ſequent.* quod confirmat *Ioſephus Lib. X.* Αρχαιολογ. *cap.* xi.

Nihilo tamen minus animadvertendum eſt, etſi anno Per. Iul. mmmmciv. *Nebuchadneſar* Babyloniorum rex mmmxxiii. Iudaeos Babylonem captivos abduxerit, ut habetur *Ieremiae cap.* lii. & inſequenti anno decem & octo millia captivorum ex Iudaea pariter in Aſſyriam deportaverit, annoque Periodi Iul. mmmmcxxiv. captivos dccccxxxii. eodem migrare iuſſerit: quin ſequenti anno captis & conflagratis Hieroſolymis Sedekiam regem excoecatum, & Iudaeos Babylonem abduxerit, & tantum de populo tenuiſſimos, ut eſſent vinitores & agricolae, reliquiſſe dicatur, ut ex *Ierem.* xxxix. xl. lii. & *III. Reg.* xxv. patet; tamen revera Iudaeorum quamplurimi in patrio ſolo remanſere, & multi etiam ex primariis. Nam *Ieremiae cap.* xl. *verſ.* 7. 12. & *III. Reg.* xxv. *verſ.* 23. 34. narratur, Duces & milites [qui ſcilicet cum *Sedekia* noctu Hieroſolymis aufugerant, *III. Reg.* xxv. 4. *Ierem.* lii. 7.] in agris paſſim palantes diſperſos fuiſſe, multoſque Iudaeos, qui ad Moabitas, Ammonitas, & gentes finitimas ſe receperant una cum illis ad *Godoliam* Praefectum in patriam ſuam reverſos eſſe, ubi vini, & olei, & aeſtivorum fructuum copioſum proventum conlegere. Sed multos viros nobiles ibidem relictos fuisſe conſtat etiam ex *cap.* xli. laudati *Ieremiae*, ubi Iſmahelis facinus, & Iohannis virtus exponitur. Hi autem fere omnes ſunt, qui hoc eodem anno in Aegyptum confugerunt, non pauci quidem numero, ut liquet. Etſi enim *Ieremiae cap.* xlii. dicunt: *Derelicti ſumus pauci de pluribus*; tamen ſcite ac ſolerter ad hunc locum ita commentatur eruditus *Calmetius*: *Se comparant*, inquit, *illi nationi numeroſae & potenti, quae ſub Regibus ante extremum Iudae exitium viguerat. Sed tunc quoque erant magno numero, quum ex cuncta vicinia conveniſſent,* Ierem. cap. xliii. 5. *ſi iis, qui principio obſidionis fuerant, & poſt capta ſtatim Hieroſolyma, conferantur.* Ingens itaque Iudaeorum multitudo in Aegyptum conceſſit, multique etiam in Palaeſtina, & finitimis regionibus remanſere,

G Nam

Et anno quidem Periodi Iulianae MMMMCXXX. *Nebuzardan* obſeſſa Tyro Iudaeorum reliquias cum Tyriis miſtas deportavit ad capita DCCXXXXV. & hoc ipſum etiam evidenter elucet ex *II. Eſdrae cap.* I. 2.

Hiſce rite praeſtructis ne de modico profugorum Iudaeorum numero nobis praeſcriberetur, adeoque de faciliori, & generali eorumdem interitu; de vaticiniorum *Ieremiae*, & *Ezechielis* complemento videamus. *Ieremias* igitur *cap.* XLII. & XLIV. praedicit Iudaeis, qui in terram Aegypti fuga ſe proripere deliberaverant, omnes ibidem gladio, & fame perituros, & a minimo uſque ad maximum conſumtum iri, & diſerte explicateque ſubiicit: *Et non erit qui effugiat, & ſit reſiduus de reliquiis Iudaeorum, qui vadunt ut peregrinentur in terra Aegypti*. Et anno quidem Per. Iul. MMMMCXXXXIII. *Nebuchadneſar* Aegypto potitur a Syene uſque in terminum, & tum Aegyptiorum, tum Iudaeorum inter illos agentium alios gladio caedit, alios captivos abducit, ut etiam *Ioſephus Lib. X.* Ἀρχαιολογ. memoriae tradidit. Sed neminem profecto latet, qui paululum coeleſtium literarum lectioni adſueverit, multa interdum a Prophetis ὑπερβολικῶς enuntiari, quod *Auguſtinus* obſervat; & recte ac ſapienter notat *Polychronius* in *cap.* IX. *Ezechielis* magna ac terribilia Deum ſaepe minari, non quod inferre velit, ſed quia terrere conſtituit: id quod & heic de *Ieremia* dicendum eſt, alioquin ipſe Propheta ſibi vix conſtare deprehenderetur, quod quidem dictu nefas. Hic enim *cap.* XLIV. quamquam eaſdem minas repetit, fore tamen ut quidam effugiant, edicit his verbis: *Et non erit qui effugiat & ſit reſiduus de reliquiis Iudaeorum, qui vadunt ut peregrinentur in terra Aegypti, & revertantur in terram Iuda, ad quam ipſi elevant animas ſuas, ut revertantur, & habitent ibi: non revertentur niſi qui fugerint*. Et ex intervallo: *Et qui fugerint gladium revertentur de terra Aegypti in terram Iuda viri pauci: & ſcient omnes reliquiae Iuda ingredientium terram Aegypti, ut habitent ibi, cuius ſermo compleatur meus, an illorum*. Quod tamen leniter eſt etiam interpretandum, ut non omnes in terram Iuda ex Aegypto revertiſſe intelligatur, qui gladio minime perierant, ſed quoſdam ibidem reliquos fuiſſe, ut etiam ani-

animadvertit doctiſſimus *Calmetius in Hiſtoria Veteris Teſtamenti* ad annum Mundi MMMCCCCXVII. Non abſimilia de *Ezechielis* praedictionibus dicenda eſſe, quicumque eius volumen non oſcitanter evolverit, primore adſpectu comprehendet.

Et quidem multa ſunt quae perſpicue dilucidèque demonſtrent Iudaeos in Aegypto poſt illius regni vaſtationem a rege Babyloniorum factam verſari, & commorari non deſiiſſe. *Zacharias* enim *cap.* X. prophetatur, in fine captivitatis, qui ſub *Eſdra* contigit, Iudaeos non tam ex Aſſyria quam ex Aegypto in patrias ſedes reducendos eſſe, quod fieri non potuiſſe patet, niſi eorum multi per ea tempora in hac regione exſtitiſſent. Multi inſuper Iudaei ex decem Tribuum diſperſione ab antiquo tempore Aegyptum incolebant, ut Propheta *Oſee* teſtatur, quod & tempeſtive ſuperius adſtruximus: & hi quidem *Ieremiae* minis, & infauſtis vaticiniis obnoxii fuiſſe non videntur: quamquam commune Aegyptiorum infortunium, quod *Ezechiel* praedixit, perpeſſos fuiſſe non eſt dubitandum. Adde, quod anno Per. Iul. MMMMCCV. *Darius Ochus*, quem illum eſſe cenſent, qui in ſcriptura *Aſſuerus* adpellatur, & qui imperium obtinuit anno MMMMCXCIII. per omnes ſui regni provincias edicta propoſuit, quibus ut omnes Iudaei occiderentur indicebatur; eodemque anno alia iterum edicta per eaſdem provincias miſiſſe traditur, quibus permittebatur Iudaeis ut ſe defenderent. Ille autem in Hiſtoriae Eſtherae initio *Regnum* dicitur *obtinuiſſe* ab India uſque ad *Aethiopiam centum viginti ſeptem provinciarum*. Inter has autem provincias & Aegyptus erat. Nam *Cambyſes* Cyri F. Anno Periodi Iul. MMMMCLXXXIX. eam armis ſubegit, quum *Amaſis* a Cyro anno, ut videtur, MMMMCLXXXIII. defeciſſet: quo quidem anno captiva multitudo Aegyptiorum in terram ſuam rediit, cum quibus & Iudaeos reverſos eſſe vero eſt quamſimillimum, una enim cum Aegyptiis captivi abducti fuerant, ut ex *Ezechiel. cap.* XXIX. 11. 16. & *Ierem. cap.* XLVI. 26. deducere eſt. Quum igitur in Eſtherae hiſtoria memoriae proditum ſit, edicta illa ab *Aſſuero* per centum viginti ſeptem ſui Imperii provincias propoſita fuiſſe, ut *cap.* III. & VIII. ſcribitur: conſectarium videtur exſiſtere, Iudaeos per eas omnes fuiſſe diſperſos, &

per Aegyptum pariter, quae iterum a Perſis defecit tantum anno MMMMCCXXVII. & anno deinde MMMMCCXXX. iterum eſt a Xerſe Darii ſubceſſore ſubacta: & id omne animadvertebat etiam *Calmetius* Diſſertatione *De decem Tribuum diſperſione* quam ſuis in Paralipomena Commentariis praefixit.

Nec quis obiecerit vero abſimile non eſſe, quum reſp. Iudaica *Artaxerſis* permiſſu ab Eſdra anno MMMMCCLVII. reſtituta fuiſſet, Iudaeos, qui in Aegypto exulabant, in Iudaeam iterum ſe contuliſſe: nam & paulo ſuperius huic difficultati opportune obcurrimus, & nunc adiicere poſſumus, adeo verum eſſe Iudaeos in Aegypto verſari poſt ea quoque tempora non deſtitiſſe, ut *Syncellus* literarum monumentis ex *Iulio Africano* commendaverit; quod & antea *Hecataeus* Abderita apud *Ioſephum Lib. I. contra Apionem* tradiderat, *Artaxerſem Ochum* Phoenice, & Aegypto debellatis ingentem captivorum numerum ex iis trans Euphratem abduxiſſe, & inter eos magnam Iudaeorum copiam ex Aegypto detractam, quos in Hyrcaniam ad mare Caſpium deportavit. Contigit id anno Per. Iul. MMMMCCCLXVII. poſt reſtitutam remp. Iudaeorum CXX. poſt *Platonis* in Aegyptum profectionem LII. ut iam candidos ſolis radios negaturus ſit, qui *Platonis* aetate multos Iudaeorum in Aegypto commoratos fuiſſe inficias ierit. Et heic obiter & e re nata notandnm, etſi eorum opinio, qui decem Tribus Iſraelis tandem in patrium ſolum una cum aliis duabus Eſdrae temporibus reverſas eſſe cenſent, ſubſiſtere deprehenderetur, ut *Calmetius* quidem inter alios in Diſſertatione *De decem Tribuum in Terram Iuda reverſione* pertendit, tamen non exinde deducere licere Iudaeos omnes exules in Palaeſtinam regreſſos eſſe, ſed multi adhuc, ut iam liquido demonſtravimus, cum in Aegypto, tum in Perſide, aliiſque Provinciis diſperſi remanſere.

Et iſta quidem paulo prolixius diſputare lubuit, non ut doctis viris, quibus nil planius eſt atque perſpectius, quam id quod adſerui, ſatisfacerem; ſed ut hominis vere plumbei, & in meridie veluti in tenebris offendentis, ineptas difficultates vera atque irreprehenſa reſponſione difflarem, & ſuam illi ſtultitiam conſpicuam & exſtantem veluti ob oculos ponerem.

Quum

Quum igitur *Platonem* perveniſſe in Aegyptum, multis adhuc Ebraeorum in ea regione exulantibus *Lib. IX.* Προπαρασκ. *cap.* VI. ſcripſit *Euſebius*, minime falſus eſt. *Plato* enim in Aegyptum traieciſſe videtur anno Per. Iul. MMMMCCCXV. vel circiter, uno ſcilicet vel altero anno poſt mortem Socratis.

CAPUT VI.

Plato *non fuit* Ieremiae *Prophetae coaevus. An cum Iudaeis in Aegypto congreſſus fuerit.*

Falſus tamen eſſet *Ambroſius* Antiſtes Mediolanenſis, ut ex numerorum ratione, quam tradidimus, ſtatim elucet, ſi, quemadmodum *Auguſtinus Lib. II. De Doctrina Chriſtiana* memoriae prodidit, adfirmaſſet, *Platonem* Ieremiae Prophetae temporibus profectum eſſe in Aegyptum, ubi tunc temporis vir ille caſtiſſimus verſabatur. Sed quum idem *Auguſtinus Lib. II. Retractationum* cenſoriam virgulam in ſe ipſum adſumens, ſe ea in re memoria lapſum ingenue fateatur his verbis uſus: *In eo, quod dixi de temporum hiſtoria, Sanctum Ambroſium ſolviſſe quaeſtionem, tamquam coaetanei fuerint Plato & Ieremias, me feſellit memoria. Nam quid ille de bac re Epiſcopus dixerit in libro eius legitur, quem de Sacramentis ſive de Prophetia* [editio operum Auguſtini a doctiſſimis Monachis Gallis adornata habet, *de Philoſophia*] *ſcripſit; Ambroſium* tam ingentem errorem erraviſſe haudquaquam dicendum eſt, quod mirari ſubit ab eruditiſſimo *Clerico* in ſua *Art. Critic. Part. I. cap.* I. §. 2. non fuiſſe animadverſum, ibi enim non dubitat ea de cauſa *D. Ambroſium* immanis erroris, & turpiſſimi in numerorum ratione lapſûs arguere. Quapropter quod laudatus *Auguſtinus Lib. VIII. De Civit. Dei* iterum adſerit, ſe videlicet quorumdam opinionem in libris ſuis poſuiſſe, qui putaverunt *Platonem*, quando perrexit in Aegyptum, *Ieremiam* Prophetam audiviſſe, eidem cenſurae obnoxium arbitrari oportet: & tum pariter quid vere ea de re ſenſiſſet Ambroſius, memoria ſibi excidiſſe nondum ab eo animadverſum, quamvis in numero temporum errorem ineſſe iam deprehendiſſet. Nam libros,

quibus *De Doctrina Chriſtiana* titulum fecit, circiter Chriſti annum CCCXCVII. ille inchoavit; ſub annum vero CCCCXXVI. abſolvit: ingens autem *De Civitate Dei*, & plenum literis opus, quum anno CCCCXIII. inceptum fuiſſet, anno CCCCXXVII. vel antecedenti ad umbilicum deductum fuit. Sed *Retractationum* libri anno CCCCXXVI. vel inſequenti conſcripti ſunt, quando iam, ut videtur, *Auguſtino* librorum Ambroſii copia facta fuerat: nam anno CCCXCVI. quo ineunte ſcripta eſt Epiſtola XXXIV. *ad Paulinum*, ut doctiſſimi Monachi, quorum calculis inhaeremus, obſervant, eos non habebat; ſicuti non habuiſſe videtur quum libros *De Civitate Dei* compoſuit. Ceterum iis libris, quos *De Sacramentis vel de Prophetia*, Ambroſius inſcripſit, & qui aetatem non ferentes toti interciderunt, eum adverſus Platonicos, alioſque, qui Ieſum Chriſtum ſua praeclara & divina praecepta ex Platonis libris derivaſſe per ſummam calumniam iactitabant diſputaviſſe exploratum habemus ex eodem *Auguſtino*, qui memorata ad Paulinum Epiſtola ita ſcribit: *Libros beatiſſimi Papae Ambroſii credo habere ſanctitatem tuam, eos autem multum deſidero, quos adverſus nonnullos imperitiſſimos & ſuperbiſſimos, qui de Platonis libris Dominum profeciſſe contendunt, diligentiſſime & copioſiſſime ſcripſit.*

Obiter heic inſuper notandum eſt, peccaviſſe etiam *Auguſtinum*, quum *Lib. VIII. De Civitate Dei cap.* XI. Ieremiam centum tantum annis Platone antiquiorem eſſe adſeveravit. Nam inter *Ieremiae* aetatem & *Platonis* ortum ſaeculum circiter cum dimidio interfluxit. Melius autem *Lib. XVIII.* eiuſdem operis *cap.* XXXVII. cenſuit Scriptor egregius, ubi non multo poſt Eſdram Platonem eſſe natum ſcriptis mandavit, ut de hiſce omnibus ex annorum ratione, quam ſuperius inivimus, liquido conſtat.

Iam vero, ut redeat, unde huc defluxit oratio, fieri potuit ut *Plato*, qui cuncta erat inveſtigandi, & percipiendi cupidiſſimus, Iudaeis quoque id temporis in Aegypto commorantibus congrederetur, nam nec Pythagora, qui eos convenit, in ſtudiorum curriculo inertior eſt habitus, & id *Numenius* Pythagoreus apud *Clementem Alexandrinum*, *Euſebium*, & *Theodoretum* fortaſſis inſinuat. Eius enim eſt memorabile illud

Digitized by Google

illud effatum: τί γάρ ἐϛι Πλάτων, ἢ Μώσης ἀττικίζων; *Quid eſt enim Plato, niſi Moſes Attice loquens?* In primo autem περὶ τἀγαθοῦ volumine apud *Euſebium Lib. IX.* Προπαρασκ. εὐαγγ. *cap.* VII. Platonicorum dogmatum originem etiam ab Iudaeis repetit, ſcribit enim: Εἰς δὲ τοῦτο δεήσει εἰπόντα καὶ σημαινόμενον ταῖς μαρτυρίαις τοῦ Πλάτωνος ἀναχωρήσασθαι καὶ ξυνδήσασθαι τοῖς λόγοις τοῦ Πυθαγόρου, ἐπικαλέσασθαι δὲ τὰ ἔθνη τὰ εὐδοκιμοῦντα προσφερόμενον αὐτῶν τὰς τελετὰς, καὶ τὰ δόγματα, τάς τε ἱδρύσεις συντελουμένας Πλάτωνι ὁμολογουμένως, ὁπόσας Βραχμᾶνες, καὶ Ἰουδαῖοι, καὶ Μάγοι, καὶ Αἰγύπτιοι διέθεντο. *Qui hanc in diſputationem ingreſſus, Platonis eam teſtimoniis obſignarit, eamdem ab ipſo quoque ſuperiorem ad aetatem redeunte cum ipſius Pythagorae verbis praeceptiſque copulari oportebit. Gentes ei praeterea celeberrimae adpellandae erunt, ſingularumque ſacrificia, ritus, inſtituta, quae cum Platonicis omnino conſentiunt, proferenda, quotquot a Brachmanis, Iudaeis, Magis, Aegyptiis ſancita ſunt.* De Graecis autem Sapientibus loquens *Theodoretus I.* Θεραπευτ. ſcribit: φασὶ δὲ αὐτοὺς ἐν Αἰγύπτῳ, οὐ μόνον παρ' Αἰγυπτίων, ἀλλὰ καὶ παρ' Ἑβραίων τὰ περὶ τοῦ ὄντως διδαχθῆναι θεοῦ. καὶ ταῦτα διδάσκει μὲν Πλούταρχος ὁ Βοιώτιος, διδάσκει δὲ καὶ ὁ Πορφύριος ὁ κατὰ τῆς ἀληθείας λυττήσας καὶ μέντοι καὶ Νουμήνιος ὁ Πυθαγόρειος, καὶ ἕτεροι πλεῖϛοι. *Ferunt autem illos in Aegypto, non ab Aegyptiis tantum, ſed ab Ebraeis etiam, quae verum Deum adtinent edoctos fuiſſe. Atque haec quidem Plutarchus narrat Boeotius, narrat & Porphyrius ille, qui contra veritatem debacchatus eſt. Numenius praeterea Pythagoreus, & alii complures.* Et certe iis adcommodari poſſunt, quae *Cyrillus Alexandrinus I.* eorum voluminum, quae adverſus Iulianum Auguſtum exaravit, de Graecis Hiſtoricis habet: οἱ μὲν παρ' ἐκείνοις ἱϛοριογράφοι πᾶσαν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, περινοϛοῦντες τὴν γῆν ἀεί τι μανθάνειν ἤθελον ἵνα δοκοῖεν εἰδέναι τὰ πολλά· τιγάρτοι τῶν γεγονότων ἀποσιγῆσαι μηδὲν, κόσμημα τῆς ἑαυτῶν ἐποιοῦντο συγγραφῆς εἶτα πῶς οἵγε τοιοῦτοι καὶ χρηϛομαθεῖν εἰωθότες κατημέλησαν ἂν τοῦ χρῆναι διαμαθεῖν ἱϛορίας οὕτω σεμνὰς, δογμάτωντε καὶ νόμων ἀρχαιοπρεπεϛάτην καὶ ἀκριβῆ διασάφησιν. *Hiſtoriarum Scriptores apud eos omnem, ut ita dicam, orbem terrarum pervagati, ſemper diſcendi cupidi fuerunt, ut multa ſcire atque cognoſcere viderentur. Quare & magnum ſuae com-*

mentationis ornamentum illud eſſe duxerunt, ſi nihil eorum, quae geſta eſſent, ſilentio praeterirent. Ecquî tales viri utilia diſcere ſoliti, tam graves hiſtorias noſſe [de Iudaicis loquitur] *dogmatumque, & legum antiquiſſimam & adcuratam explanationem capeſſere neglexerint?*

C A P V T VII.

Platonem *Iudaeis eſſe congreſſum, a vero haud forſan abludere ulterius demonſtratur.*

SEd & ſi minus tam diſerta & explicata Ethnicorum Philoſophorum teſtimonia, adverſus quae non facile eſt excipere, Platonem multa a Iudaeis accepiſſe ſignificarent: alia quaedam, ſi penſiculate examinentur, in cauſa eſſe poſſunt, cur eorum quis facilius auctoritatibus adquieſcat. Nam quum *Plato* Philoſophos, qui eum aetate anteceſſerant, imitaturus difficiles peregrinationes & longa itinera ſuſcepiſſet, nec Aegyptum tantum peragrare, ſed ulterius etiam progredi, & alias gentes adire animo revolveret; ſi poſtea quominus id perficeret quaedam impedimento fuere, hunc defectum, qua licuit, ſupplere, ſi veriſimilitudinem ſectamur, forte non omiſit. Nam & ipſe iam docuit, ut Sapientem quis inveniat, nec labori nec impenſae parcere debere, ſed omnes etiam Barbaras nationes, ſi opus ſit, perluſtrandas ſibi proponere. Eius verba ſunt in *Phaedone*: πολλὴ μὲν ἡ Ελλὰς (ἔφη) ὦ Κέβης, ἐν ᾗ ἔνεισί που ἀγαθοὶ ἄνδρες. πολλὰ δὲ καὶ τῶν βαρβάρων γένη, οὓς πάντας χρὴ διερευνᾶσθαι, ζητοῦντας τοιοῦτον ἐπῳδὸν, μήτε χρημάτων φειδομένους, μήτε πόνων. Hoc eſt, ut *Io: Serranus* interpretatur: *Lata, inquit, eſt Graecia, Cebes, in qua boni quidem, & periti adſunt viri: multae & Barbarorum nationes, quae omnes ſunt perluſtrandae, ut vir incantatricis illius artis cognitione pollens inveſtigetur; nec vero pecuniae, nec laboribus parcendum.* ὡς οὐκ ἔστιν εἰς ὅ, τι ἂν εὐκαιρότερον ἀναλίσκοιτε χρήματα. *Nulla enim magis neceſſaria in re pecuniam impenderitis.* Itaque certum exploratumque eſt ex *Laërtii & Apuleii* teſtimonio, Platonem, quum in Aegypto verſaretur, Magorum Indo-

rum-

Digitized by Google

rumque fama permotum, iis etiam ſapientiae laude praeſignibus congredi meditatum fuiſſe, ſed propter bella, quibus id temporis tota Aſia fervebat ac miſcebatur, propoſito deſtitit. *Lactantius* quidem *Firmianus Lib. IV. Divin. Inſtit. cap.* 11. Platonem ad Magos etiam, & Perſas uſque penetraſſe diſerte ſcribit, at fallitur. Illi tamen *Clemens Alexandrinus* praeiviſſe videtur, qui praeter iſtos & Thracas ipſos, & Ebraeos illum adiiſſe in *Admonitione ad Gentes* ſubindicare deprehenditur: quamquam & aliam interpretationem eius verba recipere poſſunt. Lucentiſſima vero ſunt, & omnis ambiguitatis expertia *Olympiodori* verba, quibus *Platonem* in Phoenicen contendiſſe adſeverat. Ita enim ſcriptum reliquit: *βουλόμενος δὲ καὶ τοῖς Μάγοις ἐντυχεῖν, διὰ τὸ καθ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἐν Περσίδι συνεστᾶναι πόλεμον, μὴ δυνηθεὶς παρ' αὐτοὺς ἐλθεῖν ἀφίκετο εἰς τὴν Φοινίκην· καὶ Μάγοις ἐκεῖ ἐντύχων, παρέλαβε τὴν μαγικήν. διὸ καὶ ἐν τῷ Τιμαίῳ φαίνεται τῆς θυτικῆς ἔμπειρος ὤν, σημεῖα τε λέγων ἥπατος καὶ σπλάγχνων, καὶ τοιαῦτά τινα. Cupiens etiam adire Magos, quum per bella in Perſide ea tempeſtate coorta ad illos pervenire non potuiſſet, in Phoenicen divertit, cumque Magis illheic agentibus verſatus, Magicam didicit. Inde in Timaeo etiam Aruſpicinae conſultus videtur, ſigna iecoris, & viſcerum, & eiuſmodi recenſens*. Ex quibus *Olympiodori* verbis manifeſte elucet, virum Barbaris gentibus, quae aliqua praerogativa cenſerentur, congrediendi cupidine flagrantiſſimum, obiicibus ſuae voluntati obpoſitis, finitimas ſaltem Aegypto regiones luſtrare non deſtitiſſe, & ad gentes, quaſcumque poſſet, accedere. Cur igitur Iudaeos, eos ſaltem qui Aegyptum incolerent, ab eo neglectos fuiſſe cenſeamus? Ad eos conveniendos falſus etiam rumor, qui apud Ethnicos obtinebat, eos ſcilicet Magica ſcientia fuiſſe praeſignes, ut *Plinius Lib. XXX. Iuſtinus Lib. XXXVI.* & *Apuleius in Apologia II.* ſatis indicant, *Platonem* inlicere potuit; quem Magicae cognoſcendae cupidum, praeter laudatum *Olympiodorum*, *Plinius* etiam loco citato fuiſſe teſtatur. Verum hos etiam, etſi non requiſiviſſet, potuit caſu, & forte fortuna offendere, & in eorum colloquia & confabulationes etiam imprudenter incurrere, ut ſic ſaltem veluti navigium tempeſtate delatum ad veritatis oras adpelleret, quod eſt *Tertulliani*

Digitized by Google

liani & *Lactantii* de Ethnicis Sapientibus, Philoſophiſque iudicium.

Conſiderandum quoque, & diligenter perpendendum modo propoſuerim, quaſdam de Iudaeorum gente opiniones apud Ethnicos exſtitiſſe, & ab his Ebraeos iis gentibus confuſos, aut derivatos fuiſſe, quae multa laude apud Philoſophos & aeſtimatione claruere: unde facilior cuilibet ad eiuſmodi homines ambiendos impulſus aut inlecebra. Nam ſi Phoenicum nomen late diffuſum celebrabatur, Iudaeos Phoenicibus admiſcet *Strabo Lib. XVI.* ubi ait Iudaeam ab Aegyptiis, Phoenicibus, & Arabibus habitari, ut recte ſcripſerit *Euſebius X. Praepar. Evang. cap.* II. eam Phoenicen a priſcis interdum adpellatam fuiſſe conſtare, quod & ex *Eupolemo* apud eumdem *Euſebium* liquet. *Ariſtophanes* autem in *Avibus* Phoenicas Ψώλους vocat, ex quo intelligitur illum Phoenicum nomine Iudaeos deſignare: alii enim Phoenices minime circumcidebantur, teſte *Ioſepho Lib. VIII* Αρχαιολογ. *c.* IV. Sed & ipſi Iudaei ſe Phoenices profitebantur, & *cap.* XIX. *Eſaiae verſ.* 18. lingua Ebraica lingua Chanaan nominatur, & LXX. Viri in hiſtoria Ioſue convertunt haec verba *Reges Chanaan*, in *Reges Phoeniciae*. At eoſdem LXX Seniores ſaepe Phoenicum & Chananaeorum nomen promiſcue uſurpare, ex locis etiam aliis inter ſe & cum fonte Ebraeo conlatis, facile adparet, ut *Exod. cap.* VI. 15. cum *Geneſ. cap.* XLVI. 10. & *Exod. cap.* XVI. 35. cum *Ioſue c.* V. 12. Et quidem Phoenices a Chananaeis ortos cum ex his, quae diximus, tum ex Phoenices nomine, ſitu, antiqua ipſorum lingua, moribus, & inſtitutis proclive eſſet oſtendere. Ipſa autem lingua Ebraica, qua ſacri libri ſcripti ſunt, eadem fere eſt ac Phoenicia, ut recte eruditiſſimus *Sam. Bochartus in Phaleg. Lib. I. cap.* XV. *par. I. & par. II. Lib. II cap.* I. & ὁ κριτικώτατος *Rich. Simonius Lib. I. Hiſtor. Critic. Vet. Teſtam. cap.* XIV. animadvertunt. Iſthuc ipſum etiam perſpicue indicat *Lucianus* ἐν Ψευδομαντ. dum de Alexandro dicit, ipſum voces quaſdam ignotas protuliſſe, οἷαι γένοιντ' ἂν Εβραίων, ἢ Φοινίκων, *quales ſunt Ebraicae, vel Phoeniciae*. Quod ſi *Choerili* verſus, qui a *Ioſepho* referuntur, de Iudaeis intelligendi eſſent, ut quibuſdam quidem videtur, quibus ipſe haud facile adſenſerim, certiſſimum

Digitized by Google

mum huiuſce rei teſtimonium etiam ex illis haberemus: de Iudaeis enim diceretur:

Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ ϛομάτων ἀφιέντες.

Hi vero ore ſuo Phoenicia verba ſonabant.

Immo *Moſes* ipſe non aliis characteribus ſcripſit, quam Phoeniciis, ut *Ioſephus Scaliger* in *Diatriba ad annum Euſebii* MDCXVII. & *Ger. Ioh. Voſſius Grammatices Lib. I cap.* x. & praecipue laudatus *Bochartus* in *Chanaane* demonſtravere. Quin ipſae Samariticae literae aliae non erant quam Phoeniciae, ut oſtenderunt *Lud. Capellus*, *Bochartus*, aliique viri longe doctiſſimi. Azoticum tamen ſermonem ab Ebraeo fuiſſe diverſum liquet ex *II. Eſdrae cap.* XIII. *verſ.* 24. quare & eamdem linguam in varias dialectos ſenſim diviſam fuiſſe, quod & *Seldenus* notabat.

Si vero Syrorum gentem apud omnes variis titulis nobiliſſimam exſtitiſſe cognoſcimus, Syros a prima origine Iudaeos fuiſſe evidenter indicat *Artapanus* apud Euſebium ἐν Προπαρασκευῇ ἐυαγγελικῇ, & diſerte ſcribit *Iuſtinus*, ſeu potius *Pompeius Trogus*. Iudaeam vero in Syria conlocant *Ariſtoteles* apud *Clearchum*, *Plinius Lib. V. cap.* XII. *& Pomponius Mela Lib. I. De ſitu Orbis cap.* XI. *Herodotus* autem *Lib. VII. cap.* LXXXIX. Palaeſtinae nomine maritimum Syriae tractum, & quidquid Aegypto tenus eſt, ſe intelligere adfirmat, quam & Syriam Palaeſtinam vocatam eſſe dicit *Lib. III cap.* XCI. quemadmodum *Lib. II. cap.* CIV. incolas habere circumciſos, quos Syros adpellat. Quare Iudaeos Syrorum nomine denotare apertiſſimum eſt, ſicut expreſſe faciunt *Megaſthenes* paulo inferius adducendus, *Strabo*, *Ptolemaeus*, *& Tacitus*.

Si Chaldaeos pariter ob doctrinae praeſtantiam ſubſpexit antiquitas, Iudaeorum originem a Magis Chaldaeiſque vere deducit *Eupolemus* apud *Alexandrum Polyhiſtorem* in volumine *De Iudaica hiſtoria*, ut refert *Euſeb. L. IX.* Προπαρ. *cap.* IV. Et *Diogenes Laërtius Lib. I. De Vitis Philoſophorum* literis mandavit, fuiſſe pleriſque perſuaſum Iudaeorum a Magis initia defluere, quod eſt ſacris literis omnino conſentaneum, quum *Abrahamus* Chaldaeus fuerit, ut veriſſime *Lib. Iudith. cap.* V. dicatur: *Populus iſte ex progenie Chaldaeorum eſt;* unde non minus vere *Priſcianus*,

Digitized by Google

nus, ſeu *Remnius* in *Periegeſi* Iudaeos adpellat

Chaldaeo nimium decoratam ſanguine gentem
Arcaniſque Dei celebratam legibus unam.

Magi enim Chaldaei ante Perſarum tempora dicebantur, ut *Hieronym. ad Daniel. cap.* xi. ſcribit: quamquam multas alias gentes praeter Perſas ſuos Magos habuiſſe auctor eſt *Lucianus* in *Longaevis*.

Si Calanos, aut Gymnoſophiſtas, Brachmanaſque per omnium mortalium ora fama volitans notos effecit, Iudaeos *Clearchus*, ſeu *Ariſtoteles* apud *Ioſephum Lib. I. contra Apionem* ex eorum propagine traducit, & eiuſdem doctrinae communionem utriſque adſerit *Megaſthenes*, qui cum Seleuco Nicatore vixit, in *III. Rerum Indicarum* volumine apud *Clementem* Alexandrinum *I. Στρωματ.* ita ſcribens: Ἅπαντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι· τὰ μὲν παρ' Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων. *Omnia quidem quae de natura dicta ſunt a veteribus, dicuntur etiam ab iis, qui extra Graeciam philoſophantur, partim quidem apud Indos a Brachmanis, partim vero in Syria ab iis, qui vocantur Iudaei*. Atque ita quidem ille.

CAPVT VIII.

Iudaeorum natio ab Ethnicis Scriptoribus celebrata.

SEd & ſuo nomine Iudaei erant apud Ethnicos famigerati, & nobiliſſimi. Id elucet potiſſimum ex prope innumerabili ſcriptorum turba, qui de illis mentionem fecere. Eos heic tumultuaria enumeratione recenſere fert animus, quatenus eorumdem notitiam ex eruditiſſimi *Flavii Ioſephi* libris, *Iuſtini Martyris* lucubrationibus, *Tatiani* Aſſyrii Oratione, *Theophili* Antiocheni, *Clementis* Alexandrini, *Euſebii* Caeſarienſis, *Cyrilli* aeque Alexandrini voluminibus, aliiſque eruditarum commentationum conditoribus antiquis & perilluſtribus haurire licuit. Ex Chaldaeis, aut qui eorum hiſtoriam ſcripſere, nominandi veniunt primum *Beroſus*, deinde *An-*

Digitized by Google

Antiochus, qui tribus voluminibus res Chaldaicas expoſuit. E Phoenicibus *Sanchoniathon* Berytius, qui Phoenicum hiſtoriam a *Philone* Byblio deinde ad Graecas aures translatam conſcripſit, laudandus eſſet, niſi iam liber ille Ψευδώνυμος, & Scriptor falſarius videretur. Non tamen huiuſmodi praeſcriptioni obnoxii ſunt *Theodotus*, *Hypſicrates*, *Mochus*, quorum libros in Graecam linguam convertit *Chaetus* is [ut *Tatianus* habet, nam *Clemens* Alexandrinus Λαῖτος *Laetus* legit] qui philoſophorum vitas adcurate ſcripſiſſe perhibetur. *Hieronymus* quoque Aegyptius antiquitates Phoenicum literis mandavit. Ex Aegyptiis, & eorum hiſtoriae Scriptoribus ſunt *Manetho*, *Apion* Grammaticus, adverſus quem ſtylum exercuit *Ioſephus*, *Ptolemaeus* Mendeſius Sacerdos, & *Menander* Pergamenus. Ex Graecis *Hecataeus* Abderita, qui ſingularem librum Iudaicae hiſtoriae deſtinavit, *Herodotus* Halicarnaſſeus Graecae hiſtoriae parens, *Hellanicus*, *Ariſtoteles* apud Clearchum, *Theophraſtus*, *Demetrius Phalereus*, *Megaſthenes*, *Alexander Polyhiſtor*, qui volumen de Iudaica hiſtoria ſcriptum reliquit; *Molo*, qui libros adverſus Iudaeos exaravit; *Artapanus*, *Timochares*, *Nicolaus* Damaſcenus Peripateticus, ſeu Platonicus; *Philochorus*, *Hermippus*, *Dius*, *Menander* Epheſius, *Agatharchides*, *Timagenes*, *Polybius*, *Caſtor Chronographus*, *Apollodorus*, *Theophilus*, *Mnaſeas*, *Ariphanes*, *Hermogenes*, *Evemerus*, *Comon*, *Zopyrion*, *Thalus*, *Chaeremon*, *Poſidonius*, *Heſtiaeus*, *Herennius Philo*, *Clearchus*, *Polemo*, *Theodotus*, qui elegantiſsimo carmine univerſam gentis Iudaeorum hiſtoriam complexus eſt, *Diodorus* Siculus, *Strabo* Amaſenus Geographus. Memoratur etiam *Philonis*, non Iudaei, ſed Ethnici & Pythagorei, de Hieroſolymis liber, qui carminibus pariter contextus eſt; ut *Choerilum* poëtam ſilentio praeteream, quando eius verſus a *Ioſepho* deſcripti aliam interpretationem recipiunt, quam ille opinatur, quod & *Bochartus*, quidquid alii reclament, obſervabat. *Demetrium* quoque, & *Eupolemum*, & *Ariſtobulum* non commemoro, utpote Iudaeos, qui adverſus gentes ſcripſere, & Ἀρχαιογονίαν Moyſis & Iudaicae gentis adſeverarunt, ut ex Clemente Alexandrino notabat *Hieronymus* in *Catalogo*, ſi credere tamen dignum eſt: nam ex *Ioſepho* contra *Apionem* ſcri-

ſcribente manifeſte reſultat *Demetrium* & *Eupolemum* Ethnicos fuiſſe. *Cleodemus* cognomine *Malchus*, Iudaeorum hiſtoriam ad Moſis imitationem concinnavit. Et hi quidem Graeci, quibus alios bene multos inferioris aevi addere poſſem, quos conſulto praetereo. Ex Latinis autem obcurrunt *Pompeius Trogus*, *Horatius Flaccus*, *Ovidius Naſo*, *Tibullus*, *Seneca*, *Lucanus*, *Iuvenalis*, *Statius*, *Martialis*, *Iuſtinus*, *Tacitus*, *Suetonius*, *Mela*, *Plinius*, *Solinus*, *Apuleius*, aliique.

Sed non tantum Scriptores hi, quos memoravimus, de Iudaeis generatim, eorumque moribus, & inſtitutis loquuti ſunt, verum etiam plerique clariſsimos eius gentis viros variis titulis commendarunt, & multis laudibus tulerunt. *Beroſus* enim, *Eupolemus*, *Alexander Polyhiſtor*, *Demetrius*, *Artapanus*, *Molo*, *Nicolaus Damaſcenus* Abrahamum modo iuſtum virum, atque ſapientiſsimum; modo coeleſtium rerum doctrina praeſtantem, & ipſius Aſtrologiae repertorem; modo Arithmeticae doctorem fuiſſe praedicant. Laudatus pariter *Artapanus* Moſen ampliſsime commendat: illum enim multa doctrina inſignem fuiſſe dicit, & ex eius placitis multa Orpheum ſubripuiſſe teſtatur. *Diodorum* autem, ut brevitati conſulam, & *Strabonem*, & *Plinium*, & *Tacitum*, alioſque, qui omnes Moſeos meminere, dedita opera ſilentio tranſiliam. Pluria de Davide habet *Eupolemus*: Salomonem commemorant *Theodotus*, *Hypſicrates*, *Mochus* Phoenices, *Menander* Epheſius, & *Dius* in Phoenicum hiſtoria: Ieremiam *Eupolemus*, & *Alexander Polyhiſtor*, qui eum etiam temporibus Ioachimi prophetaſſe diſerte ſcribit. *Hecataeus* vero, vir & verbo & re philoſophus, in eas Iudaeae gentis laudes erumpit, ut ex eo quidam, an vere ille huiuſmodi opus conſcripſerit, dubitandi anſam adripuerint. Quae multa autem de Iudaeis habet *Demetrius* iniqua anguſti temporis ſpatia percurrere non permittunt.

Quum autem *Trogus Pompeius* ſuarum hiſtoriarum volumina ex antiquis Graeciae Scriptoribus, quorum plerique intercidere, deduxerit, atque coagmentaverit, ut ex eorum etiam fragmentis, quae apud *Ioſephum* ſuperſunt, patet, & *Iuſtinus* qui eum in Epitomen contraxit, in Praefatione perſpicue & diſerte

te ſcribit: certe ea, quae ille tradit, quin veterum Graecorum habenda ſint, in dubium revocari non poteſt. Quamobrem ſi eius verba, quibus de Iudaeorum gente loquutus eſt, eo modo quo nobis illa laudatus *Iuſtinus Lib. XXXVI.* tranſmiſit, in medium proferemus, Graecos ipſos loquentes audire autumabimus, & ſimul quam non ignobilis apud eos Iudaeorum natio fuerit, intelligemus. Scribit igitur: *Iudaeis origo Damaſcena, Syriae nobiliſſima civitas: unde & Aſſyriis regibus genus ex regina Semirami fuit. Nomen urbi a Damaſco rege inditum: in cuius honorem Syrii ſepulcrum Arathis uxoris eius pro templo coluere, Deamque exinde ſanctiſſimae religionis habent. Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Iſrael reges fuere. Sed Iſraelem felix decem filiorum proventus maioribus ſuis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna diviſum filiis tradidit, omneſque ex nomine Iudae, qui poſt diviſionem deceſſerat, Iudaeos adpellavit: colique eius memoriam ab omnibus iuſſit: eius portio omnibus acceſſerat. Minimus aetate inter fratres Ioſeph fuit: cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum quum magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, brevi ipſi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini iuris humanique ei incognitum videbatur: adeo ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos providerit: periſſetque omnis Aegyptus fame, niſi monitu eius rex edicto ſervari per multos annos fruges iuſſiſſet: tantaque experimenta eius fuerunt, ut non ab homine, ſed a Deo reſponſa dari viderentur. Filius eius Moſes fuit, quem praeter paternae ſcientiae haereditatem, etiam formae pulcritudo commendabat, &c.* quae quidem omnia proferimus, non ut hiſtoriae veritatem ingeramus, nam hiſce multa falſa admiſta eſſe perſpicuum eſt, ſed ut qualis eſſet Graecorum aliarumque gentium de Iudaeis opinio, & quam plena honoris & laudis de illis fama percrebuiſſet, in propatulo conlocetur. Quamobrem iure merito *Numenius Lib. I.* περὶ τἀγαθοῦ inter celeberrimas gentes, & multa doctrina conſpicuas Iudaeos quoque recenſuit.

Et

Et heic opportune animadvertendum eſt, quam multum in rebus etiam liquidis & apertiſſimis, quales ſunt populorum fortunae & imperia, & regum principumque ſucceſſiones, veritatis inverſio & corruptela proceſſerit; adeo ut Iudaeorum originem, eorumque potentiae progreſſum, mores, ſacra, religionem, Ethnici ſcriptores vere, & nulla admiſta falſitate nunquam noſtrae memoriae tranſmiſerint, quod ex quincto quoque hiſtoriarum *Taciti* libro magis elucet atque eminet, ut, quos deſcribit *Ioſephus*, Graecos Hiſtoricos omittam. Ad rem profecto idem *Ioſephus Libro I. contra Apionem*, quum Graecos Hiſtoriographos eſſe mendaces oſtendiſſet, ſubdit: *καὶ τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν κατὰ πόλεις, καὶ βραχυτέρων, ὅπου περὶ τῆς περιηγήσεως τῆς Περσικῆς στρατιᾶς, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πραχθέντων οἱ δοκιμώτατοι διαπεφωνήκασιν; Et quid oportet dicere de civitatibus, brevibuſque rebus, quando de Militia Perſica, & his, quae in ea ſunt geſta, tantum viri probatiſſimi diſcordaſſe noſcuntur?* Et tamen exploratae fidei eſt, pleroſque omnes Graecos illos Scriptores, qui tam multa & varia de Iudaeis, rebuſque eorum geſtis memoriae prodiderunt, poſt *Philadelphi* tempora floruiſſe, quando ſcilicet iam coeleſtes literae in Graecam linguam converſae fuerant; immo quoſdam in Aegypto verſatos eſſe, ubi eas lectitandi opportunitas praecipua erat. Quare probabile eſſe videtur Iudaicas ſcripturas anxiae eorum ac ſolicitae curioſitati patuiſſe. Nihilo tamen minus, tantum ab hiſtoriae fide & veritate aberrare deprehenduntur. *Homines* enim *gloriae* [ut vere *Tertullianus in Apologetico* exclamat] *& eloquentiae ſolius libidinoſi, ſi quid in ſanctis ſcripturis offenderunt, digeſtis pro inſtituto curioſitatis, ad propria opera verterunt, neque ſatis credentes divina eſſe quominus interpolarent, neque ſatis intelligentes. Siquidem vera quaeque* [addit in *Libro De Anima*] *& conſonantia Prophetis aut aliunde commendant, aut aliorſum ſubornant, cum maxima iniuria veritatis, quam efficiunt, aut adiuvari falſis, aut patrocinari.* Non enim Scriptores Ethnici tantum Iudaicis literis deferre poterant, ut eas omnibus ſuorum monumentis, quae minime fabuloſa cenſebant, vetuſtiſque narrationibus, quae apud ipſos obtinebant, anteferrent. Sed ob eiuſmodi interpolationes eo mi-

Digitized by Google

minus mirari ſubit, quod perſpectum habeamus *Flavium* ipſum *Ioſephum*, qui certe Iudaeus erat, & ſuae gentis hiſtoriarum peritiſſimus, non ſemel quidem aut a divinae Scripturae veritate ſcribendo receſsiſſe, aut eam inſertis, & aliunde adſcitis deformaſſe fabulamentis. Eant nunc quidam, & arcanam Iudaeorum doctrinam, & abſtruſiora de Divinitate conſulta, ſi quae ex illis ad gentes Philoſophoſque promanarunt, integra, & inlibata, & omni errore libera in Graecorum Sapientum voluminibus reperiri debere contendant. Vtinam inſignia, & veriſſima *Lactantii Firmiani* verba omnes memoria recolerent, quibus, quum de Ethnicis poëtis loqueretur, ita ſententiam noſtram graviter & copioſe diſſeruit: *Quae Prophetarum*, inquit *Lib. II. cap.* XI. *vaticinio tradita, in ſacrario Dei continebantur, ea de fabulis & obſcura opinione conlecta & depravata, ut veritas a vulgo ſolet variis ſermonibus diſſipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad id quod audierant, carminibus ſuis comprehenderunt*. Quod quidem ad omnes Ethnicos Sapientes extendendum.

C A P V T IX.

Quaedam diluuntur obiecta.

SEd mihi iam quoſdam obloquentes audire videor, Scriptores, quorum nomina recenſuimus, vel eſſe *Platone* poſteriores, vel eorum opera interpolata a quibuſdam cenſeri: nonnulla etiam ſolida, adulterina & ſubpoſititia iudicari. Quibus ut fiat ſatis, obſervandum eſt ea, quae ex laudatis Scriptoribus ſupra memoravimus, etſi ab iis, qui poſt *Platonem* vixere, literarum monumentis commendata fuiſſent, eos tamen non tam ſuam opinionem & notitias, quas ipſi hauſerant, quam famam etiam nomenque aliquod, quod fortaſſis ab antiquis temporibus invaluerat, poſterorum memoriae tranſmiſiſſe. Ceterum *Herodotus* Platonem aetate antevertit: *Hellanicus* initio Belli Peloponneſiaci ſexaginta & quinque annos natus erat, ut *Agellius Lib. XV.* ſcribit. *Ariſtoteles* Platonis diſcipulus fuit. *Beroſus* Chaldaeus, & *Theophraſtus* Ereſius

Alexandri Macedonis aetatem inluſtravere. *Hecataeus* Abderita cum eodem rege nutritus, & cum Ptolemaeo Lagi commoratus dicitur *Ioſepho Lib. I. contra Apionem*. *Evemerus* & *Hieronymus* Aegyptius circa haec eadem tempora floruere. *Megaſthenes* ſub *Seleuco Nicatore* ſua volumina lucubratus eſt. Quis autem ſibi perſuadeat ſano rectoque iudicio uſus, hoſce Auctores nova prorſus & inaudita, parentibuſque ſuis omnino incognita, quum de Iudaeis loquerentur, literis mandaviſſe? Ipſe tamen nunquam inficias ierim ſub Alexandro principe, in cuius Ebraei ditionem venere, ut *Ioſephus*, & *Iuſtinus*, & *Iohannes Monachus* tradunt, eam gentem celebriorem evaſiſſe; & inſequentium Syriae, Aegyptique regum temporibus eius nomen late diffuſum mortalium paene neminem latuiſſe: ſed immenſum Scriptorum agmen, Platonis etiam aetate poſteriorum, ideo in medium produximus, ut ex innumeris ſaltem poſterorum teſtimoniis qualeſcumque maiorum notitias & opiniones eſſet arguere. Inſequentes enim Scriptores vetuſtiorum, ut plurimum, qui de iiſdem rebus egere, monumenta ſibi vendicant, atque deſcribunt. Nam, ut aliquid exempli gratia proferam, *Porphyrius in Libro De Erudito auditu* apud *Euſebium Lib. X.* Προπαρ. Εὐαγγελ. *cap.* 1. ait: Καὶ τί ὑμῖν λέγω, ὡς τὰ Βαρβαρικὰ νόμιμα Ἑλλανίκου ἐκ τῶν Ἡροδότου καὶ Δαμάστου συνῆκται; ἢ ὡς Ἡρόδοτος ἐν τῇ δευτέρᾳ πολλὰ Ἑκαταίου τοῦ Μιλησίου κατὰ λέξιν μετήνεγκεν ἐκ τῆς περιηγήσεως; *Quid adtinet hoc loco dicere, aut Hellanici de moribus Barbarorum opus ex Herodoti Damaſique ſcriptis eſſe conflatum? aut Herodotum in ſecundo ex hiſtorica Hecatei Mileſii narratione quamplurima verbis totidem exſcripſiſſe?* Quod quidem omne ex iis, quae a nobis libro huius noſtri commentarii ſexto diſputanda erunt, manifeſtius elucebit.

Si autem ad τὸ γνήσιον librorum reſpicimus, in huius etiam operis limine me non praeterire oſtendi, quae ſint quorumdam doctorum virorum de eorum nonnullis iudicia & cenſurae, ut *Scaligeri*, & *Rich. Simonii* praeſertim, qui praeter ea, quae ſuperius ex *Libro II. Hiſtor. Critic. V. T. cap.* 11. protulimus, eodem loco addit, animadvertendum eſſe non ab *Ioſepho* tantum, ſed etiam ab *Euſebio*, & Patrum aliis nonnullis,

ſcri-

Scriptores ſaepe laudari, qui ſuae cauſſae favere ac ſuffragari viderentur, abſque eo quod excuſſerint prius, & diligenter examinaverint, an revera codices, quos citabant, Auctorum foetus eſſent, quos advocaverant. Sed quatenus huiuſmodi iudicio ſtandum ſit opportune pronunciavimus: nam nos etiam iuſtae Criticae regulas amplectimur & exoſculamur, atque eapropter nec *Hermen Triſmegiſtum* induximus, nec *Sybillas* exhibuimus, nec *Ariſteam* laudavimus, & *Hyſtaſpen* praeterivimus, & oracula famigerata, ſed adulterina, negleximus. Contra apertiſſimam veritatem iret, quiſquis ſubpoſititios & falſos Auctores a Sanctis Patribus interdum laudari inficiaretur. Subficit *Iuſtinum Martyrem*, *Clementem Alexandrinum*, *Euſebium Caeſarienſem*, *Lactantium Firmianum*, *Cyrillum Alexandrinum*, *Aur. Auguſtinum* evolviſſe, ut id ſtatim pateat. Sed eatenus adulterinorum Scriptorum auctoritate eos functos eſſe cognoſcimus, quatenus eiuſmodi libros ſubpoſititios eſſe certis argumentis evicimus. Sed ubi nullae ſubpetunt iuſtae validaeque coniecturae, & indicia; cur an laudata volumina legitima & genuina ſint dubitemus, nullus profecto video. Eos tamen quis dicat falſariorum teſtimoniis abuti ſolitos fuiſſe. At quorſum iſthaec? id tum demum aliquatenus iuvare deprehenditur, quando alia multa perſuadent librum aliquem nothum eſſe, & ὑποβολιμαῖον. Secus enim & haec ratiocinatio iuſta eſſet: *Euſebius* laudat *Ariſteam*, qui νοθείας inſimulatur: ergo & *Oenomaus* eodem vitio laborat, quia ab *Euſebio* citatur. Quaedam autem inſertitia & ὑποβεβλημένα a Iudaeis Helleniſtis Graecorum Scriptorum hiſtoriis adſuta fuiſſe, tum demum adfirmabimus, quando locum eſſe intruſum evidenti, ſeu probabili ratione demonſtratum fuerit. Ceterum eo quod Graeci Scriptores Iudaeos, eorumque duces, aut reges, aut Prophetas interdum memorent atque commendent, ſtatim eos interpolatos aut ſubpoſititios adſerere, & ineptum ridiculumque eſt, & ἀκρισίας plenum. Nam Barbaras etiam gentes celebrare, & laudibus ferre Graecis Latiniſque Scriptoribus moris fuit, & viros ſapientia & virtute praeſtantes, qui inter eas exſtitere, ſubſpicere & demirari. Hinc Bactrianus, ſeu Chaldaeus, ſeu Perſa *Zoroaſtres*, nam plures huius nominis,

nis fuere, *Moſchus* Phoenix, *Zamolxis & Orpheus* Thraces, *Antaeus & Atlas* Lybici, *Hercules* Aegyptius, *Gerion* Hiſpanus, *Tages* Etruſcus, *Abaris* Hyperboreus, *Anacharſis* Scytha, ut Indorum Gymnoſophiſtas & Brachmanas, & Aegyptiorum Hierophantas, & Gallorum Druidas ſilentio tranſiliam, Graecis hiſtoriis celebratiſſimi per omnium mortalium ora volitabant.

Tot tantaque igitur diſſeruimus, ut forte ſuadere valeant Iudaeos, Platonis etiam aetate, iis titulis celebres fuiſſe, qui Platonem curioſiſſimum rerum, arcanorumque ſcrutatorem ad eos conveniendos prorſus inlicerent. Eo magis quod eum non latebat id genus homines *Socrati* etiam praeceptori ſuo nonnulla ſapientiae incrementa contuliſſe. Narrat enim philoſophicae hiſtoriae Scriptor diligentiſſimus *Diogenes* in *Vita Socratis*, ſcriptum fuiſſe ab Ariſtotele, Magum quemdam ex Syria profectum Athenas, qui *Socratem* pluribus in rebus reprehendit, violentamque illi mortem imminere praedixit. Ex quo *Diogenis* teſtimonio emergit etiam veriſimilitudo eorum, quae habet *Clearchus* apud *Ioſephum I. contra Apionem*, & *Euſebium Lib. IX. Praepar. Evang. cap.* 111. non enim abſimilia ſunt. Et per ea tempora conſueviſſe Philoſophos Iudaeorum etiam mores & placita probe inveſtigare & ediſcere vel *Theophraſtus* validum ſuppeditat argumentum, qui ſe Iudaicae religionis & rituum peritiſſimum oſtendit apud *Porphyrium De Abſtinendo a carnibus*, quod & *Euſebius Lib. IX.* Προπαρ. *cap.* 1. animadvertebat. Et ſcripſit quidem *Theophraſtus* de Barbararum etiam gentium legibus, quod *Cicero Libro De Finibus V.* teſtatur. *Omnium*, inquit, *fere civitatum non Graeciae ſolum, ſed etiam Barbariae ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas: a Theophraſto etiam leges cognovimus*. Ex quibus verbis *Ariſtotelem* etiam in ſimili argumento ad *Hellanici*, ut videtur, imitationem ſtylum exercuiſſe intelligimus, quod & *Varro Lib. IV. De lingua Latina* confirmat: *Hoc factitatum*, inquit, *Ariſtoteles ſcribit in libro, qui inſcribitur* νόμιμα βαρβαρικά. Et huius fragmenta quaedam ſparſim adhuc apud diverſos Scriptores ſuperſunt.

Ex iis, quae hactenus diſputavimus, plane liquet, falſum

ſum fuiſſe videri virum multis nominibus ſubſpiciendum *Origenem Adamantium*, ubi *Homilia I. in Cantica Canticorum* ſcriptis mandavit: *Nunc Moyſis nomen auditur, quod prius Iudaeae tantum claudebatur anguſtiis. Neque enim Graecorum quiſpiam meminit eius: neque in ulla Gentilium literarum hiſtoria de illo, ſeu ceteris ſcriptum aliquid invenimus*. Sed forte ita *Origenis* verba intelligenda ſunt, ut Moſen poſt Chriſti ortum celebriorem evaſiſſe comprehendamus, ſecus enim ipſe *Adamantius* minime ſibi conſtaret, quum *Lib. I. contra Celſum* haec habeat: *Demiror autem quomodo quum Odryſas, Samothracas, Eleuſinios, Hyperboreos inter antiquiſſimas & ſapientiſſimas gentes recenſeat Celſus, Iudaeos ne in Sapientum quidem ordinem recipere dignatus eſt, aut antiquorum, quum multa ſcripta ferantur apud Aegyptios, Phoenicas, Graecos, eorum antiquitati adteſtantia, quae ſupervacaneum duxi heic adponere. Licet enim volentibus legere duos libros Flavii Ioſephi De Iudaeorum antiquitate, ubi longam Scriptorum ſeriem citat in gentis eius antiquitatis teſtimonium. Sed & Tatiani Iunioris circumfertur ad Graecos oratio, qua eruditiſſime adlegat eos qui in ſuis hiſtoriis mentionem fecerunt de Iudaeorum & Moſis antiquitate*. Haec ille. Eodem temperamento interpretanda videntur quae non abſimilia ſcribit *Philo* Vitae Moſis initio.

CAPUT X.

An ullam Plato *Ebraicarum ſcripturarum cognitionem habuerit.*

QVum igitur vero non abludat *Platonem* Iudaeis in Aegypto verſantibus congreſſum fuiſſe: ex iiſdem etiam aliquam coeleſtium ſcripturarum cognitionem hauſiſſe, eorumque mores, inſtituta, placitaque aliquatenus intellexiſſe, conſectarium forte videatur. *Iuſtinus* quidem Martyr Platonem divinas Ebraeorum literas legiſſe teſtatur. Sed ſi minus legit, forte per interpretem potuit, quid continerent, ediſcere, quod etiam ſubſpicatus eſt *Auguſtinus Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* XI. *Quapropter*, inquit, *in illa peregrinatione ſua Plato, nec Ie-*

Digitized by Google

reniam videre potuit tanto ante defunctum ; nec eaſdem ſcripturas legere, quae nondum fuerant in Graecam linguam tranſlatae, qua ille pollebat : niſi forte, quia fuit acerrimi ſtudii, ſicut Aegyptias, ita & iſtas per interpretem didicit, non ut ſcribendo transferret, quod Ptolemaeus pro ingenti beneficio, qui regia poteſtate etiam timeri poterat, meruiſſe perhibetur, ſed ut conloquendo, quid continerent, quantum capere potuiſſet, addiſceret. Quamquam tam heic *Auguſtinus*, quam in *II. De Doctr. Chriſt.* volumine *cap.* XXVIII. ab opinando non abhorret, multa *Platonem* ex Moſaica doctrina in ſuam philoſophiam tranſtuliſſe. *Auguſtino* tamen nec *Iuſtinus* ipſe refragari videatur. Licet enim ſcribat *Platonem* libros Moſis, aliorumque Prophetarum, & Ieremiae praecipue didiciſſe, iis ἐντύχοντα, quae vox ſacra volumina a *Platone* lecta fuiſſe ſignificare videtur: tamen & ita accipi poteſt, ut *Platonem* in ſacros libros, quum ab aliis legerentur, aut ediſſererentur, forte fortuna incurriſſe intelligatur, quod expendebat Monachus eruditiſſimus *Nic. Nourryus in Adpar. ad Biblioth. Maxim. Patr. Saecul. II. Diſſert. II. cap.* VII. §. III.

Nec opinandum Iudaeos noluiſſe Ethnicis ſuae legis, & religionis arcana manifeſtare, quando ideo potius Dei ſe voluntate diſperſos, & in miſeram captivitatem abductos fuiſſe exiſtimarunt, ut ita gentibus quoque veritatis myſteria & Dei mirabilia patefierent. Hoc inſinuat locus inſignis *Tobiae cap.* XIII. ubi ita vir ille caſtiſſimus in captivitate degens loquitur: Ἐξομολογεῖσθε αὐτῷ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐνώπιον τῶν ἐθνῶν ὅτι αὐτὸς διέσπειρεν ἡμᾶς ἐν αὐτοῖς ἐκεῖ ὑποδείξατε τὴν μεγαλοσύνην αὐτοῦ καὶ ὑψοῦτε αὐτὸν ἐνώπιον παντὸς ζῶντος καθότι αὐτὸς κύριος ἡμῶν καὶ ὁ θεὸς αὐτὸς πατὴρ ἡμῶν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. quae ſic vertit vulgatus Interpres: *Confitemini Domino, filii Iſrael, & in conſpectu gentium laudate eum: quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quae ignorant eum, ut vos narretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens praeter eum*. Et profecto, licet quidam Iudaeorum divinos codices in arcanis habendos eſſe cenſerent, multi alii tamen eos, & quae myſteria iis continebantur, nationibus vulgare religioni minime duxere, unde illa ſacrarum ſcripturarum a Iudaeis in Graecam linguam

facta

Digitized by Google

facta interpretatio, quae vulgo LXX. Seniorum adpellatur. Adeundus *Philo Lib. III. De Vita Moſis*. Heinc *Siracidae* nepos ſub Ptolemaeo Evergete aureum avi ſui libellum, & totum memoriter ediſcendum, ex Ebraeo Idiomate in Graecum convertit. Heinc Auctor libri *Sapientiae* utiliſſimum commentarium, & optimis praeceptis, arcaniſque doctrinis refertiſſimum, in Ethnicorum gratiam, ut videtur, Graece conſcripſit. Quid de *Ariſtobulo* dixerim? qui explanationem legis Moſaicae, ut Ptolemaei etiam Philometoris interrogationibus ſatisfaceret, Graeca oratione elucubratus eſt, ut ipſe apud *Euſebium Lib. VIII.* Προπαρ. *cap.* x. luculenter indicat: Πλὴν ἱκανῶς εἰρημένων, πρὸς τὰ προκείμενα ζητήματα, ἐπεφώνησας καί συ, βασιλεῦ, διότι σημαίνεται διὰ τοῦ νόμου τοῦ παρ' ἡμῖν, καὶ χεῖρες, καὶ βραχίων, καὶ πρόσωπον, καὶ πόδες, καὶ περίπατος ἐπὶ τῆς θείας δυνάμεως· ἃ τεύξεται λόγου καθήκοντος κτλ. *Sed quoniam quum propoſitis quaeſtionibus ſatis a nobis factum eſſet, ſubclamaſti, o Rex, deinceps ipſe quoque, quorſum tandem lex ipſa noſtra manus, brachia, vultum, pedes, ambulationem divino Numini adtribuat; hanc praeterea iuverit ſuperioribus diſputationibus adiungere &c.* Ex quibus verbis & Ethnicorum ſtudium, & in ſenſis arcanarum literarum inveſtigandis curioſitatem intelligimus. Quae Iudaicae ſapientiae myſteria, quas ſuae gentis hiſtorias Alexandrinus *Philo* gentibus non reſeravit? Quid ad plenam & abſolutiſſimam rerum a Iudaeis geſtarum, morum, religionum, dogmatum notitiam Graecis, gentibuſque aliis tradendam *Iaſon* Cyrenaeus, *Iuſtus* Tiberienſis, *Flavius Ioſephus* inſtructiſſimis & elegantiſſimis commentariis non praeſtiterunt? Et quidem tantum abeſt ut Iudaei ſua arcana gentes omnino caelarent, quin vaticinium ipſum de venturo Chriſto frequentibus ſermonibus vulgo celebraverunt, unde illius notitia ad Ethnicos quoque pervenerat, & ea de re fidem quidem faciunt Scriptores graviſſimi *Suetonius* in *Veſpaſiano*, *Tacitus Lib. V. Hiſtor. Appianus Lib. XXII. Romanae hiſtoriae*. Sed *Suetonium*, *Tacitumque* loquentes audiamus. *Percrebuerat*, inquit, *ille Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur*. Hic autem, *Pluribus*, ait, *perſuaſio inerat; antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore*

fore ut valeſceret Oriens : profectique Iudaea rerum potirentur .

Sed etſi Plato cum Ebraeis nunquam conlocutus fuiſſet, nonnullam ſcripturarum intelligentiam ab ipſis Aegyptiis accipere forte potuiſſet. In illorum enim ore *Moſes* frequenter habebatur, ſi *Cyrillo* Alexandrino *I. contra Iulianum* fides habenda eſt : & apud illos Iudaica volumina exſtitiſſe, quae perſuadere poſſint, iam ſuperius mature produximus. Quod ſi *Iuſtinus Apologia II.* quae tamen prima dicenda eſſet, quum libri ſacri e Iudaea ad Ptolemaeum delati eſſent, ignotos illos Aegyptiis propter linguae diverſitatem fuiſſe ſcribit, donec & eorum pariter interpretes evocaverit : vel hiſtoria tota ut ἀπόκρυφος non recipienda, vel id de Alexandrinis dictum intelligendum eſt, quos, Graeca excepta, omnium aliarum linguarum contemtores fuiſſe *Hieronymus Catalogo in Origene* memoriae prodidit. Et heic obcurrendum difficultati, quam ſtupidi ingenii, & obeſae naris homo, qui literis ideo tantum operam navaſſe videtur ut nihil addiſceret, mihi quondam obiiciebat; ſi ſcilicet Ebreorum volumina in Aegypto *Platonis* aetate fuiſſent, non illa ab Eleazaro Pontifice Ptolemaeum Philadelphum petiturum fuiſſe : quaſi *Ariſteae* ſomniis & fabulamentis fidem adhibeamus, & falſarium Scriptorem cum cordatis ſapientibuſque viris probe perſpicueque non adgnoſcamus. Quamquam, etſi ea hiſtoria vera eſſet, alia multa in cauſſa eſſe potuere, cur ſacras ſcripturas ab ipſo Iudaeorum Pontifice Ptolemaeus expoſceret.

Si igitur quaedam *Plato* Iudaicarum ſcripturarum intellexit, ea potiſſimum illi innotuiſſe credibile eſt, quae principio *Geneſeos* de Mundi conſtitutione & exordio narrantur, quaeque *Salomon cap.* VIII. *Proverbiorum* de eiuſdem origine pronuntiat: nam rerum cauſſas, & univerſitatis primordia & conditum, philoſophicae erat curioſitatis inquirere. Sic & *Pythagoras* Babylonios adiit, *ad perdiſcendos ſiderum motus, originemque Mundi ſpectandam*, ut inquit *Iuſtinus Lib. XX.* Sed initio potiſſimum *Geneſeos* lectitando Ethnicos Philoſophos incubuiſſe vel aperte oſtendunt, quae habet *Numenius* apud *Porphyrium De Nympharum antro*, & *Dioniſ. Longinus* περὶ ὕψους λόγου. *Caput* autem VIII. Proverbiorum Ethnicis aliquo modo inno-

innotuiſſe forte ſubindicent, quae libro ſuperiòre de *Heraclito Epheſio* diſſeruimus.

C A P V T XI.

An ante Ptolemaeum Philadelphum Iudaicae Scripturae in Graecam linguam converſae fuerint.

AT non aliter potuit Plato in nonnullam Iudaicarum Scripturarum notitiam pervenire, & quid illae continerent ediſcere? Potuit fortaſſe. Nam & eius aetate Moſaicas leges iam in Graecam linguam converſas fuiſſe ſunt qui adfirment. *Ariſtobulus*, qui a ſectae profeſſione *Peripateticus* eſt adpellatus, quique ſecundo *Machabaeorum* libro, hoc eſt *Iaſonis* Cyrenaei Epitome, Regis Ptolemaei magiſter dicitur, Iudaeus fuit eruditiſſimus, qui anno II. Olympiadis CLVII. in Aegypto verſabatur. Heinc *Anatolii* hallucinatio patet, qui apud *Euſebium* Caeſarienſem *Lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXVI. de *Ariſtobulo* ita loquitur: ὃς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα καταλεγμένος τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ Φιλαδέλφῳ, καὶ τῷ τούτου Πατρὶ, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσι. *Qui unus ex* LXX. *qui ſacras divinaſque Ebraeorum Scripturas Ptolemaeo Philadelpho, & Patri eius interpretati ſunt, eſſe deprehenditur, quique commentarios in legem Moſis iiſdem regibus nuncupavit.* Conſtat enim *Ptolemaeum Philadelphum* anno III. Olympiadis CXXXIII. naturae conceſſiſſe, & ſcripturarum interpretatio quae LXX. dicitur, facta videtur aliquibus anno III. Olympiadis CXXV. Quare inter LXX. Viros & *Ariſtobulum* annos CXXVII. interfluxiſſe intelligitur. Maior autem eſt *Bartoloccii* error, qui in *Bibliotheca Rabbinica* Ariſtobulum diſſecat atque diſcerpit, & ex uno duos facit, unum quidem LXX. Viris adnumerans, alterum ſuae aetati relinquens. Quum autem *Ariſtobulus* in Aegypto ageret, explanationum in Moſen commentarios ſcripſit, & *Ptolemaeo Philometori* dedicavit, ut recte habet *Euſebius* in *Chronico*, qui etiam tres eius locos inſignes adfert in *Praeparatione Evangelica Lib. VII. & VIII. & XIII. Clemens* Ale-

Alexandrinus *Lib. V.* Στρωμαʈ. memoriae tradidit multos illum feciſſe libros, per quos Philoſophiam Peripateticam ex lege Moſaica, aliiſque Prophetis defluxiſſe probaret, qui forte iidem ſunt ac commentarii explanationum in Moſen. Ex horum Commentariorum Praefatione, laudati *Clemens I.* Στρωμαʈ. & *Euſebius* in *Evangelica Praeparatione*, verba, quae ſequuntur, deſcripſere: Κατηκολούθηκε δὲ ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καὶ φανερός ἐςι περιειργασάμενος ἕκαςα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων. Διηρμηνεύεται δὲ πρὸ Δημητρίου ὑφ' ἑτέρων πρὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τάτε κατὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγωγὴν τῶν Εβραίων τῶν ἡμετέρων πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις. ὥςε εὔδηλον εἶναι τὸν προειρημένον εἰληφέναι πολλά. γέγονε γὰρ πολυμαθὴς καθὼς καὶ Πυθαγόρας, πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν κατεχώρησε. *Sequutus eſt autem noſtras quoque leges Plato, & ſatis aperte oſtendit ſe eorum, quae in eis dicuntur, fuiſſe admodum ſtudioſum. Ante Demetrium autem, priuſquam rerum potirentur Alexander & Perſae, verſa fuerant, & quae ab Ebraeis noſtris geſta fuerant in exitu ex Aegypto, & quaecumque eis inſignia & facta erant, & adparuerant, & regionis per vim quaeſita poſſeſſio, & omnium, quae latae ſunt, legum deſcriptio, adeo ut clarum ſit antedictum Philoſophum multa ex eis ſumſiſſe; fuit enim lectionis plurimae, ut & Pythagoras, qui ~~multa e noſtris in ſua dogmata tranſtulit~~*. Quare iam ex huius perantiqui Scriptoris teſtimonio conſtat Moſis libros, ſi minus integros, ex parte ſaltem, ante Alexandri & Perſarum imperium in Graecam linguam converſos fuiſſe.

Non me quidem praeterit *Ariſtobuli* auctoritatem a quibuſdam parvipendi, atque etiam impugnari, ut a *Baronio*, *Capello*, *Valtonio*, *Simonio*, *Marſhamo*, *Clerico*, aliiſque qui LXX. Virûm interpretationem ceterarum omnium eſſe antiquiſsimam arbitrantur. Sed hi omnes, dum fidem illi abrogare conantur, laterem, ut in proverbio eſt, lavant, utpote qui nullo certo ac ſtabili fundamento innixi id adgrediuntur, quod etiam advertit iuſtiſsimae Criticae vir *Nic. Nourryus in Adparat. ad Biblioth. Max. Patrum Saecul. I. Diſſert. XII. cap.* I. §. IX. Et profecto qui *Ariſteae* teſtimonio innituntur referentis *Theopom-*

Digitized by Google

pompum a quibuſdam ſcripturae Iudaicae locis in Graecam hiſtoriam transferendis, mentis & animi turbatione, & ſomniorum oraculis fuiſſe deterritum: *Theodectem* quoque Tragoediarum poëtam, quod nonnulla e coeleſtibus literis ad fabulam quamdam traducere voluiſſet, oculorum coecitate punitum fuiſſe: falſarii omnino Scriptoris auctoritate ſe fungi non vident, & qui propterea merito fidem omnem decoxerit. Quid quod huiuſmodi narrationes anilia potius fabulamenta, quam hiſtoriae veritatem redolent? Quibus, quum Scriptor ille Ψευδώνυμος, quemadmodum ſuae inſigni, & incaſſum magnificis commentis celebratae LXX. Virûm Interpretationi, fidem conciliare ſtuderet, memoratam ab *Ariſtobulo* translationem dedita fortaſſe opera ſilentio tranſiliit. Quamobrem fruſtra *Iob. Clericus* eiuſmodi ſe taciturnitate fulciri arbitratur, quando, etſi *Ariſteas* tot praeſcriptionibus non eſſet obnoxius, & aliquam mereretur fidem, unius Scriptoris ſilentium, expreſſum alterius teſtimonium non infirmat: & vere ſciteque de hoc argumentationis genere in univerſum pronuntiavit vir acerrimi iudicii *Strabo*, nihil eo eſſe vanius, nihil fallacius. Quamquam *Pſeudo-Ariſteas* ille indicare non omittit, interpretationem quamdam ante Ptolemaei tempora fuiſſe factam, nam apud illum *Demetrius Phalereus* ait, ἀκηκοέναι περὶ Θεοπόμπου διότι μέλλων τινὰ τῶν προηρμηνευομένων ἐπισφαλέστερον ἐκ τοῦ νόμου προϊστορεῖν, ταραχὴν λαβεῖν τῆς διανοίας πλείων ἡμέρων τριάκοντα κτλ. Adde quod *Hodyus* cenſet, Ariſteae librum paulo ante Chriſti ortum fuiſſe conſcriptum, ut mirum non ſit ſi ille Scriptor infelix, quomodo res antiquitus ſe haberet, ignoraret, quum, quid *Ariſtobulus* literis mandaſſet, fortaſſe non meminiſſet. *Hodyi* ſententia veroſimilis videtur ex eo, quod ſi *Pſeudo-Ariſteas* ante *Ariſtobulum* ſcripſiſſet, non facile, neque impune illi fuiſſet Graecis & Aegyptiis imponere, quum adhuc recens eſſet rerum a *Ptolemaeo Philadelpho* geſtarum memoria. Nihilo tamen minus *Nourryus* aliter ſentiens *Pſeudo-Ariſteam* Ariſtobulo antiquiorem facit, & hunc ab illo, quae de Demetrio habet, accepiſſe pertendit. At forte non ex Ariſtea Demetrii meminit *Ariſtobulus*: ſed quia fama ferebat, ut ex *Plutarcho* in *Apophthegmatis* conſtat, eo ſuadente, *Ptolemaeum*

Digitized by Google

maeum Lagi libros quoſcumque poſſet conligere & comparare coepiſſe; qua occaſione ab Helleniſtis Iudaeis ſcripturarum tranſlatio ſuſcepta eſt, quum rem ſe gratam Regi facturos exiſtimarent. Veroſimiliter enim quidam arbitrantur ſacrarum literarum interpretationem ſub *Ptolemaeo Lagi* inceptam fuiſſe: creditum autem quibuſdam ſub *Philadelpho* factam, vel quod is regni & imperii conſors eſſet, vel quod ſub huius principatu ad umbilicum ducta fuerit, & abſoluta, vel quod *Ariſteae* Mileſiis fidem adhibuerint. Et quidem *Irenaeus*, & *Clemens* Alexandrinus ſacrum Codicem Graece verſum fuiſſe tempore *Ptolemaei Soteris*, ſcriptum reliquere, quibus adſtipulari iam vidimus *Anatolium*, quamquam in adſignanda *Ariſtobuli* aetate turpiter labitur. Quae ſi ita ſe habent, exculcatis omnibus *Ariſteae* fabulis, Scriptores alios, qui ſub *Philadelpho* interpretationem illam factam fuiſſe tradunt, proclive eſt cum tribus memoratis conciliare, quod quidem animadvertebat etiam *Ger. Ioh. Voſſius Lib. I. De Hiſtor. Graec. cap.* XII.

Quum igitur quae *Ariſtobulus* de Demetrio habet, nihil nobis obſiciant, nunquid aliquatenus obſtabit *Auguſtini* ſententia & auctoritas? Ille enim pariter *Lib VIII. De Civit. Dei cap.* XI. Septuaginta Virûm interpretationem omnium vetuſtiſſimam eſſe opinatur. Sed duo heic a nobis ſerio animadvertenda ſunt. Vnum, *Auguſtinum* in Graecis Scriptoribus legendis haud exercitatiſſimum fuiſſe; nam & a puero Graecas literas oderat, ut ipſe ſcribit *Lib. I. Confeſſ. cap.* XIV. & in libris *De Trinitate* non adeo ſe Graecae linguae peritum fuiſſe indicat, ut Graecos auctores, qui de Trinitate ſcripſerant, legere atque intelligere poſſet, quare non mirum ſi, quae *Ariſtobulus* literis mandaverat, ignoravit. Alterum eſt, *Auguſtini* aevo LXX. Virûm interpretationem adeo celebrem & famigeratam fuiſſe, & omnium mentes ad ſui contemplationem convertiſſe, ut cuiuſcumque alius vetuſtioris, & quae ad poſteros minime pervenerat, facillime oblivio inducta ſit, quod etiam ex *Lib. XVIII. De Civit. Dei cap.* XLII. *& ſequent.* arguere eſt. Et quidem non ſolum Apoſtoli hac tranſlatione uſi ſunt, ſed ex ea etiam factae aliae Verſiones, quae primis temporibus in Eccleſiis legebantur. Hoc & de aliis Patribus, ſi qui ſunt *Au-*

gu-

Digitized by Google

guſtino conſentientes, dicendum eſt. Nulla enim vera hiſtoria tantam inter mortales fidem invenit, quanta commentitiae illi ab omnibus habita eſt. Eam *Philo*, *Ioſephus*, *Iuſtinus*, *Irenaeus*, *Clemens* Alexandrinus, *Tertullianus*, *Euſebius*, *Hieronymus*, *Cyrillus* Alexandrinus, ceterique omnes Eccleſiaſtici Scriptores, & amplexati ſunt, & varia commemoratione celebraverunt, adeo ut nihil prope aliud per ea tempora Chriſtianorum auribus inſonaret. Haud igitur temere *Ariſtobuli* teſtimonio plurimum tribuerunt cum alii, tum Recutitorum Magiſter *Azarias* apud *Buxtorfium Lib. De Punctorum antiquitate*, & non ita pridem *G. Vockerodtus* in Exercitatione *De notitia divinarum ſcripturarum apud Gentiles*.

C A P V T XII.

Plato *multa Graecos a Barbaris accepiſſe ingenue fatetur*.

AT videamus iam an *Plato* ipſe aliqua in ſuis Dialogis argumenta ſuppeditet, ex quibus forte conligere ſit nonnullam ipſum Iudaicorum dogmatum, aut ſcripturarum cognitionem habuiſſe. Neminem quidem latere arbitror eum Graiae gentis hominum fuiſſe tumorem & adrogantiam, ut quaſi ſoli ſcientiae gloria conſpicui, & politioribus ſtudiis exculti eſſent, omnes alias nationes prae ſe barbaras dicerent & arbitrarentur, quod & *Plato* in *Politico* adgnoſcit. Heinc etiam tractu temporis mos invaluit, ut Chriſtiani ipſi, quod eorum religio ex Iudaeorum placitis & inſtitutis defluxiſſe cenſeretur, Barbari paſſim ab eiuſmodi hominibus audirent, quod aegre fert *Tatianus Aſſyrius* in *Oratione*, & eos hoc nomine ſaepenumero indicant *Iuſtinus* Martyr, & *Clemens* Alexandrinus, veluti in hoc praevaricati, ut ad conſuetae adpellationis ſonitum in ea, quae differebant, mentem facilius Graeci lectores intenderent. Sic quum *Iamblichus* apud *Proculum I. in Timaeum*, *Porphyrium* ritu nimis Barbarico Theologiam tractare notat, Iudaeorum etiam fortaſſis Chriſtianorumque conſulta, & eorum docendi rationem prae oculis habet. Sed vere

re

re quondam *Anacharſis* pronuntiavit, Scythas Athenienſibus, Athenienſes Scythis Barbaros eſſe. *Plato* etiam ſuae gentis morem ſequutus, Barbaros alios fere omnes, praeter Graecos, indigitat, & a Barbaris Graecos mutua pleraque accepiſſe diſerte perſpicueque fatetur. Plura *Platonis* loca, quibus illa mirae ingenuitatis confeſſio comprehenditur, iam *Clemens* Alexandrinus *Lib. I.* Στρωμ. conlegit & protulit, nos ea' tamen iterum ad examen in praeſentiarum revocabimus. Ille igitur Philoſophorum facile princeps eo dialogo, quem de nomine Heraclitei praeceptoris *Cratylum* inſcripſit: ita infit: καὶ ἡμεῖς οὕτως εἰπόντες ἀπαλλαγῶμεν, ὅτι τὰ πρῶτα ὀνόματα οἱ θεοὶ ἔθεσαν καὶ διὰ ταῦτα ὀρθῶς ἔχει· ἆρα καὶ ἡμῖν κράτιστος οὗτος τῶν λόγων, ἢ ἐκεῖνος, ὅτι παρὰ βαρβάρων τινῶν αὐτὰ παρειλήφαμεν; εἰσὶ δὲ ἡμῶν ἀρχαιότεροι βάρβαροι: *Ita nos ocyus rem expediamus, dicentes Deos prima nomina poſuiſſe & idcirco recte inſtituta fuiſſe. Numquid potiſſimus nobis hic ſermo? an ille, quod ipſa a Barbaris quibuſdam accepimus? Nobis quippe antiquiores ſunt Barbari.*

Ioh. Clericus Par. III. Art. Critic. Epiſt. VII. nullos alios cenſet heic a *Platone* nomine Barbarorum intelligi, quam primos Graeciae incolas, quorum barbara erat lingua, nec niſi longo temporis lapſu in Graecam mutata: Pelaſgos nimirum, quos Graeciam primos occupaſſe multis oſtendit *Eduar. Stillingfleettus Lib. III. Origin. ſacrarum cap.* IV. *ſect.* II. Sed Platonem, quum Barbaros nominat, gentes a Graecis diſtinctas denotare, evidenter elucet. Nam priſcam Graeciae incolarum linguam a Barbarica expreſſe & dilucide diſtinguit. Ait enim: φάναι, ὃ ἐὰν μὴ γιγνώσκομεν, βαρβαρικόν τι τοῦτο εἶναι. εἴη μὲν οὖν ἴσως ἄν τι τῇ ἀληθείᾳ καὶ τοιοῦτον αὐτῶν. εἴη δὲ κἂν ὑπὸ παλαιότητος τὰ πρῶτα τῶν ὀνομάτων ἀνεύρετα εἶναι. Διὰ γὰρ τὸ πανταχῆ στρέφεσθαι τὰ ὀνόματα, οὐδὲν θαυμαστὸν ἂν εἴη εἰ ἡ παλαιὰ φωνὴ πρὸς τὴν νυνὶ, βαρβαρικῆς μηδὲν διαφέροι. *Quod minime cognoſcimus Barbaricum eſſe dicimus: forte enim partim revera talia ſunt; forte vero partim nomina prima, temporum confuſione inſcrutabilia. Etenim quum paſſim vocabula diſtrahantur, nihil mirum eſſet ſi priſca lingua cum noſtra conlata nihil a Barbarica voce differret.* His *Plato* aperte inſinuat poſſe quidem falli, dum quae-

dam

dam nomina Barbara eſſe adſeverat; alios tamen quam veteres Graecos ſe, quum Barbaros nominat, intelligere oſtendit. Sed clarius etiam alibi iſthuc ipſum patefacit. Σκέψαι δὴ ὃ ἐγὼ ὑποπτεύω περὶ αὐτοῦ. ἐννόω γὰρ ὅτι πολλὰ οἱ Ελληνες ὀνόματα ἄλλωστε καὶ οἱ ὑπὸ τοῖς Βαρβάροις οἰκοῦντες, παρὰ τῶν Βαρβάρων εἰλήφασι. *Vide quid de hoc ſubſpicer. Reor equidem multa nomina Graecos a Barbaris, eos praeſertim qui ſub Barbaris ſunt, habuiſſe.* Graeci profecto ſub Barbaris, qui Graeciam primum incoluere, Platonis aetate non erant; de aliis igitur Barbaris loquitur *Plato*, quod etiam lucentiſſimis & nulli calumniae obnoxiis verbis deinde declarat, ſubiiciens ex intervallo: ὅρα τοίνυν καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα τὸ πῦρ μήτι Βαρβαρικὸν ᾖ. τοῦτο γὰρ οὔτε ῥάδιον προσάψαι ἐστὶν Ελληνικῇ φωνῇ, φανερὸν τ' εἰσὶν οὕτως αὐτὸ καλοῦντες Φρύγες, σμικρόν τι παρακλίνοντες· καὶ τόγε ὕδωρ, καὶ τὰς κύνας, καὶ ἄλλα πολλά. *Vide itaque ne nomen hoc* πῦρ *Barbaricum ſit. Neque enim facile eſt iſtud Graecae linguae adcommodare, conſtatque ita hoc Phrygios nominare parum quid declinantes, &* ὕδωρ, *&* κύνας, *aliaque permulta*. Ecce heic Barbarorum nomine Phrygios intellexerat. Sed quum alia loca, eaque inſignia, quibus *Plato* multa Graecos Barbaris debere explicate & adſeveranter adfirmat, in huius operis progreſſu opportune proferenda ſint, ea conſulto in praeſentiarum omittemus.

Quoniam autem vidimus a Platone Barbaros Graecis antiquiores adſeverari, eos interdum Veterum etiam, Priſcorumque nomine apud illum ſignificari non eſt dubitandum. Itaque & quum in *Philebo* ſcribit his verbis: οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων. Δεῖν οὖν ἡμᾶς, τούτων οὕτω διακεκοσμημένων αἰεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν. εὑρήσειν ἐνοῦσαν. εἂν οὖν καταλάβωμεν, μετὰ μίαν δύο, εἴπως εἰσὶ σκοπεῖν. εἰ δὲ μὴ τρεῖς ἤ τινα ἄλλον ἀριθμὸν, καὶ τῶν ἓν ἐκείνων ἕκαστον πάλιν ὡσαύτως· μέχρι περ ἂν τὸ κατ' ἀρχὰς ἓν μὴ ὅτι ἓν, καὶ πολλὰ, καὶ ἄπειρά ἐστι, μόνον ἴδῃ τις, ἀλλὰ καὶ ὁπόσα. τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προσφέρειν, πρὶν ἄν τις τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ πάντα κατίδῃ, τὸν μεταξὺ τοῦ ἀπείρου τε καὶ τοῦ ἑνὸς. τότε δὲ ἤδη τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων εἰς τὸ ἄπειρον μεθέντα χαίρειν ἐᾷν.

Ve-

Veteres nobis meliores, & propius Deos habitantes hanc famam tradiderunt. Quum ea, quae ſemper dicuntur eſſe, conſtent ex uno & multis, finemque & infinitatem in ſe inſitam habeant; oportere nos rebus ſic conſtitutis, ſemper unam ideam de omni re ſingulatim ponentes quaerere, nos enim comperturos eam ineſſe, quam ſi comprehendamus, poſt unam duas, ſi ſint, perſcrutari; ſi minus id pateat, tres: aut alium numerum quaerere, & quodlibet eorum, quae ſunt unum, non modo quod unum multaque & infinita ſit, verum etiam quot ſit aliquid noſcat: infiniti autem ideam non prius ad multitudinem adhibere, quam quis numerum omnem inter infinitum & unum medium cadentem percepit, tum demum unum quodlibet omnium abeuntium in infinitum dimittere. Locum hunc licet paulo prolixiorem deſcripſimus, quod inferius a nobis aliquatenus expendendus ſit. *Libro* pariter *IV. De Legibus* Philoſophus ille eminentiſſimus, antiquum ſermonem memorat, pro eo quod Priſci ſenſerint, his verbis: Θεὸς ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθείαν περαίνει, κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. *Deus, ut fert etiam antiquus ſermo, initium, & finem, & media omnium entium habens recta abſolvit, per naturam circumiens.* Vult *Iuſtinus* in *Adhortatione ad Gentes* haec Moſi deberi. At obloquitur *Clericus*, aitque oportuiſſe ab eo proferri locum Moſis, in quo ſit quidpiam ſimile. Sed ſi ita locus Platonis intelligendus eſt, ut ex illo Dei aeternitas comprehendatur, quod pertendit *Iuſtinus*: Θαυμαζέτω δὲ μηδείς, inquit, εἰ Μωϋσεῖ πεισθεὶς ὁ Πλάτων περὶ τῆς ἀϊδιότητος τοῦ Θεοῦ οὕτω γέγραφε. *Minime vero mirum eſſe cuiquam videri debet, ſi a Moſe perſuaſus Plato de Dei aeternitate ita ſcripſit*: non video cur *Iuſtinus* plures ex Moſe locos proferre non potuiſſet, quibus Dei aeternitas diſerte praedicatur. Nec unquam dixit *Iuſtinus* hunc locum ita Moſi deberi, ut totidem ex illo prope verbis deſcriptus in ſuos dialogos a Platone translatus fuerit. Sed *Iuſtini* verborum ſenſus eſt, Platonem de Dei aeternitate a Moſe perſuaſum ita loquutum eſſe, ut vetuſtiſſimo effato uſus Numinis aeternitatem luculentiſſime praedicaverit. Si autem *Iuſtinus* Platonis dicta eo intellectu accepiſſet, quo illa ediſſerit *Clericus* adfirmans proferri heic a *Platone* ſenſum eo-

eorum, quae a *Timaeo* dicta erant de anima Mundi, quam Deus opifex rerum τῷ κόσμῳ μεσόθεν ἐξάψας ἐπάγωγεν ἔξω. *Mundi medio indidit, & extra eduxit;* illud Moſis adtuliſſet, vel adferre potuiſſet: *Spiritus Domini ſuperferebatur aquis*, ad quem locum vult in eadem *Adhortatione* reſpexiſſe Platonem quum mundanam animam induxit. Sed non adeo ineptus erat *Iuſtinus*, ut *Timaei* effatum veterem ſermonem a Platone dici potuiſſe arbitraretur, quamvis a *Pythagora* profluxiſſet, quum hic LXXX. tantum circiter annis ante Platonem vixerit; mortuus enim eſt anno IV. Olympiadis LXX. *Anaxagoras* quoque, qui omnia mente exornari dixit, ut in *Cratylo* & *Phaedone* docet ipſe *Plato*, quum *Socratis* praeceptor fuerit, non eſt inter priſcos conlocandus, nec eius ſermo dicendus antiquus. Sed nec *Thales* quidem eſſet ita nominandus, qui CXX. circiter annis Platonis ortum anteceſsit, omnium Graecorum Philoſophorum vetuſtiſsimus.

Nec obiiciatur, a Platone antiquos interdum adpellari eos, qui *Simonidis* Cei aetatem tantum praeceſſere. *Simonides* enim literas invexit ἢ καὶ ὦ, quum antea Graeci indifferenter τοῖς ἒ καὶ ὂ, ſeu brevibus, ſeu longis uterentur. *Plato* igitur hac de re ita ſcribit in *Cratylo*: οὐ γὰρ ἢ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ἒ τὸ παλαιόν. *Non ἢ antiquitus, ſed ἒ utebantur*, cuius exemplum antea adtulit: οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλουν, οἱ δὲ ἑμέραν. *Antiquiſſimorum alii non ἡμέραν, ut nunc dixere; ſed ἱμέραν. alii vero ἑμέραν.* Iterumque: ἔρως ἀπὸ τοῦ ἐσρεῖν ἔσρος, τόγε παλαιὸν ἐκαλεῖτο. τῷ γὰρ ὂ ἀντὶ τοῦ ὦ ἐχρώμεθα. νῦν δὲ ἔρως κέκληται διὰ τὴν τοῦ ὦ ἀντὶ τοῦ ὂ μεταλλαγήν. Ερως *antiquitus vocabatur* ἔσρος ἀπὸ τοῦ ἐσρεῖν, ὂ *enim loco* ὦ *in uſu fuit; at ob* ὂ *immutatum* ἔρως *nunc vocatur*. Haec enim nullum nobis negotium faceſſunt. Nam eatenus Plato antiqua, quae *Simonidis* aetatem antevertunt, adpellat, quatenus non per ea tempora in uſu eſſe coeperunt, ſed a vetuſtiſsimus ſaeculis originem ſuam repetebant. Heinc illud οἱ μὲν ἀρχαιότατοι. Et quidem *Celſus* apud *Origenem Lib. I.* adfirmat a Graecis illa ut plurimum exiſtimari priſca, quae antiquiora ſunt diluviis & exuſtionibus memoriam ipſorum excedentibus.

CAPVT XIII.

Plato *quum Barbaros nominat, non ad unum tantum Barbarorum genus reſpicit.*

AT Barbari, omnibus illis, quos protulimus, locis, aliiſque a *Platone* ſignificentur, & ii quidem, qui nihil haberent commune cum Graecis: ergo, quis dicat, Barbarorum nomine Iudaeos ilie ſtatim intelliget? *Non erat unum,* inquit *Clericus*, *Barbarorum genus*. πολλὰ καὶ τὰ τῶν Βαρβάρων γένη, *inquit ille in Phaedone, quae etiam recenſet Clemens loco laudato. Ideoque ſi fateamur Platonem multa debuiſſe Barbaris, propterea tamen conſequens non eſt Ebraeos aut libros, aut homines ab eo fuiſſe conſultos. Si vel ſolos Aegyptios adiiſſet, quod conſtat ex eius vita, recte dici poſſet Barbaros audiviſſe magiſtros, quamvis reliquorum Barbarorum ne nomina quidem fando accepiſſet. Annon dixit Cicero Lib. V. De Finibus*: Plato Aegyptum peragravit, ut a ſacerdotibus Barbaris, numeros & coeleſtia acciperet? Haec ille. Cui primum replicamus nobis hactenus cordi fuiſſe demonſtrare *Platonem* pluria Barbaris, quos antiquiſſimos cenſet, accepta referre, atque id apertiſſime digna tanto Philoſopho ingenuitate profiteri. In praeſentiarum vero inquirere eſt, quum multa eſſe Barbarorum genera adfirmet, quorum nam potiſſimum ille vel auctoritate fungatur, vel ad mores & conſulta reſpiciat. Igitur quum Barbaros generaliter nominet, atque ita non magis Iudaeos, quam Aegyptios, & Thracas, alioſque indicare videatur, aliunde in hanc notitiam perveniamus oportet. Generalem itaque adpellationem certis definitae ſcientiae & cognitionis terminis circumſcribent, vel indicia quae *Plato* ipſe in ſuis Dialogis ſuppeditabit; vel huius Philoſophi inſtitutum atque indoles, eiuſque docendi ratio; vel denique eius peregrinationis curſus, decretaque, quae intulit.

Et quod primum adtinet, certum, exploratumque eſt, ut vidimus, pluria Barbarorum genera a Platone fuiſſe cognita, & ea quidem, quae non parvi penderet, quum digna cenſeat, qui-

quibuſcum quis ſapientiae inquirendae gratia congrediatur, nulli impenſae, nulli labori aut incommodo parcens. At non minus indubitatum eſt, Barbararum gentium plurimas expreſſe interdum, & propria adpellatione nominare; neque in hoc tantum conſiſtere, ſed & qui viri inter eas ſapientiae ac doctrinae laude praeſtiterint, quaeque illorum ſtudia & placita fuerint, commemorare. Itaque in *Cratylo* Phrygum meminit; Zamolxidos, & Thracum, eorumque doctrinae in *Charmide*; Zoroaſtrem, Perſarumque Magos in *Alcibiade Maiore* commendat; & quid de eorum praeceptis ſentiat, exponit: Phoenices *Lib. III.* & *IV. De Rep.* producit; quorum altero & Scytharum meminit; Syros ob ſiderum coeleſtiumque converſionum ſcientiam laudibus fert in *Epinomide*; Abarin Hyperboreum, & eius incantationes in *Charmide* celebrat; Aegyptium Theut in *Philebo*, Sacerdotes Aegyptios in *Timaeo* commemorat, praedicatque. Dicendum eſt igitur ad hoſce omnes, alioſque, diverſos tamen utplurimum pro diverſa rerum tractatione, *Platonem* reſpexiſſe.

Huius rei veritatem inſinuat etiam methodus ſtudiorum *Platonis*, & eius dogmata ſcientiamque tradendi ratio. Fuit enim *Plato* φιλομαθέστατος, adeoque iuxta Iſocratis effatum πολυμαθέστατος. A pueritia enim ſub *Dionyſio* Grammatico, cuius meminit in Ἀντερασταῖς, literis eruditus, Muſicae etiam operam ſub *Dracone* Athenienſi, cuius in libris περὶ πολιτείας mentio eſt, praeceptore navavit. Paleſtrae quoque, & Picturae non rudis, Tragoedias inſuper & Dithyrambos poëta conſcripſit, & cum *Ariſtophane* comico verſatus eſt. *Iſocratis* pariter oratorum ſuaviſſimi familiarem fuiſſe ſatis ipſe oſtendit in *Phaedro*. Et haec quidem in adoleſcentia, quando & *Cratylum* audivit, ſi *Ariſtoteli*, & *Apuleio* credimus, a quo *Heracliti* Epheſii placitis imbutus fuit. Anno aetatis vigeſimo *Socrati* in diſciplinam ſe dedit, quo mortuo *Hermogenem* adiit, & *Parmenidis* opiniones edidicit. Mox Cyrenas profectus, *Theodorum* geometram frequentavit: Aegyptum peragravit: penetravit uſque in Phoenicen, ſi *Olympiodoro* fides: Pythagoreis in Italia congreſſus eſt. Quae quidem omnia itinera ſuſcepit ſapientiae, & doctrinae amore multiplicis. In quas artes & di-

Digitized by Google

diſciplinas in Aegypto incubuerit, iam ſuperius expedivimus. Libros, quoſcumque potuit, conraſit & comparavit, ut *Dionyſius Iunior* Syracuſanus Tyrannus dicere conſueverit, *Ariſtippo* pecuniam, *Platoni* libros eſſe dandum. Adeantur, ſi vacat, *Plutarchus*, *Laërtius*, *Agellius*, *Tzezes*. Heinc quam multarum rerum ſcientiam habuerit *Plato* iam facile patet, & quam indignatus fuerit unius ſectae vel gentis dogmatis & documentis ſe addicere. Quis igitur dicat πολυμαθῆ, & omnis doctrinae conſultiſſimum hunc Philoſophum, Aegyptiorum tantum, non etiam aliarum gentium, quas noviſſe iam oſtendidimus, myſteria & decreta ſuis inſeruiſſe Dialogis? Nemo profecto: quum etiam compertum habeamus nihil illi fuiſſe ſolemnius, quam varia variorum placita, diverſaſque plurium ſectarum ſententias miſcere ſimul atque confundere, & velut unum Philoſophiae corpus ex multifariis omnigeniſque doctrinis coagmentare. Sufficit adiiſſe *Ariſtotelem I. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, M. Tullium V. De Finibus, Diogenem Laërtium in Vita, Philoſtratum Lib. I. Vitae Apollonii Tyanei, Apuleium, Heſychium Mileſium, Anonymum Lib. I. Anthlog. Tatianum in Oratione ad Graecos, Auguſtinum Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* IV. *Photium inter Excerpta Pythagorae* qui omnes iſthuc ipſum uno ore teſtantur adfirmantes, *Platonem* Socratis documentis Heracliti ſectam, Pythagorae diſciplinam, Parmenidis Zenoniſque opiniones, Aegyptiorum myſteria adiunxiſſe, velut egregium pictorem adumbratis imaginibus colores ſuperimponentem. *Numenius* autem *Lib. I.* περὶ τἀγαθοῦ a Brachmanis etiam, & Magis, Iudaeiſque multa accepta in ſuam Philoſophiam traduxiſſe innuit: idemque, quoad Iudaeos, *Plutarchus* & *Porphyrius* apud *Theodoretum* adfirmant. Heinc iure optimo *Aeneas Gazaeus* in ſingulari Dialogo, quem *Theophraſtum* inſcripſit, admonet propoſitum fuiſſe Platoni cunctas in ſuis Dialogis ſectas exprimere, & univerſas multiiugis eruditionis opes congerere, ut ſuis diſcipulis omnem omnium doctrinarum copiam & adparatum ſufficeret, atque ita illos πολυμαθεςάτους redderet. Quare iniuria omnino *Xenophon* in Epiſtola ad Aeſchinem Socraticum, cuius adhuc exſtat fragmentum, heinc adripit occaſionem Platoni invidiam faciendi, quaſi a Socratis diſci-

pli-

Digitized by Google

plina recedens prodigialem quamdam ſcientiam ex decretis maxime diſparatis conflatam invexiſſet. Sed recte ac vere magnus *Auguſtinus* loco proxime laudato de *Platone* ſcripſit: *Parum putans perficiendae philoſophiae ſubſicere ſeipſum ac Socraticam diſciplinam, quam longe lateque potuit, peregrinatus eſt; quaquaverſum eum alicuius nobilitatae ſcientiae percipiendae fama rapiebat.*

Quibus rite perſtructis, non unum tantum Barbarorum genus, ſed pluria a Platone, utpote plurimarum doctrinarum venatore ac conlectore, quum *Barbaros* nominat, indicari fatendum eſt. Quamobrem non ſine cauſſa *Clemens* Alexandrinus in *Admonitione ad Gentes* Platonem compellans exclamabat: οἶδά σου τοὺς διδασκάλους, κἂν ἀποκρύπτειν ἐθέλεις· γεωμετρίαν παρ' Αἰγυπτίων μανθάνεις, ἀστρονομίαν παρὰ Βαβυλωνίων. ἐπῳδὰς τὰς ὑγιεῖς παρὰ Θρακῶν λαμβάνεις· πολλά σε καὶ Ασσύριοι πεπαιδεύκασι· νόμους δὲ τοὺς ὅσοι ἀληθεῖς, καὶ δόξαν τὴν περὶ τοῦ θεοῦ, παρ' αὐτῶν ὠφέλησαι τῶν Εβραίων. *Novi tuos magiſtros, etſi eos caelare velis. Geometriam diſcis ab Aegyptiis; Aſtronomiam a Babyloniis, Incantationes, queis morbi ſanantur, accipis a Thracibus. Multa etiam Aſſyrii te docuerunt; leges autem quaecumque verae ſunt, & de Deo opinio, ſuppeditata tibi ſunt ab Ebraeis.*

CAPUT XIV.

An Plato *de Iudaeis aliquid ſaltem ſubobſcure indicet.*

QVum igitur luculente demonſtraverimus ad diverſa Barbarorum genera a *Platone* reſpici, & ab eis illum non pauca ad ſe Graecoſque alios defluxiſſe profiteri, an rationes ullae & argumenta ex eius etiam libris petita ſuadeant ut inter illa Barbarorum nomina Iudaeorum quoque gens conlocanda ſit, videamus. Tempeſtive quidem ſuperius adſtruximus Iudaeos ab Ethnicis vulgo cum Syris, aliiſque gentibus fuiſſe confuſos, quod etiam animadvertebat *Calmetius Praefat. in Exodum*. *Abrahamum* vero inprimis Chaldaeum & Syrum habitum ab iiſdem fuiſſe, & *Artapanus*, & *Trogus* argumento ſunt: eumque rerum coeleſtium peritiſſimum dicunt

Digitized by Google

cunt & Chaldaeus *Beroſus*, & laudatus *Artapanus*, & *Alexander Polybiſtor*, & ad Abrahamum referenda videntur carmina illa Orphica antiquiſſima, quae apud *Clementem Strom. V.* & *Euſebium Lib. XIII.* Προπαρ. *cap.* XII. leguntur, & in quibus Chaldaeo ſanguine natus, & rei Aſtronomicae conſultus indicatur. Sed addit inſuper *Artapanus* eumdem aſtrorum ſcientiam Aegyptiis tradidiſſe, & *Alexander Polybiſtor* ex Eupolemo eam apud Babylonios etiam inſtituiſſe refert. Modo non quaero an ea, quae Scriptores illi prodiderunt vera ſint, necne: iam meam hac de re opinionem *Libro I.* declaravi: ſed forte ex his coniicere eſt eiuſmodi famam & rumorem apud Ethnicos de *Abrahamo* percrebuiſſe. Quare ex horum auctorum ſententia Aſtronomiam tam apud Babylonios, quam apud Aegyptios eodem tempore ortam, & excitatam fuiſſe conſtaret: nam utrique genti *Abrahamus* primum eam tradidiſſet. Inſpiciamus modo an cum huiuſmodi opinione convenire poſſint, quae *Plato* habet in *Epinomide* de ſideribus, coeleſtiumque obſervatione diſſertans. Ibi diſerte ait, primum coeleſtium converſionum, aſtrorumque ſpectatorem Barbarum fuiſſe. Aegyptum vero, & Syriam propter aëris ſerenitatem huiuſmodi ſcientiae primordia contuliſſe. Mox dicit hominem Syrum numeros feciſſe ſtellis, & nomina, quod idem eſt ac explicate pronunciare, fuiſſe Aſtronomiae repertorem.

Non me quidem latet potuiſſe *Platonem* ad Zoroaſtrem Aſſyrium, de quo iam opportune loquuti ſumus, reſpicere, cuius vel ipſum nomen, ſi eruditiſſimo *Sam. Bocharto* credimus, ſiderum contemplatorem fuiſſe indicat, ita ut idem valeat ac Ἀστροθεάτης, quemadmodum pertendit apud *Laërtium Lib. I.* legendum pro Ἀστροθύτης, quod & *Ger. Ioh. Voſſius* probat, quamquam alii diſſentiunt. Potuiſſet & *Belum* Aſſyrium prae mentis oculis habere, qui iuxta quorumdam opinionem Aſtronomiae inventor fuit, ut *Plinius Lib. VI. cap.* XXVI. & *Solinus cap.* XL. ſcribunt, & Zoroaſtre ipſo eſt antiquior, nam anno Per. Iul. MMMCCCCXLVII. naturae conceſſit. Et eo magis id eſſe veroſimile videri poteſt, quod *Diodorus Lib. I.* ſcribit hunc *Belum* Neptuni & Lybiae F. ex Aegypto Coloniam Babylonem deduxiſſe, quod tamen omne eſſe fabuloſum viri do-

cti

ſti animadverterunt, ut *Th. Stanleius De Philoſ. Chaldaica Sect. I cap.* IV.

Sed iam tempus ipſiſſima *Platonis* verba deſcribendi. Quum igitur tres virtutes ex octo, quas in Coelo eſſe dixerat, memoraſſet, Solis videlicet, Lunae, & Stellarum omnium, ſubiicit: ἡ τετάρτη δὲ φορὰ καὶ διέξοδος ἅμα καὶ πέμπτη, τάχει μὲν Ἡλίῳ σχεδὸν ἴση, καὶ οὔτε βραδυτέρα, οὔτε θάττων. τόγ᾽ ἐπίπαν ἀεὶ τούτων τριῶν ὄντων, τὸν νοῦν ἱκανὸν ἔχοντα ἡγεῖσθαι λέγωμεν δὴ ταύτας ἡλίουτε εἶναι καὶ ἑωσφόρου· καὶ τρίτον ὡς μὲν ὀνόματι φράζειν οὐκ ἔστι, διὰ τὸ μὴ γιγνώσκεσθαι. Τούτου δὲ αἴτιος ὁ πρῶτος ταῦτα καϊδών, Βάρβαρος ὤν. Παλαιὸς γὰρ δὴ τόπος ἔθρεψε τοὺς πρώτους ταῦτα ἐννοήσαντας, διὰ τὸ κάλλος τῆς θερινῆς ὥρας, ἣν Αἴγυπτόστε καὶ Συρία ἱκανῶς κέκτηται. Φανέρους μὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀστέρας ἀεὶ ξύμπαντας καθορῶντας, ἅτε νεφῶν καὶ ὑδάτων ἀπόπροσθεν ἀεὶ τοῦ κόσμου κατῳκισμένους. Ὅθεν καὶ πανταχόσε καὶ δεῦρ᾽ ἐξήκει, βεβασανισμένα χρόνῳ μυριετεῖτε καὶ ἀπείρῳ. Et mox: ὅτι δὲ οὐκ ὀνόματα ἔσχηκε, τήνγε αἰτίαν χρὴ λέγεσθαι ταύτην. ἄλλα γὰρ καὶ ὀνόματα εἰλήφασι θεῶν. ὁ μὲν γὰρ ἑωσφόρος, ἑσπερόστε ὢν ὁ αὐτὸς, Ἀφροδίτης εἶναι σχεδὸν ἔχει λόγον, καὶ μάλα Συρίῳ νομοθέτῃ [legendum forte iuxta *Ficini* interpretationem ὀνοματοθέτῃ) πρέπων. Quae quidem in Vetuſtis codicibus habentur, eademque adgnoſcit *Ficinus*. *Quarta vero, & quincta latio & anfractus aequali ferme velocitate cum ſole feruntur. Itaque neque tardiores ſunt, neque velociores. Atque harum trium ſemper ſufficiens ductor eſt intellectus. Solis dico & Luciferi, & tertii illius, quod, quum ignoretur, nominari non poteſt. Quod propterea factum eſt quoniam primus harum rerum ſpectator Barbarus fuit. Antiqua enim regio illos aluit, qui propter aeſtivi temporis ſerenitatem, primi haec inſpexerunt. Talis Aegyptus, & Syria fuit, ubi ſtellae ſemper omnes, ut ita dixerim, clare cernuntur: quia coeli adſpectum nubes & pluviae non impediunt. Inde huc & alio, quocumque infinito tempore probata iſta manarunt.* Et mox: *Quod autem nominibus caruerint, cauſſa dicta eſt, adgnomina tamen Deorum tenent. Lucifer enim, qui & Veſper eſt, ſtella* Ἀφροδίτης, *hoc eſt Veneris eſſe dicitur. Quod dictum Syrio nominum auctori valde congruum eſt.* Et ex intervallo ſcribit: ἡ δὲ ὑστεροῦσα ἡμῖν εἰς τὸ θερινὸν φύσις τοῦ περὶ τὸν ἐκεῖ τό-

πον ὅπερ εἴπομεν, ὕϛερον ἡμῖν παραδέδωκε τὸ τούτων τῶν θεῶν τοῦ κόσμου κατανόημα. Λάβωμεν δὲ, ὡς ὅ, τιπερ ἂν Ἕλληνες Βαρβάρων παραλάβωσι κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται. *Quoniam vero magis quam Barbari, ut diximus, ab aeſtiva ſerenitate diſtamus, horum deorum ordinem tardius intelleximus. Verum quidquid Graeci a Barbaris accepere, melius reddiderunt*. Quae quidem lubenter protulimus, ut magis atque magis, qui Barbari apud Platonem dicantur, eluceat, & ab eis ad Graecos artes diſciplinaſque profluxiſſe intelligatur. Ceterum quae hactenus de *Abrahamo* diſſeruimus, quum obſcura admodum & ambigua ſint, & non una ſit Platonis Codicum lectio, in medium relinquimus, atque οὐδὲν ὁρίζομεν.

Sed perſcrutemur ulterius an alibi *Plato* certiora nobis de Iudaica doctrina & gente praebeat indicia, & eorum adpellationem propius adtingat. Nunquam enim illos ſuo nomine peculiari deſignat, & falſo *Hyac. Graveſonius* in *Hiſtoria Veteris Teſtamenti*, *& Tractatu De Sacra Scriptura Par. I.* §. v. literis mandavit Moſen, ut inclytum legislatorem, a *Pythagora & Platone* celebrari. Quum igitur exploratae fidei ſit Iudaeos Phoenicas paſſim a profanis Scriptoribus habitos fuiſſe, quod & alibi tempeſtive exſequuti ſumus, num ſubſpicari eſt quum *Plato Lib. III.* Περὶ πολιτείας non tantum Phoenices memoret, ſed etiam apud eos opinionem invaluiſſe ſcribat, quae cenſet mortalium omnium primos e terra genitos atque eductos fuiſſe, ad ea quae Moſes de primi hominis conditu literarum monumentis conſignavit, reſpexiſſe? Non ignoro quidem a Platone ita interpolatam atque corruptam hanc ſententiam proferri, ut quaedam tantum verae opinionis veſtigia in ea, & lineamenta deprehendantur. Sed forte quis dixerit amaſſe Graiae gentis hominem ſuorum poëtarum fabellas hiſtoriae veridicae admiſcere, & cognitam veritatem iis, quibus eam gentes deformaverant, commentis immutare. Apud omnes enim fere gentes eiuſmodi opinionem fuiſſe liquet, vel e Cadmi dentes ſerentis fabula, vel e Gigantum ortu, vel ex Scriptorum teſtificationibus apertiſſimis, ut *Lucretii*, *Trogi*, *Virgilii*, *Ovidii*, *Horatii*, & aliorum etiam qui modo memoriae non obcurrunt, ut de Mileſio *Anaximandro*,

Digitized by Google

dro, & *Empedocle* taceam, qui hanc ſententiam amplexi ſui nominis claritate inluſtravere, ut apud *Cenſorinum De Die Natali c.* I. & *Plutarch. V. De Placit. Philoſ.* & *Symp. Lib. VIII. Quaeſt.* VIII. videre eſt. Quid quod Aegyptii homines primum e terra in Aegypto natos eſſe adſeverabant, ut ſcribit *Euſebius Lib. II. Praepar. Evang. cap.* I. Heinc *Plato* ipſe in *Menexeno* Athenienſes ut αὐτόχθονας, unde & τεττιγοφόροι. ampliſſime commendat: τί δὲ, τὸ τοὺς ἔμπροσθεν, φύεσθαι γηγενεῖς, καὶ μὴ ἐξ ἀλλήλων γενᾶσθαι; καὶ τοῦτο ἐκ τῶν πάλαι λεχθέντων. *Quid vero? Nonne & priſcos illos e terra procreari, haud vero ex ſe invicem? Hoc quoque in antiquis rebus commemoratur.* In *Protagora* quoque eamdem opinionem inſinuat, ubi & fabulam eſſe ait, & in *III. De Rep.* etiam mendacium eam adpellavit, ad ea forte reſpiciens, quae mendaciloqui poëtae interſeruerant.

Nec mirum profecto ſi minus puram & liquidam veritatem, quam ex fontibus hauſerat, *Plato* protuliſſet, quum ipſe conſueverit multa ſimul miſcere atque confundere, & ſententias ab aliis acceptas vel exornare, vel ſuis aliorumque commentis interpolatas adducere. Heinc videmus vix in *Timaeo* Timaeum illum verum & genuinum deprehendi poſſe, ita eius doctrinam narrationibus & dogmatis aliunde petitis invertit atque deformavit, quod & *Iob. Serranus* animadvertebat. Sed hunc Platonis morem obſervabat etiam *Iob. Clericus in Indice Philolog. ad Hiſtor. Philoſ. Orien. Th. Stanleii* in voce *Reſurrectio: Indidem* [hoc eſt ex Chaldaeorum doctrina] inquit, *hauſiſſe credibile eſt Platonem, quae pro more ſuo auctiora & ornatiora, dicam ne inquinatiora? de Reſurrectione dixit in Politico &c.* Iſthuc autem ipſum Ethnicis Sapientibus prope ſolemne fuiſſe, & praecipue quum hiſtorias, quae etiam arcanis Iudaeorum literis continentur, vel placita traderent, Chriſtianae Philoſophiae Sacerdotes verbis luculentiſſimis adſeruere. Πολλοὶ γὰρ, inquit *Tatianus*, οἱ κατ' αὐτοὺς (Ελληνας) σοφισταὶ κεχρήμενοι περιεργίᾳ, τὰ ὅσα περὶ τῶν κατὰ Μωσέα, καὶ τῶν ὁμοίων αὐτῷ φιλοσοφούντων ἔγνωσαν, ἃ παραχαράκτειν πειράθησαν. Πρῶτον μὲν ἵνα τι λέγειν ἴδιον νομίζωνται. δεύτερον δὲ ὅπως τὰ ὅσα μὴ συνίεσαν, διά τινος ἐπιπλάστου ῥητολογίας παρακαλύπτοντες, ταῖς μυθολογίαις τὴν ἀλήθειαν παραπρεσβεύωσι. *Multi namque Graecorum Sophiſtae curio-*

rioſitate quadam inducti, quaecumque a Moſe, & ſimilibus ei Sapientibus viris didicerunt, depravare, & ſecus efferre conati ſunt: partim ut ipſi proprium aliquid promere viderentur, partim ut ea, quae non intellexere, ficta quadam ſermonis compoſitione velantes, veritatem ſuis commentis vitiarent. Sic *Iuſtinus* in *Adhortatione ad Gentes*, de Platone, aliiſque Ethnicis Philoſophis loquens, ait eos, quae a Moſe ceteriſque Prophetis ſunt tradita, per allegoriam & immutationem quamdam διά τινος ἐναλλάγης ἀλληγορίας in ſuis libris promulgaſſe, quod & *Clemens* Alexandrinus *I.* Στρωματ. & *Euſebius Lib III.* Προπαρασκευῆς recte ac prudenter obſervavere. Sed praeclariter in *Apologetico Tertullianus*, *Homines*, inquit, *gloriae & eloquentiae ſolius libidinoſi, ſiquid in ſanctis ſcripturis offenderunt, digeſtis pro inſtituto curioſitatis ad propria opera verterunt, neque ſatis credentes divina eſſe, quominus interpolarent; neque ſatis intelligentes, ut adhuc tunc ſub nubilo etiam ipſis Iudaeis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam & ſi qua ſimplicitas erat veritatis, eo magis ſcrupuloſitas humana fidem aſpernata mutabat, per quod incertum miſcuerunt etiam quod invenerant certum.* Et occultare quidem veritatem, ne cunctis vulgata vileſceret, adriſiſſe *Platoni*, ex eius Epiſtolis eminet evidenter: & id praecipue inducto fabularum cortice, & commentitiarum narrationum integumentis veteres Sapientes efficere conſueviſſe, teſtes locupletiſſimi ſunt *Zeno*, *Cleanthes*, *Chryſippus*, *Diodorus*, *Metrodorus*, *Plutarchus*, *Athenagoras*, *Macrobius*, aliique, ut allegoriarum, & περὶ ἀπίστων Scriptores.

Sed tamen ἐπέχομεν, & in rebus incertis ambiguos nos traducere congruum exiſtimamus, ut merito eos ſugillare, ac reprehendere liceat, qui ſingulari temeritate, & impudentia minime ferenda, non dubia tantum & obſcura, ſed vel ea, quae ipſi nunquam probe intellexere, & falſa manifeſte deprehenduntur, importune ingerere, & ſtulte demirari, & adroganter praedicare non erubeſcunt.

Digitized by Google

DE RECTA CHRISTIANORVM
IN EO QVOD MYSTERIVM
DIVINAE TRINITATIS
ADTINET SENTENTIA.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Recenſentur Scriptores, qui Platonem *Iudaicarum ſcripturarum vel dogmatum notitiam habuiſſe memoriae prodiderunt.*

IAM multa hactenus nonnullam a Platone Iudaicorum dogmatum notitiam habitam fuiſſe probabiliter demonſtraturi expedivimus; ut iam nemo in dubium revocare poſſit quin omnes veteres Scriptores, qui iſthuc ipſum etiam adſeveranter prodiderunt, ne temeritatis notam incurrant, ſatis ſuperque a nobis protecti ac defenſi fuerint. Multi quidem illi, & omnes celebratiſſimi extitere, quorum agmen ducit, ut vidimus, *Ariſtobulus*, in libris, quos Ptolemaeo Φιλομήτορι inſcripſit. *Fl. Ioſephus* ſubſequitur cum *II.* περὶ ἀρχαιολογ. tum *II. adverſus*

ſus

Digitized by Google

ſus Apionem volumine. His ingens Chriſtianorum Theologorum omni doctrinae genere inſignium turba accedit, *Iuſtinus* Martyr in *Adhortatione ad Gentes*, *Irenaeus Lib. III. Adverſus Haereſes*, *Tatianus* in *Oratione ad Graecos*, *Clemens* Alexandrinus *I.* eorum librorum, quibus Στρωματέας titulum fecit, & paſſim, cui *Plato* dicitur ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος: *Origenes Adamantius Lib. VI. contra Celſum*, *Tertullianus* in *Apologetico*, *Euſebius* Caeſarienſis in libris omni eruditione copioſis, quorum *De Praeparatione Evangelica* eſt titulus; *Cyrillus* Alexandrinus *Lib. I. contra Iulianum*, *Ambroſius Serm. II & XVIII.* in Pſalmum CXVIII. *Theodoretus Lib. II. De Curatione Graecarum adfectionum*, *Iob. Philoponus* in *Hexahemerone*, & alii quam plurimi.

Novi quae excipiat adverſus iſtorum omnium auctoritatem *Iob. Clericus*. Primum ait memoratos Patres *Ariſtobuli*, *Ioſephique* teſtimonium ſequutos eſſe, & eorum dicta ab illorum omnia fide & adſertione pendere. At quum vero non abſimilia *Ariſtobulus*, & *Ioſephus* edicant, non parvi faciendum eſt quod horum adteſtatio tantorum etiam virorum auctoritate fulciatur, & calculo ſuffragiiſque comprobetur. Falſum inſuper poſſum oſtendere laudatos Scriptores *Ariſtobuli*, vel *Ioſephi* tantum veſtigiis inhaeſiſſe, quum iis vel Ethnici ipſi Philoſophi praeiverint, ut *Numenius*, qui Platonem dixit Moſen Attice loquentem, & *Libro περὶ τἀγαθοῦ I.* diſerte indicat, Platonis atque Pythagorae doctrinam a Brachmanis, Magis, Aegyptiis, Iudaeiſque defluere. Vtinam *Plutarchi*, *Porphyrii*, aliorumque Ethnicorum volumina, quae *Theodoretus* laudat, non intercidiſſent, melius forte atque evidentius adgnoſceremus quam falſo adſeritur Iudaeorum tantum Scriptorum auctoritatem venerabiles Eccleſiae Patres in hoc ſequutos fuiſſe.

Subiicit deinde ille totius antiquitatis ſolicitator, laudatorum Patrum, & Scriptorum dicta nequaquam eſſe *teſtimonia hominum, qui quae viderant, aut a teſtibus aequalibus accepta narrent, at iudicia & coniecturas Scriptorum Platone non una aetate recentiorum*. At nulla ne antiquitatis praeſcriptio huiuſmodi criminatores repellat, & praeſumptio illa, qua veroſi-

roſimiliter arbitramur, alias vetuſtis Scriptoribus ſuppetiiſſe notitias, alia monumenta, quae aetatem non tulerunt, unde illa, quae literis mandavere, certa & veriſſima hauſerint? Hiſtorici fere omnes fide periclitabuntur, ſi in iis etiam, quae abſurdi nihil includunt, huiuſmodi ineptis exceptionibus eorum auctoritatem labefactare quis valeat. Iam cur *Livio*, *Diodoro*, *Plutarcho*, quae antiquiſſimis temporibus evenere, ſcribentibus fidem habeam?

C A P V T II.

Platonicae & Iudaicae doctrinae ſimilitudo.

QVantum autem doctiſſimorum Scriptorum opinionem mirificus Iudaicae, Platonicaeque doctrinae conſenſus & ſimilitudo iuvare noſcuntur? Huius argumenti vim tantam eſſe ſenſit *Auguſtinus Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* XI. ut, quum ſacrarum ſcripturarum in Graecam linguam tranſlationem Ptolemaica antiquiorem olim fuiſſe ne fando quidem accepiſſet, tamen ſe adſenſurum oſtenderet ſi quis adfirmaret Platonem per interpretem ea, quae arcanis Iudaeorum literis continerentur, didiciſſe; quod fere eadem & quamſimillima in utrorumque voluminibus reperirentur. Hanc Platonicae doctrinae cum Ebraica conſenſionem, concentumque mirabilem non ſummates tantum Chriſtianae Sapientiae viri, verum etiam Ethnici ipſi Philoſophi intelligentes, ſubſpexere: quare *Numenius* Pythagoreus aeque ac Platonicus illud de Platone iudicium tulit, quod ab Alexandrino *Clemente*, *Euſebio*, & *Theodoreto* refertur. τί γάρ ἐςι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; *Quid eſt enim Plato, niſi Moſes Attice loquens?*

Eam utriuſque ſapientiae ſimilitudinem non inficiatur *Clericus*, ſed inter Moſen, & Platonem facile convenire concedit; adiicit tamen, *ut eum e Moſe, quae habet paria, furatum eſſe conſtaret, quandoquidem, ut vidimus, teſtes fide digni nobis deſunt, oporteret oſtendi eiuſmodi eſſe, ut nec ab aliis quam Iudaeis accipere, nec ipſe comminiſci ea potuerit, aut certe ita expreſſa eſſe ut loquutiones ſcripturae manifeſto redolerent.* Heinc ex-

excurrit memorando ea eſſe, quae *Plato* Moſi debere dicitur, ut aliunde omnia diſcere potuerit; proclamatque Aegyptiorum leges Ebraicis valde adfines fuiſſe, quemadmodum antiquas Atticas, quod forte a *Cecrope* Aegyptio profluxerint; recta inſuper ratione duce multa excogitari potuiſſe, quae omnino cum Moſis legibus convenirent. Ipſe his libenter adnectam, quae de Iudaicis ritibus ſcribit *Kirkerus*: *tantam habent*, inquit, *ad ritus, ſacrificia, caeremonias, ſacraſque diſciplinas Aegyptiorum adfinitatem, ut vel Aegyptios Ebraiſſantes, vel Ebraeos Aegyptiſſantes fuiſſe dicas*.

Ad haec ipſe reſponderim, etſi quaedam ex Aegyptiis inſtitutis & ritibus in ſuas leges Moſes transfudiſſe videatur, quaedam tamen eſſe, quae Iudaeis ab Aegyptiis debeantur, & ea praecipue documenta, quae ad rectam de Divinitate opinionem propius accedunt, aſſidua mutuaque utriuſque gentis commercia, de quibus non pauca quidem primo noſtri huius Commentarii volumine diſſerui, veroſimiliter perſuadeant. Etenim fere ſemper uſuvenit, ut qui ſimul longo temporis tractu converſantur, ſuis invicem placitis, & moribus adſueſcant. Non enim ſine magna ratione *Iuſtinus Martyr* in *Apologetico II.* exclamabat: *οὐ τὰ αὐτὰ οὖν ἡμεῖς ἄλλοις δοξάζομεν, ἀλλ' οἱ πάντες τὰ ἡμέτερα μιμούμενοι λέγουσι*. *Non ergo eadem nos cum aliis opinamur, ſed omnes illi noſtra per imitationem proferunt.* Quamobrem etſi quaedam *Plato*, quae Iudaicam Sapientiam redolent, ab Aegyptiis accepiſſet: tamen illum Iudaicae doctrinae prorſus expertem nunquam iure quis dixerit, nam etſi minus illa ex Moſe ad Platonem recta derivata eſt; eadem tamen ad illum quocumque tramite deducta profluxit. Quod quidem in cauſſa eſt cur non amplius anxia, ac ſolicita inveſtigatione perquiram, an Plato coeleſtes Iudaeorum literas legerit, vel eis congreſſus fuerit [hactenus enim huiuſmodi diligenter ac ſedulo ſectati ſumus, ut quid ad eam opinionem fulciendam dici poſſet experiremur, non ut aliquid in re dubia & incerta definire auderemus] ſed conſtanter in poſterum & ſine ulla haeſitatione pertendam, multa Platonis decreta, a quibuſcumque ille acceperit, tamquam deductos longis & obliquis tramitibus rivulos, ex primaevo Iudaicae doctrinae fonte proma-

manaſſe. Iudaeorum nomine non Iacobi poſteros tantum inpraeſentiarum intelligo, ſed & eos κατὰ πρόληψιν qui a *Noacho* propius traxerunt originem, & qui per orbem diſperſi humanum genus in varias gentes & populos longe lateque propagavere. Nunc iterum in memoriam revocanda quae Libro primo de Adami ceterorumque Prophetarum ſapientia, & divinarum rerum cognitione praeſtruximus; quae de Chaldaeorum, Aegyptiorumque doctrina tradidimus; quae de Iudaeorum diſperſione & captivitate; de Graecorum Sapientum peregrinationibus & conſultis opportuna commemoratione percurrimus. Lubet heic ἐκ ἀπροσδιονύσως profecto ea deſcribere, quae vir adprime doctus, quum de Graecis Philoſophis in quibuſdam ſuis *Theſibus* loquutus eſſet, literis mandavit. *Veriſimilius eſt*, inquit, *illos plurima quae ſacris literis adſinia videntur, ex ſola Iudaeorum conſuetudine, vel potius maiorum traditione, vel antiquiſſimis Aegyptiorum & Phoenicum monumentis, vel ſolo denique rationis lumine accepiſſe*. Sed omnium maxime ſolertiſſimo *Burnetto Par. I. Archaeol. Philoſ. cap.* XIV. adſentiendum eſt, dum ſapienter ac vere ita ſcribit: *Adſcendamus altius*, inquit, *in quaerenda origine Philoſophiae Barbaricae: altius inquam Moſe, aut Abrahamo: ad diluvium uſque, & communem gentium, & Iudaeorum patrem, Noachum, virum magnum, veri numinis cultorem, & utriuſque mundi ſcientem. Quidni credamus ab hoc fonte, ab hoc viro originario, deſcendiſſe ad ſuos poſteros, ad homines nempe poſtdiluvianos, ea Theologiae & Philoſophiae capita, quae apud Gentes antiquo-barbaras reperiuntur? Suis liberis, & nepotibus fertur tradidiſſe Noachus praecepta moralia, quae praecepta Noachidarum dici ſolent: quidni etiam dogmata, quae eodem iure dogmata Noachidarum ſunt adpellanda? &c.* Et mox: *Hic igitur, me Iudice, utriuſque mundi incola, ſcientiarum lampada ab illis ad hos tradidit, & propagavit per terrarum orbem, una cum ſua ſobole & primaevis populis, quaedam ſemina tam naturalis, quam moralis doctrinae. Sed multum exaruiſſe ſequioribus ſaeculis utramque doctrinam, & ſubcreſcentibus zizaniis tantum non ſubfocatam eſſe, libens adgnoſco*. Quum igitur deinceps de Platone verba faciemus, non tam de Platone, quam de aliis omnibus

Digitized by Google

bus Ethnicae ſapientiae Sacerdotibus loqui nos intelligetur.

Quum autem quaedam a Moſe ex Aegyptiis inſtitutis in ſuas leges traducta fuiſſe haud a vero abludere indicaverimus: heic quoque obiter indictum nolim me quibuſdam nunquam adſenſurum, qui omnes Iudaeorum ritus ex diverſarum gentium moribus repetunt: & ex illis ad alias nationes nihil unquam aut morum, aut rituum, aut caeremoniarum defluxiſſe contendunt. Quae me ad ita arbitrandum impellunt, tria ſunt momenta potiſſimum. Primum eſt, Scripturae auctoritas quae aliter omnino pronuntiat: ſecundum, verae atque indubitatae hiſtoriae fides, quae varios eius gentis ritus, illius peculiares fuiſſe, aut apud illam fuiſſe primum inſtitutos adfirmat: tertium, ambiguitas quaedam, quae oritur vel ex eorum rituum origine & cauſſis: vel ex incerta apud diverſas gentes antiquitate: vel ex differentia & diſcrimine eorum inter ſe, qui tamen ſimiles aut adfines exiſtimantur.

Et quod primum adtinet lucentiſſima ſunt *Moſis* verba populum adloquentis, & Dei iuſſu intimantis ne mores & conſuetudines Aegyptiorum vel Chananaeorum ſequeretur: *Capite* enim XVIII. *Levitici* ita infit: *Iuxta conſuetudinem terrae Aegypti, in qua habitaſtis non facietis, & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis iudicia mea, & praecepta mea ſervabitis, & ambulabitis in eis: Ego Dominus Deus veſter*. Capite autem XII. *Deuteronomii* ait: *Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaveris in terra earum: cave ne imiteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubverſae, & requiras caeremonias earum dicens: ſicut coluerunt gentes iſtae Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo*. Capite vero eiuſdem libri IV. quomodo Moſes, ſi eoſdem ritus & caeremonias, quas apud Gentes viderat, aemulatus eſſet, ita ſine mendacio, aut impudentia loqui potuiſſet? *Scitis quod docuerim vos praecepta atque iuſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in terra quam poſſeſſuri eſtis: & obſervabitis & implebitis opere. Haec eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram*

ram populis, ut audientes univerſa praecepta haec, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quae habeat deos adpropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quae eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat caeremonias, iuſtaque iudicia, & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros? Quod quidem adeo verum etiam Ethnicis ipſis viſum eſt, ut *Tacitus Lib. V. Hiſtoriarum* ſcriptum reliquerit: *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus, contrarioſque ceteris mortalibus, indidit. Profana illic omnia, quae apud nos ſacra: rurſum conceſſa apud illos, quae nobis inceſta.*

Secundo ſerio animadvertendum eſt ex certiſſimis ſacrae hiſtoriae monumentis liquido conſtare caeremonias quaſdam, & inſtituta Iudaeorum propria ac peculiaria fuiſſe, vel ſaltem apud eos orta primum & excitata. Huiuſmodi ſunt, diei ſeptimi requies, quae a Deo ipſo *Exodi cap.* XVI. *verſ.* 23. imperatur, cuiuſque rei ratio adfertur *cap.* XX. *verſ.* II. *Sex enim diebus fecit Dominus coelum, & terram, & mare, & omnia, quae in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum.* Hoc autem proprium & peculiare fuiſſe Iudaeorum ne Ethnici quidem Scriptores dubitare nos ſinunt, ut *Tacitus*, *Iuſtinus*, *Tibullus*, *Ovidius*, *Seneca*, *Horatius*, *Martialis*, *Iuvenalis*, *Rutilius*. Circumciſio quoque propria primum Iudaeorum fuit, quum eam ſciamus ex *cap.* XVII. Geneſeos a Deo ipſo Abrahamo indictam fuiſſe; & ſatis argumenti habeamus ut ſerio iudicatoque exiſtimemus nullum eiuſdem ritûs uſum ante ea tempora apud Aegyptios exſtitiſſe. Ratum enim exploratumque eſt Abrahamum anno Per. Iul. MMDCCXCIII. in Aegyptum conceſſiſſe, ubi propter Sarai uxorem ſuam valde locupletatus eſt, *fueruntque ei*, ut habetur *Geneſ. cap.* XII. *verſ.* 17. *oves, & boves, & aſini, & ſervi, & famulae, & aſinae, & cameli.* Et tamen dicitur poſt annos XXIV. quum illi circumciſionis lex a Deo impoſita eſt, omnes viros domûs ſuae, tam vernaculos, quam emtitios, & alienigenas pariter circumcidiſſe, *Geneſ. cap.* XVII. *verſ.* 27. Horum autem, ut vidimus, bona pars, Aegyptii erant: & vel ipſa Agar Aegyptia fuit. *Geneſ.* XVI.

 verſ. 1.

verſ. I. Quod ſi non omnes Aegyptii circumcidebantur, ut vel ex *Apionis* hominis Aegyptii exemplo apud *Ioſephum* diſcere eſt; vel Sacerdotes tantum, ut ſcribit *Epiphanius Haereſ.* xxx. cur credam ab eis hunc ritum eſſe propagatum ad gentem, cuius mares omnes hoc ſignaculo non notari religioni ducebant? Paſchatis quoque ſolemnitas, azymorum agnique comeſtio, & primogenitorum oblatio & conſecratio, ita ſolis Iudaeis convenire noſcuntur, ut quicumque id inficias ierit, XII. & XIII. Capita Libri *Exodi* nunquam legiſſe liquide, & ſancte iuraverim. Cauſae enim, quibus Moſes permotus haec inſtituit, nonniſi apud Iudaeos exſtiterant. Multa alia proferre poſſem, quae nemo, modo ſani capitis, aliis, praeter Iudaeos, gentibus accepta ferenda eſſe pertendat.

Adde inſuper multos alios fuiſſe Iudaeorum ritus & caeremonias, quarum originem nulla cauſa eſt cur ad Ethnicos referamus. Si enim de ſacrificiis ſermo eſt, nonne *Abelem & Cainum*, quos imitarentur, habebant? illi enim munera Deo de fructibus terrae, & primogenitis gregis in ipſo mundi exordio obtuliſſe memorantur, *Geneſ. cap.* IV. Nonne altare aedificaverat *Noe*, ſuper quod & hoſtias mactavit, & obtulit holocauſta? *Geneſ. cap.* VIII. Altare quoque dicitur ab *Abrahamo* conſtructum, in quo nomen Domini invocaverit *Geneſ. cap.* XII. & XIII. qui inſuper a Deo iuſſus vaccam, & capram, & arietem triennes, & turturem & columbam ſacrificavit *Geneſ. cap.* XV. Holocauſtum quoque arietis, loco filii, obfert in monte, *Geneſ. cap.* XXII. *Melchiſedech* autem Dei altiſſimi ſacerdos nonne panem & vinum in ſacrificium protulit? *Geneſ. cap.* XIV. *Iobus* quoque ſacrificavit, ut *cap.* I. videre eſt. Quare quum talia exempla maiorum ſuorum Moſes habuerit, non video cur his praeteritis ad Ethnicorum mores potius reſpexerit? In hoc certe Aegyptios imitatus non eſt, qui tantum aberat ut quaslibet huiuſmodi hoſtias immolarent, quin potius iumenta & feras pro diis ſtulta religione venerabantur, ut ipſe *Moſes Exodi cap.* VIII. teſtatur, & *Ioſephus Lib. II. contra Apionem*, & *Iuvenalis Satyra* XV. ſeu quicumque illius auctor eſt. Quaslibet dixi, nam certas victimas immolandi morem apud Aegyptios fuiſſe ſcribit *Lib. II. Herodotus*, cuius teſtimonio, quemadmo-

admodum & *Strabonis*, temperanda ea, quae laudati *Ioſephus*, & *Iuvenalis* nimis libere indicare videntur. At nobis ſufficit plaeraque eorum, quae in hoſtias mactari iuſſit Moſes, pro diis habita & culta fuiſſe ab Aegyptiis, ut recte notant *Manetho* apud *Ioſephum contra Apionem*, *Tacitus Lib.V. Hiſtor.* & doctiſſimus *Theodoretus Lib. VII.* θεραπευτ. ut de *Maimonide* in *More Nebochim part. III. cap.* XLVI. taceam. Veriſſima autem ſacrificiorum ratio eſt illa, quam viri doctiſſimi exſequuntur, quaedam ſcilicet ab hominum ingenio excogitata, quibus externo quodam cultu pios ſe adverſus Deum, & religentes oſtenderent. *Ioh. Chryſoſtomus XII.* de Statuis de Abele loquutus: Οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν, οὐδὲ νόμου περὶ ἀπαρχῶν διαλεγομένου ταῦτα ἀκούσας, ἀλλ' οἴκοθεν καὶ παρὰ τοῦ συνειδότος διδαχθεὶς, τὴν θυσίαν ἐκείνην ἀνήνεγκε. *Non enim ab ullo edoctus, non lege accepta quae de primitiis aliquid conſtitueret, ſed apud ſe ſuapte motus conſcientia ſacrificium illud obtulit.* In *Reſponſis ad Orthodoxos*, in Operibus *Iuſtini* ad Interrogatum LXXXIII. Οὐδεὶς τῶν θυσάντων τὰ ἄλογα θυσίαν τῷ θεῷ πρὸ τοῦ νόμου κατὰ τὴν θείαν διάταξιν ἔθυσε, κἂν φαίνεται ὁ θεὸς ταύτην προσδεξάμενος, τῇ ταύτης ἀποδοχῇ δεικνύων τὸν θυσάντα εὐάρεστον αὐτῷ. *Nemo eorum qui ante legem pecudes Deo obtulit, divino id iuſſu fecit, quamquam patet talia acceptaſſe Deum, & eum qui offerebat.* Non opus ergo fuit Ethnicis ſuperſtitionibus, quum quilibet vel ex ſe excogitare talia poſſit, vel viros ſanctiſſimos imitari. Ex Ethnicis quoque cur repetamus non video mundorum & immundorum animantium diſtinctionem, de qua *Moſes cap.* XI. *Levitici* loquitur, quum eam Deus fecerit Noacho, priuſquam arcam ingrederetur, ut legitur *Geneſ. cap.* VII. Decimas ſolvi iubet *Moſes Levitici cap.* XXVII. at nonne in anteceſſum Abraham eas Melchiſedecho dederat, & Iacobus Deo ſe daturum receperat? *Geneſ.* XIV. & XXVIII. Carnis autem cum ſanguine uſus in epulis nonne a Deo Noacho interdicitur? *Geneſ. c.* IX. Ex eo vero quod contigit Iacobo cum Deo luctanti, ac deinde claudicanti, Iudaei non comedunt nervum, qui in femore eius emarcuit. *Geneſ. cap.* XXXII. *Moſes* item *Deuteron. cap.* XXV. iubet, ut frater uxorem fratris defuncti accipiat, & ſuſcitet ſemen fratris ſui: & primogenitum ex ea filium nomine

Digitized by Google

mine illius adpellet, ne deleatur nomen eius ex Iſrael. Idem autem mos & inſtitutum apud Iacobi filios obtinebat, ut liquet ex *cap.* XXXVIII. *Geneſeos*, ubi Iudas dicit ad Onan filium ſuum: *Ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi ut ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur*. Fornicationis poena fuit olim ut femina combureretur, *Geneſ.* XXXVIII. Meretrices quoque morti addicit *Moſes Deuteron. cap.* XXII. Primitiae frugum terrae ex Moſis lege in domum Dei deferendae erant *Exod. c.* XXIII. eaedem Deo oblatae a filiis Adami inter ipſa mundi primordia fuerunt *Geneſ. cap.* IV. Alia multa commemorare poſſem quae a Moſis maioribus factitata luculenter oſtendent alia exempla legislatorem illum, quae imitaretur, habuiſſe, quam quae Ethnica ſuperſtitio ſuppeditabat: a cuius ritibus adeo abhorruit, ut ſi quae ſancti etiam & caſti viri in Dei honorem & cultum fecerant, & ab Ethnicis ad profanas religiones deinde translata fuerant, eadem penitus abominatus ſuis explicate ac graviter interdixerit. *Abrahamus* filium Deo immolaturus fuit *Geneſ.* XXII. Tale quicquam fieri vetat *Moſes* Gentium ritus deteſtatus *Deuteron. cap.* XII. Idem plantaverat nemus in Berſabee, & invocaverat ibi nomen Domini Dei aeterni, *Geneſ. cap.* XXI. *verſ.* 33. Hoc ipſum autem prohibetur a Moſe *Deuter. cap.* XII. *verſ.* 4. quia gentes hunc ritum uſurpaverant. *Abrahamus* pariter Deo ſacrificaturus in Montem aſcenderat *Geneſ. cap.* XXII. Omnia loca excelſa, & colles, in quibus ſuas caeremonias peragebant Idololatrae, vitari aut ſubverti iubet Moſes laudato loco *Deuteronomii*. Quare iam conſtat, arbitror, Moſen praecipue ſuae gentis ritus, qui iam invaluerant, reſpexiſſe & confirmaſſe, & ab Ethnicorum caeremoniis, & profanis ritibus, quoad fieri potuit, vehementer abhorruiſſe.

Nec ſtatim obiiciendum eſt Moſis maiores ritus illos, ac religiones, quas memoravimus, mutuas a Gentibus aliis accepiſſe, quum de quibuſdam certum & perſpectum ſit eas a ſanctorum hominum pietate initium habuiſſe, vel ab iis primum excogitari potuiſſe. Obſcurum inſuper, atque inexplora-

ra-

Digitized by Google

ratum eſt, quos antiquiſsimis illis temporibus Ethnici ritus, ſacra, caeremonias habuerint, adeoque omnino incertum an quidam ritus ab his ad primaevae aetatis Iudaeos defluxerint, vel contra. Quare quum de multorum Ethnicorum rituum antiquitate nihil liqueat, prudentius facturum exiſtimo, ſiquis rem dubiam in medium relinquat: aut pro plerorumque Iudaicorum inſtitutorum primigenia vetuſtate praeſumat, arbitreturque ſanctos illos viros profanis Ethnicorum ritibus Deum Opt. Max. colere & venerari non ſubſtinuiſſe. Quod autem Moſis leges adtinet, ipſe quidem prope temerarium exiſtimaverim ob eamdem rationem de iiſdem aliquid definire, quum non liqueat quae leges, qui ritus, ſaltem magna ex parte, Moſaicis temporibus apud Aegyptios obtinerent. Quoſcumque enim Aegyptiacos ritus Moſaicis ſimiles & adfines deprehendimus, ii tantum a Scriptoribus a Moſis aetate longe diſtantibus, ut *Herodoto*, *Diodoro*, & ſimilibus, memoriae traditi ſunt, quare ex hiſce Scriptoribus de eorum antiquitate diiudicare non eſt. Conſtat inſuper memoratos hiſtoricos aut mendaces interdum, aut non ſatis exactos adgnoſci, & praecipue in his, quae ad gentium aut inſtitutorum antiquitatem ampliandam pertinent, ut docte & dilucide oſtendit inter alios in ſua Chronologia vir ſummus *Iſ. Nevvtonius*. Quod ſi quis dixerit non dubitandum, quin Moſis aetate Aegyptii caeremonias ſuas, qua ſacras, qua civiles habuerint, quum eorum regnum iam prope a diluvii aetate conditum, & ſtabilitum fuiſſet. Illi ipſe lubenter adſenſerim, ſed in incerto haberi dixerim, quae & quales eſſent illae caeremoniae, quum tam multa volventibus annis cum in legibus, tum in moribus, & inſtitutis immutari videamus:

. . . . . *Coelum, & quodcumque ſub illo eſt,*
Immutat formas, telluſque, & quidquid in illa eſt.

Et ex certis hiſtoriae monumentis clare ac perſpicue demonſtrare poſſem quas, & quantas imperia & gentes diverſis temporibus, quoad ritus & caeremonias, mutationes acceperint. Quamobrem ex moribus & inſtitutis, quae a Scriptoribus ſerae nimis aetatis apud Aegyptios viguiſſe dicuntur, eadem omnia antiquiſſima, & a primis ſaeculis deducta fuiſſe legiti-

 mum

Digitized by Google

mum conſectarium non exſiſtit. Nec verum eſſe revincitur Iudaeorum gentem vilem apud Aegyptios, deſpectamque fuiſſe: aliud enim omnino ſuadent, quae de Abrahami, Ioſephi, & Moſis apud eoſdem gloria; de mutuo ac frequenti utriuſque gentis commercio, & conſuetudine ſuperius tempeſtive diſſeruimus. Sed & ſi natio ipſa vilis, & deſpectui ab Aegyptiis habita fuiſſet, non inde ſequeretur tamen, ut eius rituum ſplendore, pompa, magnificentia minime commoveri debuiſſent. Immo iſthuc ipſum iuſta admirationis cauſſa illis fuiſſet. Quod quidem iure ſibi tamquam vaticinans promittebat *Moſes Deuteronom. cap.* IV. Nec facile admittere eſt Aegyptios ita ſuorum rituum antiquis temporibus tenaces fuiſſe, ut externas omnes & advenas caeremonias omnino repudiarent. Nam & Romani ipſi quum a peregrinis religionibus, & ſacris quammaxime abhorrerent, ut conſtat ex Halicarnaſſenſi *Dionyſio Lib. II.* & *Livio Lib. IX. Decadis* IV. externos tamen Deos Roma receperunt, ut Cybelen, & Phrygia ſacra, de quibus *Ovidius Lib. IV. Faſtorum*, aliique Romanae hiſtoriae Scriptores, quod quidem contigit, ut ille ait:

Poſt, ut Roma potens opibus iam ſaecula quinque
Vidit, & edomito ſubſtulit orbe caput.

Vt nihil de Sacris Iſiacis dicam, quae & ipſa recepta fuerant a Latinis; unde *Lucanus Lib. VIII.*

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semicaneſque deos, & Siſtra iubentia luctum,
Et quem tu plangens hominem teſtaris Oſirin.

Alia autem quae ex rituum ſimilitudine ducunt argumenta, futilia pleraque, ac prope ridicula deprehenduntur, non tam ex iis, quae hactenus copioſe diſſeruimus; quam ex eo, quod ſi res probe expendatur, maxima inter quoſdam Iudaeorum, aliarumque gentium ritus, qui prope iidem, & adfines iudicantur, diſcrepantia reperitur. Non enim ſtatim ſi quae ſimilitudinis umbra intercedit, aliud ex alio deſcendere coniiciendum eſt, quum & in multis aliis diſcrepet, quod in aliquo ſimile eſſe cognoſcitur. Eaedem enim cauſſae me impellere potuere ad aliquid excogitandum, quod cum re alia nonnullam formae, aut uſus habeat adfinitatem. Non

enim

enim ſtatim quia galero caput operio, illique aëris intemperiem defendo, aut Armenias tiaras, aut Romanorum tutulos, aut Phrygias mitras imitatus fuerim; ſed illa eadem neceſſitas ſaluti conſulendi, imbres arcendi, aeſtus & frigora vitandi, quae illos impulit ad huiuſmodi capitis operimentis utendum, me quoque coëgit ad ſimilis & paris uſus veſtem adinveniendam. Itaque nulla cauſa ſubeſt, cur Arcam foederis Ciſtarum Ethnicorum imitamentum exiſtimem. Nam licet uſus earum prope idem fuerit ac Arcae foederis, tamen, quum Moſes proſpicere vellet tabularum legis incolumitati, opus fuit ut loculum fabricaret, quo reconditae illae in longum aevum integrae atque inviolatae ſervarentur. Quare ex hac cauſa intelligitur & exemplari opus Moſen ad arcam faciendam non habuiſſe; & uſum illius eumdem, forte tamen fortuna, cum Ciſtis futurum fuiſſe. Ridicularius profecto quis eſſet, ſi Chriſtianos diceret Ethnicorum ritus imitatos quod in Sacramento Euchariſtiae conficiendo calicem adhibeant; nam & illi in ſacrificiis, & pateris, & ſimpulis, & cymbiis, & guttis, & aliis id genus vaſis utebantur. Etenim natura rei, quam Chriſtiani ſuper altare obferunt, ſcilicet vinum, vel ſtolidum quemque, & vere plumbeum ad eiuſmodi vaſcula uſurpanda excitaret, atque compelleret. Ceterum mirum quantum Ethnicorum Ciſtae forma, & materia a foederis Arca differrent.

Numquam tamen inficias ierim leges, & ritus aliquos a Gentibus mutuos Moſen accepiſſe, & eos praecipue, quorum inſtitutio apud Iudaeos primum facta non demonſtratur, vel quorum antiquitas ſupra etiam Moſaica tempora veroſimiliter arguitur, vel qui, quum vetuſtiſſimi deprehendantur, omnimoda inter ſe ſimilitudine minime deſtituuntur. De his igitur intelligendi veniunt Patres aliqui, qui ex gentibus ad Iudaeos ritus, ſacra, caeremonias, religiones tranſiiſſe innuere videntur. Quamquam, ſi probe eorum dicta expendantur, non id ſimpliciter adfirmare deprehendentur, quaſi iidem prorſus Gentium ritus ad Iudaeos traducti fuerint; ſed Deo non diſſimili, ac gentes facerent vel facturae eſſent, ratione, externis ſcilicet quibuſdam ſacris, &

prolixis caeremoniis, & anxiis & prope ſupervacaneis inſtitutis, coli ſe, ac honorari placuiſſe, ut in populo, quem elegerat, induſtrie ac providenter idololatriae periculum anteverteret. Audiatur aureus ille eloquentiae fluvius *Iohannes* Conſtantinopolitanus *Homilia XXVII. in Geneſ.* ubi quum de Noachi ſacrificio ageret, ita infit: *Quare autem, dic oro, haec fieri omnino permittit?* [ſcilicet Deus] *Et in hoc noſtrae infirmitatis habetur ratio. Quia enim homines paulatim a vero Dei cultu defecturi erant, & proprios Deos effecturi, quibus ſacrificia immolarent, prius voluit ut ſibi dona obſferrentur: quo vel ſic a propoſito depelleret, pernicioſo errore inliciendos.* Et ex intervallo: *Sane propterea permiſit miſericors Deus ſacrificia ſibi obſferri, ut quoniam natura noſtra imperfectius ſe habebat, ſimul & ſuam gratitudinem declarare, & idolorum pernicioſum cultum effugere poſſit. Nam quum tantum nobis permiſerit Deus, multi tamen a ruina ſibi non caverunt: ſi hoc non fuiſſet factum, quo pacto quis damnum hoc effugiſſet?* Sed graviter quoque ac copioſe fere eadem ante declamaverat *Tertullianus Lib. II. Adverſus Marcionem*: *Sacrificiorum quoque onera*, inquit, *& operationem, & oblationum negocioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendet, quaſi Deus talia proprie ſibi deſideraverit, qui tam manifeſte exclamat: Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? &, Quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? Sed illam Dei induſtriam ſentiant, qua populum pronum in idololatriam, & tranſgreſſionem, eiuſmodi officiis religioni ſuae voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio ſaeculi agebatur, ut ab ea evocaret illos, ſibi iubens fieri quaſi deſideranti, ne ſimulacris faciendis delinqueret.* Hanc ipſam cauſam legis de ſacrificiis adfert *Maimonides* in *Doctore dubitantium Lib. III. cap.* XXII. Et ex hiſce explicare eſt ea, quae habet laudatus *Chryſoſtomus Homil. VI. in Matthaeum* & *Theodoretus Lib. VII.* Θεραπ.

Stat igitur noſtra ſententia, nec a vero noſtri, & Ethnici ipſi Scriptores aberrant, quum inter Iudaicos, aliarumque gentium ritus, & inſtituta diſcrimen haud modicum deprehendunt, & *Diodorus* inprimis *Ecloga Lib. XL.* ut *Tacitum*, de quo ſuperius, praetereamus.

CA-

C A P V T III.

Ex univerſitatis contemplatione ad Divinae Trinitatis cognitionem perveniri non poſſe.

SEd ut e diverticulis in regiam viam redeamus, quum iuſto voluminis oneri conſulendum ſit, nec ſit praeſentis otii per omnia, quae paria cum Moſe *Plato* habet, excurrere, & an aliunde quam ex Iudaeorum doctrina Philoſophus ille eminentiſsimus accipere potuerit, examinare; mihi ſubficiet inpraeſentiarum oſtendere, ut operam ludat *Ioh. Clericus* dum adſtruere contendit περὶ τριῶν ὑποςάσεων ἀρχικῶν doctrinam nonniſi humanae ratiocinationi & coniecturae a Platone, aliiſque Philoſophis deberi. Id facile ſe confecturum ſperat ſi neget, *in vetere Teſtamento indicium eſſe ullum plurium numero ſubſtantiarum*, ſunt ipſiſſima *Clerici* verba, *divinarum, quales ſomniabat Plato, & quales Patres crediderе.* Ipſe quoque lubenter & aequo animo *Clerico* adſentirer, quum nullum in arcanis Iudaeorum libris plurium numero divinarum ſubſtantiarum, quales *Plato* credidit, indicium eſſe adfirmat; ſed quum heic etiam venerabiles Eccleſiae Patres falſae perſuaſionis inſimulet, & *Epiſtola VIII.* inficias inſuper eat, veſtigia ulla in laudatis voluminibus ineſſe, & quaedam οἰκονομίας cuiuſdam, ut cum *Tertulliano* loquar, & diſtributae Divinitatis lineamenta, non ad ſubſtantias divinas numero plures, ſed ad plures Hypoſtaſes, ab eo qui rem penitus ac recte percipiat, intelligendas; hominis veritati manifeſtiſſimae repugnantis miſereor, & ut omnia eius machinamenta funditus ſubruam, de Sanctae Trinitatis apud Iudaeos cognitione diſputare aliquantulum differens, ita ſermonem inſtituo.

Etſi ſubponere lubeat ex rerum etiam univerſitatis contemplatione poſſe quem ad nonnullam huius myſterii cognitionem adſurgere; illud tamen veroſimilius ac probabilius eſt contigiſſe, quod facilius, & expeditius, & minori conamine fieri poteſt, quam quod arduum & inacceſſum, atque immenſae difficultati obnoxium eſſe deprehenditur.. Sed facilius eſt

& ma-

& magis in promptu ex coeleſtibus literis vel ex Ebraica traditione aliquam Divinae Trinitatis imaginem & cognitionem eruere, quam per univerſitatis contemplationem humana ratiocinatione ad illam pervenire. Firmato igitur modo per hypotheſin, *Platoni* vel aliis ſapientibus arcanas ſcripturas, aut Iudaica placita innotuiſſe; non eſt ambigendi locus quin ex iiſdem ſuam de Divinitatis gradibus & diſtributione ſententiam hauſiſſe exiſtimandum ſit. Quod ſecundo loco adſumſimus facillime probatur, & ſtabilitur inconcuſſe. Quid enim magis obvium, quid proclivius, quam ex iis literis, in quibus modo Deus plurativo numero ſignificatur, quo innituntur *Origenes*, *Hieronymus*, *Epiphanius*; modo eius Spiritus aquis ab ipſo rerum initio ſupernatans inducitur, quo argumento in hunc finem utuntur *Tertullianus*, *Baſilius*, *Ambroſius*, & *Hieronymus* laudatus; modo geminus Dominus intimatur, quod expendunt *Euſebius Caeſarienſis*, & *Cyrillus Alexandrinus*; modo duo Dii diſtincte & explicate ingeruntur; modo divina proles exprimitur; modo Spiritus Dei diſerte enunciatur; modo Sapientia una cum Deo mundi rerumque omnium artifex adſeritur: ex iis, inquam, literis, ex eiuſmodi doctrina in divinae cuiuſdam pluralitatis, ut ita dicam, ſubſpicionem incurrere? Modo non adfirmo iſta omnia ea eſſe, quae ſolertiſſimo *Clerico* ad trutinam eadem revocanti plures Divinitatis hypoſtaſes eſſe ſuadeant; ſed ea tantum quae minus acutis, & cautis, & in ſcripturarum lectione non admodum exercitatis facile imponere poſsint, & divinam quamdam pluralitatem ingerere. Sed quid e contra difficilius, quid ſalebroſius, magiſque arduum, quam ex hacce rerum omnium univerſitate, quae & una facillime creditur, & ab uno condita & abſoluta protinus intelligitur, & unius praecipue providentia regi ac procurari omnium conſenſu & voce proclamatur; tres eius eſſe opifices, & conditores, tres qui eam ſummo imperio, principali regimine, excellentiſsima poteſtate tueantur ac ſervent, percipere aliquatenus ac comprehendere?

At recte quidem ac ſapienter, Angelicae perſpicientiae vir, *Thomas Aquinas I. I. Quaeſt. XXXII. art.* 1. contra hypothe-

theſin, quam diſputationis gratia ſubſtruximus, ſcriptum reliquit: *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum perſonarum pervenire. Oſtenſum eſt enim ſupra, quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non poteſt, niſi ex creaturis. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem, ſicut effectus in cauſam. Hoc igitur ſolum de Deo naturali ratione cognoſci poteſt, quod competere ei neceſſe eſt ſecundum quod eſt omnium entium principium. Virtus autem creativa Dei eſt communis toti Trinitati: unde pertinet ad unitatem eſſentiae, non ad diſtinctionem perſonarum. Per rationem igitur etiam naturalem cognoſci poſſunt de Deo ea, quae pertinent ad unitatem eſſentiae, non autem ea quae pertinent ad diſtinctionem perſonarum*. Atque ita quidem ille.

C A P V T IV.

Idem continuatur argumentum.

THeologi itaque doctiſsimi *Thomae* veriſsima, quam protulimus, doctrina, ut aliter noſtram argumentationem concipiamus non tam ſuadet, quam cogit; quare ita eam proponere eſt. Illud tantum contigiſſe credibile eſt, quod fieri poteſt, non quod factu deprehenditur impoſsibile: atqui ad τριῶν ἀρχικῶν ὑποϛάσεων notitiam naturali ratiocinatione adſurgere impoſsibile eſt: non igitur in eam tali via *Plato*, ceterique Philoſophi pervenere. Propoſitionum alteram eſſe certiſsimam ex inconcuſsis *D. Thomae* documentis, ut diximus, liquet.

Sed ut res magis atque magis elucidetur, lubet hunc locum urgere diutius, & τὸ ἀδύνατον, quod praetendimus, manifeſtiſſimum efficere. Nemo quidem inficias ierit, ſi humana coniectura & naturali ratiocinatione tantum tres eſſe ἀρχικὰς ὑποϛάσεις deprehendere eſſet, Chriſtianis potiſsimum temporibus eiuſmodi ratiocinationes conficere, & concinnare, & quae praemittenda, quae adſumenda, ut legitimum conſectarium deduci poſsit, cognoſcere proclive eſſe debere atque facillimum. Nam ſi re adhuc incomperta & incognita *Plato*, aliique

que Ethnici Sapientes ita naturaliter ratiocinari potuere, ut memoratas Hypoſtaſes aliquatenus intelligerent: quid de Chriſtianis Philoſophis dicendum eſt, quibus ad eam inveſtigationem tot praeſidia ſubpetunt? qui iam plures eſſe divinas Hypoſtaſes ex coeleſti revelatione & credunt, & ſciunt: non tantum quod *Plato* illas invexerit, aut *Auctor Sapientiae* inſinuaverit, aut *Siracides* adſeruerit, aut *Ariſtobulus* indicaverit, aut *Philo* tam multis adſtruxerit, aut Chaldaei Paraphraſtae diſerte praedicaverint? Nihilo tamen minus nullum Chriſtianorum Sapientum reperire eſt [nam erraticam *Raim*: *Lullii* opinionem non moror] qui ea quae de Trinitatis myſterio Chriſtus docuit in naturae & univerſitatis theatro ſaltem per veſtigia, per indicia quaedam atque umbracula inſinuari & obgeri deprehenderit. Et quantis, Deus bone, machinamentis, quanto molimine iſthuc ipſum adcuratiſſime perſequi, & ſolertiſſime inveſtigare viri undequaque doctiſſimi adgreſſi ſunt? Omnem quidem lapidem movit, omnem in id curam & nervos intendit Patrum omnium acutiſſimus *Auguſtinus Lib. XI. De Civit. Dei*, *& Lib. IX. X. & XI. De Trinit.* ſed praeſtare non potuit, quia rei natura non patiebatur. Si igitur poſtquam *Plato* tam multa περὶ τȣ̃ λόγȣ diſſeruit; poſt quam Mundi Servator, & ipſe λόγος, Trinae Divinitatis myſteria revelavit; poſtquam ad rem arcanam inluſtrandam viri ſapientiſſimi prolixis & eruditiſsimis lucubrationibus inſudarunt: probe tamen recteque rem expendenti nulla ratio naturalis obcurrit, qua ad tres Hypoſtaſes divinas inducendas non dicam adigatur, ſed ne adliciatur quidem: qui a nobis impetrare poſsimus ut credamus *Platonem*, alioſve Philoſophos, nullo praeveniente monumento, nulla ſubgerente doctrina, cognitionem hanc profecto mirabilem naturali ratiocinatione, humana ſpeculatione, univerſitatis contemplatione adſequutos fuiſſe? Quid igitur reſtat dicendum? Id profecto: quando *Plato*, ceterique antiquitatis Sapientes, ſola naturali ratione duce eiuſmodi notitiam adquirere non valuere, ex divinitus inſpiratis ſcripturis, Iudaeorumve placitis illam accepiſſe. Quod enim univerſam rerum naturam ſpeculando reperiri non potuit, innumeros homines, eoſque omnes doctrina conſpicuos in iis

lite-

Digitized by Google

literis ac decretis offendiſſe & deprehendiſſe exploratum eſt.

Modo Sanctae Trinitatis indicia in arcanis Ebraeorum literis exſtare non contendo: ſed ea tantum in illis contineri confirmo, quae Divinae Trinitatis ſacramentum doctiſsimis viris repreſentare potuere; & iis quidem, qui ex naturae contemplatione aliquid de illo ſubſpicari nequiverant. Eapropter, *Sapientiae Scriptor* περὶ τοῦ θείου λόγου praeclare & luculente diſſerit, quem fruſtra *Clericus* pertendit eſſe Platonicum; qui tamen, etſi talis fuiſſet, doctrinam certe Prophetis minus conſonam obgerere non ſuſtinuiſſet: *Ariſtobulus* eamdem ſententiam inſinuare videtur: *Philo* autem nil aliud prope perſonat, quam θεῖον λόγον, & ut ipſe *Clericus Epiſtola VIII.* recte advertit, nil aliud oſtendere conatur, quam περὶ τοῦ λόγου doctrinam de Moſaicarum literarum fonte defluxiſſe, & Platonica conſulta cum Iudaeorum ſapientia confundere. Quam multa & praeclara Chaldaei Paraphraſtae περὶ τοῦ λόγου effati ſunt? Hi profecto nonniſi Ebraica decreta ſe tradere arbitrabantur. Sed eos λόγον ἐνυπόςατον non intellexiſſe contendit *Clericus*, contendunt alii: egregie tamen omnibus hiſce vitilitigatoribus occurrunt viri doctiſsimi *Iac. Capellus*, *Steph. Rittangelius*, *Fagius*, aliique. Sed nimiae operae & prolixitatis eſſet Chriſtianos omnes Sapientes enumerare, qui in antiqui Foederis voluminibus certiſſima & manifeſta Sanctae Trinitatis indicia videre ſibi viſi ſunt. At hi omnes, aliquis reponat, ſcripturarum ſenſum nec probe, nec penitus introſpexere. Herbam inpraeſentiarum porrigam: ſed *Plato*, aliique Ethnici Philoſophi, Iudaicas ſcripturas, aut conſulta non recte intelligentes, in eamdem hallucinationem tot magnis viris communem convenire potuerunt, quum ſomniatam ratiocinationem compingere & concinnare nemo potuerit.

Verum urgeat iterum aliquis, & interroget, cur facilius *Plato*, aliive ex Iudaeorum placitis plures eſſe divinas Hypoſtaſes intellexere, quas certe fatendum eſt in ſacris libris ſubobſcurius indicari, quam quod perſpicue & explicate ſaepius ingeritur ac proclamatur, unum tantum & ſingularem eſſe Deum? Sed qui *Platonis* lectioni adſueverit facile comprehendet ab illo etiam unum Deum ſaepe praedicari, quod re-

cte

cte etiam animadvertebat *Porphyrius Lib. IV. Hiſtor. Philoſophicae* apud *Cyrillum Alexandrinum Lib. I. contra Iulianum*, quod & ceteri fere omnes philoſophi fecere, ut late oſtendunt *Iuſtinus Martyr*, *Athenagoras*, & laudatus *Cyrillus*: & tamen impedimento eſſe non cenſet, quin & alii Dii conſtituantur, qui ab uno, primoque originem ducant. Praeſignia ſunt hac ſuper re *Plotini* verba *Ennead. V. Lib. I. cap.* VIII. ὁ δὲ παρὰ Πλάτωνι, inquit, Παρμενίδης ἀκριβέϛερον λέγων, διαιρεῖ ἀπ' ἀλλήλων τὸ πρῶτον ἓν, ὁ κυριώτερον ἓν· καὶ δεύτερον ἓν, πολλὰ λέγων· καὶ τρίτον ἓν καὶ πολλά· καὶ σύμφωνος οὕτως καὶ αὐτὸς ἐϛὶ ταῖς φύσεσι ταῖς τρισίν. *Parmenides autem loquens apud Platonem, exactius inter ſe diſtinguit primum ipſum unum: quod & praecipue unum eſt, ſolumque unum. Item ſecundum unum multa nominat. Tertium denique unum atque multa. Hic itaque ſic tres dictas confirmat naturas*. Optime item *Proclus* in Theologiam Platonicam *Lib. I. cap.* IV. Αὐτὸ δὲ τὸ ὂν μετέχει τῆς ἐξῃρημένης τῶν ὅλων ἑνάδος, καὶ ὡς πεπονθός ἐϛι τὸ ἕν, ἀλλ' οὐκ αὐτὸ ἓν ὑφειμένον τοῦ ἑνὸς, καὶ ἡνωμένον ὑπάρχον, ἀλλ' οὐ πρώτως ἕν. *Ipſum vero ens particeps ſit illius unitatis, quae ex univerſis rebus eſt exemta, & quomodo unum patiatur, ideſt adficiatur: ſed tamen id quod ſit per ſe unum non ſit ſubiectum uni, & unitum exſiſtens, ſed non primo unum*. Quid quod ſaepe etiam in coeleſtibus literis plures Dii, ſine unitatis damno, nominantur?

Vnam heic antevertam calumniam, quae forte a nobis veram tantummodo Dei Trinitatem, non autem Platonicam, aut Arianam, humana coniectura adtingi non poſſe demonſtratum fuiſſe praetenderit. Si quis cor habet, etſi de falſa *Platonis* Trinitate ſermo ſit, eaſdem vel maiores difficultates recurrere ſtatim intelliget. Siquis autem pertendat *Platonem* male ratiocinatum fuiſſe, adeoque errore quodam & paralogiſmo ductum ſuam demiurgicam Trinitatem introduxiſſe, huic abunde inferius factum ibimus ſatis, quamquam & ex inſequenti Capite aptam congruamque reſponſionem habere quis poteſt.

Interim adverſus eos, qui nimium humanae inventioni, & ratiocinationi deferunt, adrogantque, doctiſsimum *Burnettum Part. I. Archaeolog. Philoſ. cap.* XIV. ita graviter, & copio-

pio-

Digitized by Google

pioſe differentem audiamus: *Quis tantum*, inquit, *ingenii acumen, & rationis vim, & diſſerendi facultatem & exercitationem in priſcis illis viris mihi commonſtrare poterit? quae naturae examina, & obſervationes, & experimenta poſteris prodiderunt? cedo mihi aliquot exempla, & ſpecimina in Aegyptiis, in Chaldaeis, in Brachmanis, ceteriſque, huius praeclarae & inventricis indolis: ut ſua vi, atque ſuis ratiociniis tantarum ſibi rerum comparaſſe ſcientiam, non temere credamus. Sua dogmata tradunt plerumque nude & ſimpliciter, nulla praeeunte diſſertatione, nullis munita rationibus; ab ipſo nutu, & auctoritate docentis recipienda. Vel ſi forte rationes adferant, ſunt vagae, & inſtabiles: quae plus minus valent ad lectoris adfectum, & arbitrium. Mundi futura conflagratio, eſt dogma perantiquum: a Gentibus ad Graecos deductum: ſed neque ab his, aut illis probatum legimus, nec tam dirae ſententiae cauſſas aut modos expoſuerunt. Quod ſi argumentis a natura rerum petitis, & ratiocinativo, ut aiunt, orationis genere, in huius rei notitiam perveniſſent, iiſdem uſi eſſent ad perſuadendum aut revincendum alios, quos eadem doctrina imbuere. Sed nude accepta, nude retulerunt: ut ſolent transferri* παῖροπαράδοῖα *&c.*

C A P V T V.

Plato *de Demiurgica Trinitate doctrinam aliis debet.*

QVoniam vero de *Plotino* mentio incidit, iam tempus eſt *Clerici* ſeu calumniam, ſeu hallucinationem, ſublimis huius Philoſophi teſtimonio & auctoritate, in propatulo conlocandi. Tempeſtive ſuperius Libro Secundo locum ex *Platonis* Philebo in medium adduximus, cuius doctrinam *Clericus* quum τερετίσματα Metaphyſica per contemtionem contumelioſe adpellaſſet, ſubiicit: *At quum viri docti viderent heic mentionem fieri unius, infiniti, & multorum, continuo exiſtimarunt reſpici ad Sanctam Trinitatem, quam nunquam heic quaeſiviſſent, ſi locum paulo adtentius legiſſent.* Videamus modo quam facile oſcitantiae notam, quam aliis adpingit, ipſi *Clerico* inurere ſit. *Plotinus* quidem Platonicorum omnium do-

Digitized by Google

doctiſsimus & perſpicientiſsimus iure cenſetur , nam nec qui *Platonis* dicta melius intellexerit, nec qui libros ſuos tam arcana & prope coeleſti doctrina referſerit, inter eos facile reperire eſt. Hic igitur huius ſectae Philoſophorum eminentiſſimus, loco ſupra laudato, memoratam *Philebi* doctrinam ad tres Hypoſtaſes, quae principii rationem habent, pertinere diſerte ſcribit, ad eamque opinionem a viris antiquiſsimis traditam inluſtrandam omnium primum *Parmenidem* adgreſſum eſſe. Nimiam ſententiae vetuſtatem ex ipſa *Platonis* adteſtatione coniectari quoque adſerit. Vbi modo illa *Clerici* verba: *quam nunquam heic quaeſiviſſent, ſi locum paulo adtentius legiſſent?* Num & *Plotinus* oſcitanter & tralatitie legit? Aut *Clericus* in Platonis ſenſibus deprehendendis illo eſt perſpicacior atque felicior? *Credat Iudaeus Apella , Non ego .* Apud *Auguſtinum* quidem *Lib. VIII. De Civ. Dei cap.* x. haec lego : *Plotinus certe noſtrae memoriae vicinus temporibus Platonem ceteris excellentius intellexiſſe laudatur* . Sed quî *Clericus* eam Platonis doctrinam a Parmenide acceptam probe intelligat, quum Parmenidis libros non habeat, quos *Plotinus* ſe prius conſuluiſſe aperte indicat? Vbi modo naturalis illa ratiocinatio, qua *Plato* tres ἀρχικὰς ὑποςάσεις comprehendit, ſi tam diſtincte ac diſerte ipſe *Plato* hanc opinionem a priſcis vetuſtiſsimiſque viris deductam invaluiſſe profitetur? *Plotinus* confirmat? quam ob cauſſam fortaſſe θεοπαράδοτον illam *Proculus* adpellavit. Sed *Clerici* ludentis potius quam ſerio agentis nugas miſſas faciamus, & ipſiſsima *Plotini* verba deſcribamus: Ὥςε Πλάτωνα εἰδέναι ἐκ μὲν τἀγαθοῦ τὸν νοῦν, τὴν ἰδέαν. ἐκ δὲ τοῦ νοῦ, τὴν ψυχήν· καὶ εἶναι τοὺς λόγους τούσδε, μὴ καινοὺς· μήδε νῦν ἀλλὰ πάλαι μὲν εἰρῆσθαι μὴ ἀναπεπταμένως, τοὺς δὲ νῦν λόγους ἐξηγητὰς ἐκείνων γεγονέναι, μαρτυρίοις πιςωσαμένοις τὰς δόξας ταύτας παλαιὰς εἶναι, τοῖς αὐτοῦ τοῦ Πλάτωνος γράμμασιν. ἥπτετο μὲν οὖν καὶ Παρμενίδης πρότερον τῆς τοιαύτης δόξης, καθόσον εἰς ταὐτὸ συνῆγεν ὂν καὶ νοῦν· καὶ τὸ ὂν οὐκ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐτίθετο. τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν ἐςί τε καὶ εἶναι λέγων, καὶ ἀκίνητον δὲ λέγει τοῦτο· καίτοι προστιθεὶς τὸ νοεῖν, σωματικὴν πᾶσαν κίνησιν ἐξαίρων ἀπ' αὐτοῦ, ἵνα μένῃ ὡσαύτως. καὶ ὄγκῳ σφαίρας ἐπεικάζων, ὅτι πάντα ἔχει περιειλημμένα καὶ ὅτι τὸ νοεῖν οὐκ ἔξω, ἀλλ' ἐν αὐτῷ. ἓν δὲ λέγων ἐν τοῖς ἑαυτοῦ

συγ-

συγγράμμασιν, αἰτίαν εἶχεν ὡς τοῦ ἑνὸς τούτου πολλὰ εὑρισκομένου. ὁ δὲ παρὰ Πλάτωνι Παρμενίδης ἀκριβέστερον λέγων, διαιρεῖ ἀπ᾽ ἀλλήλων τὸ πρῶτον ἓν. ὁ κυριώτερον ἓν. καὶ δεύτερον ἓν, πολλὰ λέγων. καὶ τρίτον ἓν καὶ πολλά. καὶ σύμφωνος οὕτως, καὶ αὐτὸς ἐστι ταῖς φύσεσι ταῖς τρισίν. *Quapropter apud Platonem cognoſcere licet ex ipſo quidem Bono Mentem atque Ideam: ex Mente vero Animam. Atqui ſermones eiuſmodi non eſſe novos, neque nuper inventos, ſed quondam dictos fuiſſe, licet non explicatos. Praeſentes vero ſermones eſſe veiut interpretes antiquorum. Idque teſtimoniis comprobari, adſerentibus opiniones eiuſmodi eſſe priſcas. Parmenides igitur prior opinionem eiuſmodi adtigit, ubi in idem ens, intellectumque reduxit. Atque ens ipſum in rebus ſenſibilibus minime conlocavit, dicens intelligere atque eſſe, idem prorſus exſiſtere: idque immobile, tametſi adiungat illleic intelligere. Omnem ſane corpoream inde ſubſtulit motionem, ut eodem ſemper modo permaneat: comparat inſuper ſphaerae globo, quoniam cuncta in ſe involuta complectitur: & quoniam intelligentia non petitur ab extrinſeco, ſed in ſeipſa perficitur. Vbi vero in libris ſuis unum nominat, adtingit cauſſam quaſi unum hoc deprehenſum ſit eſſe multa. Parmenides autem loquens apud Platonem, exactius inter ſe diſtinguit primum ipſum unum, quod & praecipue unum eſt, ſolumque unum. Item ſecundum unum, multa nominat. Tertium denique, unum atque multa. Hic itaque tres dictas confirmat naturas.* Atque ita quidem ille.

CAPVT VI.

Continuatur idem argumentum.

Eiectis igitur & exculcatis vitilitigatorum Mileſiis, compertum habemus *Platonem* de tribus Hypoſtaſibus δημιουργοῖς ſententiam, quam etiam *Parmenidis* eſſe noverat, ab antiquis omnino Sapientibus ſe accepiſſe profiteri. Οἱ μὲν, inquit, παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες ταύτην φήμην παρέδοσαν. *Veteres nobis meliores, & propius Deos habitantes hanc famam tradiderant.* Quae quidem verba tem-

pus vetuſtiſſimum indicant, & illud, ut videtur, quod aetati ſubceſſit, qua Deos in Aegypto regnaſſe ſcribunt *Herodotus Lib. II.* & *Diodorus Siculus Lib. I.* & *Manetho apud Ioſephum*, & vetus Chronicon apud *Georgium Monachum Syncellum*. Horum Deorum tempus *Iul. Africanus* in illud reiicit, quod diluvium generale praeceſſit, idemque *Kirkerus* ſubſpicatus eſt, quod Aegyptii eos plus mille annis vixiſſe adfirmarent, ut videre eſt apud laudatos *Manethonem*, *Diodorum*, & *Plinium*, immo eorum nomine nonniſi ſanctos Iudaeorum Patriarchas venire. Ipſe quidem eiuſmodi famam ex iis originem traxiſſe facile adſenſerim.

Heinc aliquis forte in eam ſubſpicionem veniat, quae cenſeat ſatis a *Platone* indicari ſuam de Trinitate divina opinionem ab Aegyptiis accepiſſe, qui inſuper eidem adfirmaverint illam ab antiquiſſimis temporibus ſibi veluti per manus traditam fuiſſe. Nunc in mentem veniat oportet eorum, quae Libro I. de Sanctae Trinitatis apud veteres Iudaeos notitia, deque non omnino abſimili, quae apud Chaldaeos, Aegyptioſque obtinebat, ſententia mature & opportune praeſtruximus. Hanc autem eamdem a Pythagoreis habuiſſe *Parmenidem* admodum veriſimile eſt, nam eum cum *Ameinia* & *Diocheta* Pythagoreis verſatum fuiſſe teſtis eſt *Sotion apud Laërtium*.

CAPUT VII.

De Divinae Trinitatis apud Iudaeos notitia.

DVm ea, quae proxime antecedunt, diſſeruimus, ſubponere lubuit nulla probe rimanti & expendenti vera Divinae Trinitatis indicia, certaque veſtigia in ſacris Veteris Teſtamenti libris obcurrere, ut funditus radicituſque *Clerici* doctrinam everteremus: quod quum ſub manus ſubceſſerit, iam tempeſtivum arbitramur, an vere apud veteres Ebraeos ulla de Sancta Trinitate perſuaſio eſſet, inquirere. Iam nonnulla in anteceſſum de hac controverſia delibavimus; quaedam etiam in huius operis decurſu diſputanda ite-

Digitized by Google

iterum eſſent; quare heic, ne actum toties agatur, eorum, quae ad hanc litem finiendam pertinere videntur, brevis erit, & cum delectu quodam tractatio. Quae quidem ut rite inſtituatur animadvertendum eſt, multos Ebraeorum libros, quibus res eorum geſtae, decreta, & opiniones continebantur, iniuria temporis, vel alia de cauſſa intercidiſſe: plures etiam eorum qui aetatem tulere, eſſe tantum ἐπιτομὰς & Breviaria vel actorum & monumentorum, quae in publicis Archivis adſervabantur, vel eorum voluminum, quae ab Hiſtoricis Scriptoribuſque aliis prolixiori narratione exarata fuerant. Quin & ſi quae, ut a ſuis Auctoribus primum conſcripta fuerant, ad nos pervenere, in iis tamen multa conſulto & dedita opera omiſſa, & ſubpreſſa fuere, & in arcanis habita.

Quod primo loco adſeruimus certum eſſe & indubitatum neminem latere poteſt, qui Iudaicas ſcripturas evolverit. In iis enim multi libri & acta citantur, qui toti periere, ut Libro *Ioſue*, & Libris *Regum*, & *Paralipomenon* praecipue videre eſt. Nam *Liber Iuſtorum*, quem carmine conſcriptum fuiſſe opinantur quidam, memoratur *Ioſue c.* x. 13. quamquam non deſunt, qui hunc pro *Geneſi* habent. Liber quidem *Regum Iudae & Iſraelis*, qui certe periit, nominatur *II. Paralipom. cap.* xvi. 11. *& cap.* xxiv. 27. *& cap.* xxv. 26. *& cap.* xxvii. 7. Eiuſmodi libri plures fuiſſe videntur, erantque Commentarii, ut veroſimile eſt, ſeu Diaria, in quibus literis mandabantur ea, quae ſub Regibus in dies contingebant. In libris *Regum* citatur *Liber Verborum dierum*, qui, ut videtur, antiquus erat, & veluti Ephemerides quaedam copioſae eorum, quae geſta fuerant. Huiuſmodi libros Scriptores quidam publici exarabant, qui *Maſchirim*, hoc eſt, *A commentariis* dicebantur, qualis ſub Davide & Salomone fuit *Ioſaphat Abilud F. II. Regum cap.* viii. *III. Regum cap.* iv. *I. Paralip. cap.* xviii. ſub Ezechia *Iobaë* Aſaphi F. *IV. Regum* xviii. ſub Ioſia *Ioha* Ioachazi F. *II. Paralip.* xxxiv. Regum tamen hiſtorias Prophetae etiam ſcripſere. *Samuel*, *Nathan*, & *Gad* id, quod Davidis regnum adtinet, literarum monumentis conſignarunt, *I. Paralip.* xxix. 29. *Nathan*, *Gad*, *Addo*, & *Abias* idem fecere, quoad regnum Salomonis *II. Paralip.* ix. 29. *Addo* & *Semeias*

Digitized by Google

hiſtoriam Roboami contexuere, *II. Paral.* XII. Idem *Addo* res quoque geſtas Abiae deſcripſit, *II. Paralip.* XIII. *Hanani* ſub Aſa commentabatur, *II. Paralip.* XVI. Ioſaphati vitam *Iebu* Hanani F. ſub eodem principe ſcripſit, quando & *Eliezer* & *Iabaziel* quoque prophetabantur, *II. Paralip.* XX. Sed etſi Prophetae, ut vidimus, hiſtoricorum munus obibant, id tamen impedimento non erat Scriptoribus publicis, quin literis eadem mandarent. Sic quamquam hiſtoria Salomonis a *Nathan, Gad, Addo*, & *Abia* Prophetis ſcripta fuit, eadem tamen concinnata quoque eſt per eos, qui a commentariis erant, & qui ſub nomine *Dierum Salomonis* citantur, *III. Regum* XI. Hiſtoriae Ioſaphati idem contigit, *III. Regum* XXII. Eodem loco, quo laudatur hiſtoria Ezechiae ab *Iſaia* conſcripta, laudantur etiam *Annales Regum Iuda*, *II. Paralip.* XXXII. Alibi Annales regum Iuda, & Prophetae *Hozai*, qui Vitam Manaſſis ſcripſerat, adlegantur, *II. Paralip.* XXXIII. Et ecce quam multa iam Ebraeorum volumina deperdita. Sed & *Manaſſis* oratio, quae loco Paralipomenon proxime laudato memoratur, aetatem non tulit. Citantur *I. Paralip.* IV. *Verba vetera*, hoc eſt, antiqua monumenta, ſeu antiquae traditiones, ſicuti *II. Eſdrae* XII. laudatur liber *Verborum dierum*, antiquorum videlicet monumentorum, quae quidem ad nos non pervenere. Quid de libris *Salomonis* dixerim? Exploratae fidei eſt illum ad MMMMM. cantica conſcripſiſſe, *III. Regum* IV. & eorum tamen non alia ſuperſunt, niſi *Canticum canticorum*, & quaedam forte quae inter Pſalmos habentur. Sed verba ipſa Bibliorum exſcribamus: *Loquutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque & mille. Et diſputavit ſuper lignis a Cedro, quae eſt in Libano, uſque ad Hyſſopum, quae egreditur de pariete: & diſſeruit de Iumentis, & Volucribus, & Reptilibus, & Piſcibus.* Si eas commentationes literis mandavit, ut videtur, ii omnes libri temporis iniuria intercidere. Liber autem *I. Machabaeorum* ita terminatur: *Et cetera ſermonum Iohannis & bellorum eius, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & aedificii murorum quos exſtruxit, & rerum geſtarum eius: ecce haec ſcripta ſunt in libro dierum ſacerdotii eius, ex quo factus eſt princeps ſacer-*

dotum

Digitized by Google

dotum poſt patrem ſuum. Scriptor vero Libri ſecundi, ſive, qui Iaſonem Cyrenaeum in Epitomen contraxit, *cap.* II. meminit *Deſcriptionum Ieremiae Prophetae*, quae certe deperditae ſunt. Nam minus ſubſiſtere videtur, quod cenſet *Huetius Demonſtr. Evang. Prop. IV.* memoratas ſcilicet Deſcriptiones eſſe Ieremiae Epiſtolam, quae in Prophetia Baruchi habetur. Lugubre quoque carmen ab eodem *Ieremia* in Ioſiae regis obitu compoſitum, cuius fit mentio *II. Paralip. cap.* xxxv. ſi a Threnis aliud eſt, eiuſdemque Epiſtola ad Iudaeos in captivitatem Babylonicam abducendos, de qua loquitur *cap.* LI. *ſuae Prophetiae* omnino pariter interiere. Immo *Tertullianus* plures ſacrarum ſcripturarum libros a Iudaeis certis de cauſſis ſubpreſſos fuiſſe non dubitavit adſerere.

Multos autem ſacrorum librorum eſſe ἐπιτομὰς tantum, & ampliorum monumentorum contracta in compendium Breviaria, vel ex *Paralipomenis* liquido conſtat, de quibus ita *Hieronymus ad Paulinum*: *Paralipomenon liber, ideſt, inſtrumenti veteris* ἐπιτομή. Liber Secundus *Machabaeorum* nihil aliud eſt, quam breve quinque *Iaſonis Cyrenaei* voluminum compendium, ut Scriptor ipſe Capite ſecundo ingenue profitetur. Ex fine libri primi non multo aliter de eodem ſentiendum eſſe intelligimus. An non idem iudicium de libris *Regum* ferendum eſt? Nonne illi nos ad Acta copioſiora paſſim amandant? Sed & libri *Salomonis*, qui ſuperſunt, nonniſi excerpta quaedam, ut ita dicam, eſſe videntur eorum librorum, qui a ſapientiſſimo Principe conſcripti, numero multo plures erant, & inſtructiores. Sed iam ſatis a nobis diſputata ſunt ea, quae huiuſmodi veritatem manifeſtam efficiant.

Pluria vero in ſacris libris vel eſſe praetermiſſa, vel conſulto ſubpreſſa, manifeſta docet res, & claſſicorum Auctorum comprobant teſtimonia. *Paralipomena* vel ſolo titulo praeſeferunt ea continere, quae in *Regum* libris praeterita fuerant. *Iis praetermiſſae in Regum libris tanguntur hiſtoriae*, ait *Hieronymus ad Paulinum*. Iſthuc ipſum inſinuat, quod iam notavimus, ſacros libros ad alia ſaepe monumenta mittere lectorem. Quid quod multa in novi foederis libris obcurrunt, quae veteribus Iudaeis contigiſſe referuntur, quorum tamen nulla

Digitized by Google

exſtat in Iudaeorum voluminibus, quae ſuperſunt, memoria? Ea recenſet vir multis nominibus ſubſpiciendus *Adamantius Origenes* Epiſtola *ad Africanum*, & merito contendit multa a Magiſtratibus & Senioribus Iudaeorum populi cognitioni ſubtracta fuiſſe, & oculis profanis abſcondita. Iudaeus autem Auctor libri, qui inſcribitur *Cozri*, ea tantum ex actis publiciſque Annalibus & Commentariis eruta fuiſſe adfirmat, quae prudentes & caſtigati iudicii viri in populum evulganda cenſuiſſent; cetera vero in occulto ſervata fuiſſe, & cuſtodita diligenter.

Quin opinatos fuiſſe Iudaeos non omnia a Moſe, quae ſibi Deo revelante innotuerant, in vulgum prolata fuiſſe, conligere eſt ex apocrypho libro *Eſdrae IV. cap.* XIV. ubi Deus de Moſe loquens ita ait: *Enarravi ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta, & finem, & praecepi ei dicens: haec in palam facies verba, & haec abſcondes*. Haud equidem me latet horum librorum Auctorem Chriſtianum, vel Chriſtianorum temporum videri; attamen Iudaicas ſuae aetatis opiniones referre certum & exploratum eſt. Heinc eſt quod LXX. etiam Interpretes, ut vocantur, in ſacris ſcripturis in Graecam linguam convertendis cauti admodum fuere, & ſuorum maiorum exemplo multa Graece vertere refugerunt, quae Divinam Trinitatem inſinuant. Audiatur *Hieronymus*, qui *Epiſtola ad Deſiderium*, multa in LXX. Virûm interpretatione deſiderari perſeverans, quae tamen ab Evangeliſtis laudata in Ebraico fonte exſiſtunt; ita ſcribit: *Interrogemus ergo eos ubi haec ſcripta ſint; & quum dicere non potuerint, de libris Ebraicis proferamus. Primum teſtimonium eſt in Oſee, ſecundum in Iſaia, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quinctum aeque in Iſaia: Quod multi ignorantes Apocryphorum deliramenta ſectantur: & Iberas Naenias libris authenticis praeferunt. Cauſſas erroris non eſt meum exponere. Iudaei prudenti factum dicunt eſſe conſilio, ne Ptolemaeus unius Dei cultor, etiam apud Iudaeos duplicem Divinitatem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque ſacratum aliquid ſcriptura teſtatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt: ut & Regi ſatisfacerent, &* arca-

Digitized by Google

arcanum fidei non vulgarent. Ad *Paulam* vero & *Euſtochium* ſcribens, haec diſerte habet: *Vnde coniicio noluiſſe tum temporis LXX. Interpretes fidei ſuae ſacramenta perſpicue Ethnicis prodere: ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent: quae quum hanc editionem legeritis ab illis animadvertetis abſcondita*. Agit ibi *Hieronymus* de libro Eſaiae, eiuſque apertiſſimis de Chriſto vaticiniis. Similia habet idem Doctor in Prooemio *Traditionum Ebraicarum*. *Neque vero*, inquit, *LXX. Interpretum, ut invidi latrant, errores arguimus: nec noſtrum laborem, illorum reprehenſionem putamus: quum illi Ptolemaeo Regi Alexandriae myſtica quaeque in ſcripturis ſanctis prodere noluerint, & maxime ea, quae Chriſti adventum pollicebantur: ne viderentur Iudaei & alterum Deum colere: quos ille Platonis ſectator, magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur*. Qui poſtremus tamen verſus non ſatis cohaerere videtur iis, quae ſuperius ex eiuſdem Epiſtola *ad Deſiderium* protulimus. Ex quo luculenter adparet, ea praecipue quae Divinitatis diſtributionem adtinerent, Iudaeos antiquitus in arcanis habuiſſe, & cunctis evulgare religioni duxiſſe.

Hiſce rite praeſtructis, nil mirum videri debet, ſi quaedam, quae propius Divinitatis naturam adtingunt, aut nimis breviter, aut etiam paulo obſcurius in ſacris literis traduntur: nihilominus enim ex tenuibus etiam veſtigiis, & leviter ductis lineamentis, qualem Iudaei Divinitatis cognitionem habuerint, etſi ſcripto in vulgus non prodiderint, arguere eſt. Quamobrem dubium eſſe non poteſt, quin ea, quae ad huiuſmodi notitiam Iudaeis adſerendam opportune ex ſacris Bibliis vel ſuperius adtulimus, vel in huius retractatus decurſu in medium producentur inferius, magni ſint ad perſuadendum momenti. Commemorare in praeſentiarum lubet, Dei hominem aedificare molientis plurale conloquium, *Geneſ. I.* a Deo item ſulphure, & igne pluentis iram Pentapoli exitiabilem, *Geneſ.* XIX. Deum aeterna in ſede ſedentem laetitiae oleo inungentis conſortium, *Pſalm. XLIV.* Domini alium Dominum ſibi a dextris adſidere iubentis imperium *Pſalm. CIX.* Dei tandem apud *Eſaiam* in alio Deo permanentis *inhabitationem*

Cap. XLV. ut omittam quae pluria *Tertullianus* contra *Praxean* ſcribens, & *Novatianus* nondum haereticus de Trinitate diſſertans, & *Auguſtinus*, aliique conlegere.

Minus autem mirum eſſe debet, ſi quae vix Iudaei Scriptores in ſuis voluminibus memorarunt, vocali deinde traditione ad poſterorum aliorumque notitiam tranſmiſere. Omnium enim Sapientum ea cautela fuit, quae multa de divinis myſteriis alios doceret voce facillime, literis autem ſcriptoque mandare quammaxime refugeret. Ita enim coeleſtium arcanorum decori & venerationi conſultum ire arbitrabantur, quum libri per omnium manus circumcurrentes eadem contemtui & irriſioni ſtultorum obiicierent. Subficit *Platonis* Epiſtolas tum ad Dionyſium, tum ad Dionis propinquos & familiares exaratas evolvere, ut quam vere iſta omnia adſeveremus eluceat. *Herodotum* memini *Lib. II.* religioni ducere myſteria, quae a Sacerdotibus Aegyptiis accepit, literarum monumentis commendando manifeſtare: magiſtros hoc ipſo imitatus qui paucis, & his quidem ſpectatis viris myſteria revelare conſueverant, *Clemente Alexandrino V. Stromatum* auctore. Druidas, *Caeſaris* commentarios legens animadverti, nefas exiſtimaviſſe ſuae diſciplinae & religionis arcana libris committere. Inde & maioribus noſtris cautum eſt, nequis Chriſtianae ſapientiae myſteria niſi voce ipſa doceretur, quare illius candidati *καθηχούμενοι*, hoc eſt *Audientes*, ut *Tertullianus* vertit, adpellabantur, cuius rei teſtes locupletiſſimi ſunt *Origenes Adamantius Lib. I. contra Celſum*, *Tertullianus* de *Praeſcriptionibus*, & *Lib. II. ad Vxorem*, & *Lactantius Firmianus Lib. VII. Divin. Inſtit. cap.* XXVI. Vere enim dictum Pythagoreo *Lyſidi* apud *Gregoram Lib. VII.* τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφεῖν μεγάλης ἐς ἀνθρώπους ἦρξε τῶν θείων καταφρονήσεως. *Apud populum philoſophari, cauſſa hominibus fuit magni contemtûs rerum Divinarum.* Verum illud Iudaeis praeſertim ſolemne fuiſſe teſtatur *Maimonides* in *More Nevochim Part. I. cap.* LXXI. ubi quum multas Iudaeorum doctrinas, & traditiones interiiſſe conquereretur, ſcriptum reliquit: *Scito multas egregias ſcientias, quae in gente noſtra olim fuerunt de veritate iſtarum rerum, partim longitudine temporis, partim infidelium & ſtultorum populorum*

in

in nos dominatione, partim etiam quod non cuivis conceſſa erant, ſicut expoſuimus, periiſſe, & in oblivionem deveniſſe [nihil enim permiſſum erat, niſi ea quae in libros ſacros digeſta & relata erant] nam noſtri Talmud ipſum inter nos receptum, olim non fuiſſe in certum librum digeſtum propter rationem illam, quae tunc paſſim obtinebat in gente noſtra: Verba quae dixi tibi ore, non licet tibi ſcripto divulgare. Hic idem *Maimonides* in Praefatione ſui operis, quod *Manum fortem* inſcripſit, dilucidius etiam & apertius indicat quaedam Ebraeos nunquam ſcriptis olim publicaſſe, ore tamen & voce alios eadem docuiſſe. *Enimvero,* inquit, *a Moſe doctore noſtro, uſque ad Rabbi noſtrum ſanctum* [ſcilicet R. Iudam] *nullus exaraverat ea, quae publice docebantur ex lege orali, ſed unaquaque generatione Princeps conſiſtorii, aut Propheta ſaeculi illius ſibi ipſi ſcribebat commentarios traditionum quas audiverat a doctoribus ſuis: publice vero ore docebat.*

Sed multas Ebraeorum traditiones, quorum aliquae etiam libris Apocryphis contineri potuerunt, excidiſſe, vel illud argumento eſſe poteſt, quod & ſupra innuimus, earum ſcilicet quaſdam confirmatas in novo Teſtamento reperiri, ut a Sancto *Iuda*, qui *Enochi* librum laudat, & ab Apoſtolo *Paulo*, qui alterius *ad Timotheum* Epiſtolae *cap.* III. meminit *Iannis*, & *Iambris*, qui adverſus Moſen ſtetere, & quorum nomina reperiuntur etiam in Commentario allegorico in *Pentateuchum*, quem Iudaei *Zohar* adpellant, & de quibus etiam agit *Numenius Lib. III.* περὶ τἀγαθοῦ, & *Apuleius Apologetico ſecundo;* & alia idem Apoſtolus in Epiſtolis *ad Corinthios I.* & *ad Ebraeos* ſubindicat, quae in Veteris Teſtamenti hiſtoria invenire non eſt.

Itaque iniuſtus & importunus habendus eſt, quicumque in his rerum anguſtiis, in tanta parcitate doctrinae, in prope generali traditionum interitu, in tam multorum codicum iactura demonſtrationes myſteriorum manifeſtiſſimas requirit, & non multum etiam claſſicorum Scriptorum auctoritati iudicioque defert, ut *Auguſtini, Epiphanii, Cyrilli, Gregorii Magni*, aliorumque Eccleſiae Patrum, qui integram liquidamque Sanctae Trinitatis cognitionem, Iudaeorum Patriarchis, atque Prophetis

iure

iure optimo vindicant. Denique in mentem revocandum illud *Tertulliani* in *Libro de Reſurrectione carnis*, de divinis literis agentis: *Ratio autem divina in medulla eſt, non in ſuperficie, & plerumque aemula manifeſtis.*

CAPVT VIII.

Eiuſdem argumenti continuatio.

SEd non omnes forte de Verbo Divino apud Iudaeos traditiones interciderunt. Chaldaicas Paraphraſes quidam, Chriſti ſaltem aetate conſcriptas fuiſſe cenſuere. Alii eas D. Hieronymi aevo poſteriores credunt, quod Scriptor hic eruditiſſimus illarum nunquam meminerit. Sed fortaſſis illae ſunt Hieronymo σύγχρονοι, nec mirum ſi de iis nihil hic loquutus eſt, quum tunc temporis forte quibuſdam tantum privato uſui eſſent, & nondum in unum voluminum corpus incluſae, quemadmodum hodie ſunt, quae eſt opinio *Simonii Lib. II. Hiſt. Critic. Vet. Teſtam. cap.* XVIII. Et certe *Onchelofi* & *Ionathani*, ut vocantur, Paraphraſes, nam an eorum vere ſint non liquet, ex ſtyli puritate, quae in iis maior eſt quam ſit in *Gemara* aut *Talmude*, ſatis antiquae eſſe comprobantur. Videntur enim ſcriptae fuiſſe illa aetate, qua lingua Chaldaica adeo non degeneraverat, ut quum *Gemara* compoſita eſt. Illud autem certum & exploratum eſt poſt Babylonicam captivitatem Iudaeos Chaldaica lingua uſos fuiſſe, & huius & Paleſtinae admiſtione Iudaeam prorſus infeciſſe, ut ait *Bochartus* in *Phaleg. I. Lib. II. cap.* XV. *Simoniuſque* confirmat. Ideo Magiſtri & Legis Interpretes populum inſtruentes non alio idiomate leges Moſis & Prophetas diſſerebant, quam Babylonico, quod etiam animadvertit *Bern. Lamius Lib. II. Adpar. Biblic. cap.* VI. Immo *Hieronymus Praefat.* in *Danielem* ſcribit, *Danielem & Eſdram* Ebraicis quidem literis, ſed Chaldaeo ſermone fuiſſe conſcriptos, quemadmodum & unam *Ieremiae* Pericopen. Heinc ex eo tempore gloſſae quaedam & ſcholia ſcripturarum eâdem lingua fieri coepere, ex quibus admodum, ut patet, vetuſtis Paraphraſes illae, quas Chaldaicas nuncupamus

pamus, compactae ac coagmentatae ſunt, ut veriſimile etiam videtur *Simonio Lib. I. memorati Operis cap.* xvi. & *Bern. Lamio Lib. II. Adpar. Biblic. cap.* xii. Quare etſi iſta conlectio gloſſarum Hieronymi temporibus, vel aliquanto poſt facta fuiſſet; tamen doctrina, quae Paraphraſibus illis continetur, illorum temporum aetatiſque dicenda non eſſet; ſed ea quae ab ipſo Babylonicae captivitatis aevo inter Iudaeos viguiſſet. Quamquam diffitendum non eſt, forte gloſſis illis antiquiſſimis pluria in dies, ut in huiuſmodi libris fieri conſuevit, addita & inſerta a Magiſtris fuiſſe, donec opus tandem in eam molem ac formam, quam nunc videmus, excreverit. Credibile tamen non eſt, ſi quae Chriſtiani nominis ſaeculis adiecta illis fuere, ea etiam omnia, quae Verbi aeterni exſiſtentiam & divinitatem manifeſte confirmant, tunc fuiſſe intruſa. Quis enim ſibi perſuadeat Iudaeos Chriſtiani dogmatis hoſtes infenſiſſimos, tela nobis, & nuper quidem a ſe excogitata, ſponte ſua ſuppeditare voluiſſe, quibus eorum cauſſae iugulum ineluctabiliter peteretur? Sed ea omnia antiqua Iudaeorum placita fuiſſe comprobant etiam, quae in *Libro Sapientiae, & Ieſu Siracidae Eccleſiaſtico*, & in *Philonis* commentariis quamſimillima habentur. In memoriam quoque revocare oportet, quid Iudaeis de lxx. Interpretibus adcreditum fuiſſe paulo ſuperius ex *Hieronymo* retulerimus.

Itaque in Chaldaeis Paraphraſibus diſerte perſpicueque de Verbo Divino agitur, & eius mentio frequenter obcurrit, ita ut illud ab ipſis mundi primordiis exſiſtens, & diſtincta a Deo perſona conſtituatur. Loca iſtarum Paraphraſum, in quibus de Verbo, quod Chaldaice מימרא *Memra* dicitur, Paraphraſtae loquuti ſunt, conlegit doctiſſimus *Steph. Rittangelius* in Notis, quibus librum *Iezirah* a ſe etiam Latine redditum inluſtravit. Vt autem aliquod eorum ſpecimen praebeamus, *Cap. III. Geneſeos verſ.* 9. illud: *Et quum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo*, *Onchelaſus* [hunc Ebraei tamquam Scriptorem divinitus adflatum reſpiciunt, cuius quidem nomen dialecto Babylonica idem eſt atque in dialecto Hieroſolymitana *Aquila*, etſi *Onkeloſi* liber *Aquila* eſt non uno ſaeculo poſterior. De hoc tamen ea memoriae mandata

data

Digitized by Google

data ſunt ab Auctoribus, quae *Aquilae* Graeco ſcripturarum Interpreti omnino conveniunt, ut iam *Voſſius* notavit] ita παραφράζει: *Et audierunt vocem Verbi Domini Dei deambulantis in horto ad auram diei*. Et *cap.* VI. *verſ.* 6. vertit: *Et poenituit Dominum in Verbo ſuo ut contereret fortitudinem eorum iuxta beneplacitum ſuum*. Quae eſt paraphraſis illorum verborum: *Poenituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus*. Cap. vero IX. *Geneſeos*, v. 12. *Onchelofus* haec habet: *Dixitque Deus, hoc eſt ſignum pacti, quod ego ponam inter Verbum meum, & inter vos, & inter omnem animam viventem, quae eſt vobiſcum, in generationes ſaeculi. Arcum meum ponam in nube, & erit in ſignum foederis inter verbum meum, & terram. Et erit quum adduxero nubem ſuper terram, & videbitur arcus in nube, & recordabor pacti mei, quod eſt inter Verbum meum & inter vos: & inter omnem animam viventem in univerſa carne: neque erit ultra aqua diluvii ad diſperdendam omnem carnem. Et erit Arcus in nube, & videbo eum in memoriam foederis ſempiterni, quod eſt inter Verbum Dei, & omnem animam viventem in univerſa carne quae eſt ſuper terram. Dixitque Deus ad Noe: Hoc eſt ſignum foederis inter Verbum meum, & univerſam carnem, quae eſt ſuper terram*. *Iacobus Geneſeos cap.* XXVIII. *v.* 22. quum erexiſſet lapidem in titulum eo in loco, quo ei adparuerat Deus: *Erit mihi*, inquit iuxta Paraphraſtem, *Memra Dei in Deum*. *Labanus cap.* XXXI. *verſ.* 24. vidit in ſomnis dicentem ſibi Dominum: *Cave ne quidquam aſpere loquaris contra Iacob*; ibi Paraphraſtes: *Et venit*, inquit, *Memra a facie Dei ad Laban Syrum in ſomno noctis, & dixit ei. Cave &c.* In eodem *Cap.* *v.* 56. *Iacobus* dicit ad Labanum ſtylo Paraphraſtis: *Memra Domini eſt teſtis inter me, & inter te*. Vbi in ſcriptura legimus, eiuſdem *Geneſeos cap.* XLVIII. *v.* 21. *& erit Deus vobiſcum, & reducet vos in terram Patrum veſtrorum*, Chaldaeus habet: *Et erit Memra Domini in adiutorium veſtrum, & reducet vos in terram patrum veſtrorum*.

Ex hiſce omnibus ſatis liquet, fruſtra eſſe eos qui מימרא *Memra* hoc eſt *Verbi* vel *Sermonis* nomine Legem, quae quatenus Dei voluntatem manifeſtat, eius verbum dici poteſt, a Pa-

Paraphraſtis intelligi contendunt: nam quaecumque hactenus ex illis protulimus, ad tempora, quae legem praeceſſere, pertinere dignoſcuntur. Nullo modo praeterea eiuſmodi ſenſum recipiunt, utpote abſurdum, & rei, qua de agitur, minime congruentem. Quid quod *Moſes* Paraphraſtis ore pronuntiat: *In Memra Dei factum eſt ſaeculum?* Hieroſolimitanus autem Paraphraſtes, ubi legitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum*, habet: *Et creavit Memra Dei hominem in ſimilitudine ſua?*

Sed nec ipſam Dei loquutionem *Verbi* nomine ſeu *Memra* apud Paraphraſtas intelligi poſſe oſtendunt pluribus Viri doctiſſimi. Nec minus ii errare deprehenduntur, qui cenſent *Memra Dei* apud eoſdem nihil aliud ubique denotare quam ipſum Deum; ita ut *Verbum Domini* apud *Onkeloſum*, alioſque pro *ipſe* *αὐτὸς* uſurpatum ſit. Nam, ut docte & acute advertit inter alia *Iac. Capellus ad cap.* 1. *Iohan.* quum *Ionathanus Pſal. CX. verſ.* 1. teſte *Fagio* in *Deuteron. V.* ita παραφράζει: *Dixit Dominus* למימרא *τῷ λόγῳ ἑαυτοῦ Verbo ſuo, ſede a dextris meis*, non poteſt id intelligi *dixit ſibimet ipſi*, ſed omnino λόγος ἐνυπόστατος eo loci ſignificatur. Et hunc quidem Pſalmum ſemper de Meſsia a Iudaeis intellectum fuiſſe, non tantum ex eo conſtat quod *Ieſus Chriſtus*, ut Meſſiam Davidis Filium non eſſe adverſus Phariſaeos revinceret, eius auctoritate functus eſt, *Matth. XXII. Luc. XX.* illumque tamquam ad Meſſiam reſpicientem *Petrus* in *Actis cap.* 11. & *Paulus Epiſt. ad Ebraeos cap.* 1. laudaverunt; ſed ex Magiſtri etiam *Salomonis Iarchi* teſtimonio reſultat. *Verbi* autem nomine Iudaeos Meſſiam intelligere conſueviſse *Iſaacus* quoque *Aramaeus* in *Commentariis* ſuper Librum *Numerorum*, quibus titulus eſt *Sacrificium Iſaac*, luculenter oſtendit. Ita enim ſcribit: *Mittet Verbum ſuum, & ſanabit eos, & eripiet eos de plagis eorum. Dixit R. Samuel Levita, Verbum Dei eſt nuntius, ſive orator eius, de quo ſcriptum eſt: profecto tale eſt Verbum meum qualis eſt ignis, dixit Deus. Et hoc eſt quod dictum eſt: Veniet Verbum tuum, & honorificabimus te. Vtique quum veniet Verbum Dei, quod eſt nuntius eius, tunc honorabimus eum.*

Haud equidem inficias ierim Paraphraſtas Chaldaeos ita vi-

videri interdum vocem *Memra* ſeu *Verbum* uſurpare, ut Deum ipſum ſignificent, ut exempli gratia *Ionathanum cap.* IX. *Geneſeos*: *Hoc eſt*, inquit, *ſignum foederis, quod ſtatuo inter Verbum meum, & inter Verbum omnis carnis, quae eſt ſuper terram*: quod & *Lightfootius in Horis Ebraicis in cap. I. Iohannis* obſervabat, alia quoque adducens exempla. Sed tamen non eſt dubitandum ea voce, ut plurimum, λόγον θεῖον ἐνυπόςατον, & a Deo diſtinctum ſignificari, quum a Paraphraſtarum doctrina *Philonis* ſententia non diſcrepet; & *Philo* quidem περὶ λόγυ ἐνυποςάτου ſemper ſermonem habuerit. Id quod inſuper oſtendit, ut diximus, eiuſmodi de *Dei Sermone* placitum haud fuiſſe novitium, & recens a Paraphraſtis excuſum. Iſthuc autem ipſum ut magis emineat atque exſtet, conſiderabimus a Philone aeque ac a Paraphraſtis omnes fere Dei ἐπιφανείας ſeu praeſentias *Verbo Dei* tribui, quemadmodum mundi fabricam & ornatum. Sic Libro *De Mundi Opificio* ſcribit Deum in animae creatione uſum τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ. Lib. II. *Allegoriarum* Angelum, qui Abrahamo ſobolem promittit, & quem *Abrahamus* Dominum ſuum adpellat, *Verbum divinum* dicit. Lib. *Quod Deus ſit immutabilis* illum Angelum, qui Balaamo Ariolo obſtitit, *divinum Verbum* fuiſſe ſignificat. Libro *De Migratione Abrahami* ait hunc Patriarcham ducem ſui itineris *Verbum divinum* habuiſse. *Lib. De Somniis* dicit *Archangelum Dominum* innixum fuiſse ſcalae, quae Iacobo in Meſopotamiam proficiſcenti ſecundum quietem viſa eſt. Libro autem *De Vita Moſis*, id quod huic adparuit in rubo, pro Dei imagine haberi potuiſſe ait, atque *Angelum* adpellat.

Heic obiter animadvertere eſt *Philonem*, & Chaldaeos Paraphraſtas veterum Patrum ſententiam mirum in modum adiuvare. Illi enim, ut *Iuſtinus Martyr*, *Irenaeus*, *Theophilus Antiochenus*, *Tertullianus*, *Novatianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Cyprianus*, aliiqui, Filium Dei tantum, non autem Deum Patrem antiquis Patriarchis, & Prophetis conſpicuum ſe praebuiſſe cenſuere, quorum opinio ab *Auguſtino* in libris *De Trinitate* & *contra Maximinum* eatenus reprobata videri poteſt, quatenus eam Ariano dogmati patrocinari illius ſectae homines ſibi vaniſſime blandiebantur.

Qui-

Digitized by Google

Quibus omnibus expeditis, non ita prorſus omnem de Divinitatis diſtributione doctrinam & traditionem olim apud Iudaeos abolitam fuiſſe cognoſcimus, ut ex iis, quae ſuperſunt veſtigiis, & veluti *ἀπηχήμασι* deprehendere non ſit, priſcis eam temporibus apud eorum quoſdam celebrem & luculentam exſtitiſſe. Faciunt quae habet *Cicero I. Quaeſt. Tuſcul.* de Antiquitate loquens, *Quae quo propius*, inquit, *aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quae erant vera, cernebat*. Et profecto niſi multae fuiſſent de Chriſto, & eius Divinitate traditiones, quae ad poſteriores etiam Iudaeos perveniſſent, quomodo tam multos ſcripturarum locos, qui certe alias perſonas proxime reſpiciunt, ad Chriſtum tranſtuliſſent, quod in Paraphraſtis, & Rabbinis offendimus? Quin, quomodo Apoſtoli tam multa coeleſtium literarum teſtimonia adverſus Iudaeos adlegaſſent, quae tamen aliud omnino ſignificare videntur, niſi noviſſent ea loca de Meſſia & futura Eccleſia ab iis myſtice intellecta fuiſſe, quod quidem uſuvenire non poterat, niſi ob antiquiſſimas traditiones, quae eiuſmodi interpretationes veras, aut probabiles redderent?

C A P V T IX.

Clerici *obiectio diluitur*.

SEd inſurgit heic *Ioh. Clericus*, atque ita differit: ſi Plato, aut alii Ethnici Sapientes de tribus principiis doctrinam e ſacris literis, ac Iudaeorum traditionibus hauſere; ſacrae igitur literae, Iudaeive ipſi falſa illos dogmata docuere, quandoquidem hi nonniſi purum putum Tritheiſmum invexerunt. Sed impium eſt & exſecrabile id quidem vel mente concipere: non igitur ſua placita coeleſtibus eloquiis, Iudaeorumve doctrinae iſti Philoſophi debent.

Tres impendio Deos, & natura diverſos a Platone inferri non negaverim, quod inter ceteros & *Cyrillo Alexandrino Lib. I. & III. adverſus Iulianum Auguſtum* animadverſum eſt: quamquam non deeſt qui aliter iudicari poſſe adſeveranter adfirmat, & is quidem Platonicorum decretorum conſultiſ-

tiſſimus *Marſ. Ficinus*, cuius lucentiſſima verba argumento Epiſtolae ad *Hermiam*, *Eraſtum*, *& Coriſcum* ſunt quae ſequuntur: *Ac ſi quis unam trium ponat eſſentiam, Platonicis quidem multis videbitur adverſari, Platoni tamen manifeſte non repugnabit*. Hocprofecto & *Iamblichi* de Arcanis Gentium ſcribentis auctoritate confirmari poſſet, apud quem Aegyptiorum myſteria, Patris & Filii diverſam quidem rationem, naturam tamen eamdem conſtituere videntur; & neſcio quid ſubſpicari datur, ubi videmus magnum *Athanaſium Lib. De Decretis Synbodi Nicenae* Platonicorum auctoritate fungentem adverſus Arrianos, eoſque iſtis Philoſophis in Verbi Divini cognitione magis caecutire iis, quas contra eoſdem haereticos conſcripſit, orationibus adſeverantem. Quin adeo fuit olim perſuaſum Platonis doctrinam minime cum Ariano dogmate convenire, immo ei potius adverſari, ut *Platonem* legere, & in Arianiſmi erroribus perſeverare miraculi inſtar haberetur. Inſignis eſt *Socratis* Hiſtorici locus *Lib. VII. cap.* VI. ubi poſtquam lectitari ſolitos fuiſſe dixit *Platonem* a Georgio, *Origenem* a Timotheo Arianis Presbyteris, θαυμάσαι οὖν μοι, inquit, ἐπεισιπῶς οὗτοι οἱ ἄνδρες τῇ Ἀρειανῶν θρησκείᾳ παρέμειναν, ὧν ὁ μὲν τὸν Πλάτωνα ἀεὶ μετὰ χεῖρας εἶχεν· ὁ δὲ τὸν Ὠριγένην ἀνέπνεεν. οὐδὲ γὰρ Πλάτων τὸ δεύτερον καὶ τὸ τρίτον αἴτιον, ὡς αὐτὸς ὀνομάζειν εἴωθεν, ἀρχὴν ὑπάρξεως εἰληφέναι φησί. καὶ Ὠριγένης συναΐδιον πανταχοῦ ὁμολογεῖ τὸν υἱὸν τῷ πατρί. Vertit *Epiphanius Scholaſticus*: *Mihi tamen videtur admirabile, quomodo tales viri in Arianorum lege manſerint, quorum unus quidem Platonem ſemper habebat in manibus, alter ſpirabat iugiter Origenem. Quum nuſquam Plato ſecundam vel tertiam cauſſam [ſicut ipſe nominare ſolet] initium ſubſiſtentiae adſerat percepiſſe, & Origenes coaeternum ubique fateatur filium Patri*. Iſthuc ipſum quoque manifeſte colligere eſt ex iis, quae habet *Auguſtinus Lib. VII. Confeſſ. cap.* IX. *& Lib. X. De Civit. Dei cap.* XXIX. Sed ille idem *Cyrillus* Alexandrinus, qui Arianiſmum in Platone ſibi videre viſus eſt, tamen perſuaſum non habuit ita vere ſenſiſſe *Platonem*, quemadmodum ſcriptum reliquit, ſed veram ſinceramque de Δημιουργῷ Trinitate opinionem, ſycophantiarum & iniqui iudicii metu caute vulgus populareſque ſuos caelaviſſe. Praeclara eius

Digitized by Google

eius de Platonē loquentis verba primo laudatorum voluminum ita ſe habent: *τεθεώρηκε μὲν οὖν οὐχ ὑγιῶς ἅπαντα, ἀλλὰ τοῖς τὰ Αρείου πεφρονηκόσιν ἐν ἴσῳ διαιρεῖ, καὶ ὑφίστησιν, ὑποκαθημένας τε ἀλλήλαις τὰς ὑποστάσεις εἰσφέρει, καὶ τρεῖς οἴεται Θεοὺς εἶναι διῃρημένως τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα. πλὴν οὐκ ἠγνόηκεν ὁλοτρόπως τὸ ἀληθές. οἶμαι δ' ἂν ὅτι κἂν ὑγιῶς ἔφητε καὶ πεφρόνηκεν, ἐξήνεγκε δὲ καὶ εἰς τοὺς ἄλλους ἅπαντας, τῆς περὶ Θεοῦ δόξης τὸ ἀρτίως ἔχον, εἰ μὴ τάχα που τὴν Ανύτου καὶ Μελίτου γραφὴν ἐδεδίει, καὶ τοῦ Σωκράτους κώνειον. Speculatus eſt certe non uſquequaque omnia recte, ſed eodem modo, quo qui Arium ſectantur, dividit & ſubponit ſubiectas & ſubordinatas inter ſe ſubſiſtentias inducens, & putat tres eſſe Deos diſtincte ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem. Neque vero omnino veritatis ignarus fuit, quin potius exiſtimo eum & ſenſurum & loquuturum fuiſſe recte, editurum quoque in vulgus palamque facturum veras & germanas de Deo opiniones niſi forte Anyti & Meliti accuſationem timuiſſet, atque Socratis cicutam.*

Sed quidquid ſit, tres naturae differentis Hypoſtaſes a Platone induci liberaliter conceſſerim. Verum quid inde? Num conſectarium exſiſtit, quum huiuſmodi ſententiam falſam eſſe deprehendamus, Ebraica doctrina duce ad trium Hypoſtaſeon divinarum notitiam Platonem, alioſve Ethnicos Sapientes non perveniſſe? Nihil minus. Ipſe *Clericus Epiſtola III.* Gilberto Epiſcopo Salisburienſi ſcripta adfirmat, quo iure neſcio, a Nicaena Synhodo non, ut credunt ab aliquot ſaeculis Chriſtiani, unam eſſe *numero* eſſentiam divinam fuiſſe declaratum, *prout ſine dubio docent Veteris & Novi teſtamenti tabulae*, ſunt ipſius verba; ſed venerabiles illos Antiſtites unam dumtaxat *ſpecie*, *numero* vero multiplicem divinarum perſonarum naturam eſſe cenſuiſſe. Idem perſuadere, ſi Deo placet, contendit etiam *Part. II. Artis Critic. Sect. I. cap.* xv. & alibi in ſuis operibus paſſim. Habet etiam alios ſuae ſententiae adſtipulatores. Quam temere id totum atque inſcite adſeveretur alias conſcripta hac de re Diſſertatione demonſtravimus. At ſi verum eſſet, quod Nicaenis Patribus nimis confidenter adſerit *Clericus*, certe inſicias ire non poſſet, illos

M nulla

nulla alia de cauſſa id perſuaſum habuiſſe, niſi quia ſibi videretur huiuſmodi doctrina ex divinarum ſcripturarum oraculis ſatis ſuperque erui, & luculenter inſinuari. Inficiantem palmaris palam mendacii redarguerent quaecumque Patres, cum qui ante Nicaenam Synhodum floruere, quandoqnidem eos a nobis diſſentire cum *Petavio* aliiſque exiſtimat; tum qui eidem Synhodo interfuere, literis mandaverunt: omnes enim ſuarum adſertionum fontem & originem ſacram ſcripturam proferunt, eamque paſſim advocant.

Ex erroribus igitur, quos fruſtra antiquis Theologis adfingere ille conatur, adverſus ipſum conſectarium deducere eſt: multa ſcilicet coeleſtibus literis contineri, quae non probe intellecta facile legentes in errorem non inducunt tantum, ſed trahunt: cuius rei & haereſes in Eccleſia diverſis temporibus exortae perſpicue fidem faciunt. Quare ſi minus *Tertulliano* adſentiri lubet, ita libro *De Praeſcriptionibus cap.* xxxix. ſcribenti: *Nec periclitor dicere ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex voluntate Dei diſpoſitas, ut haereticis materias ſubminiſtrarent, quum legam, oportere haereſes eſſe, quae ſine ſcripturis eſſe non poſſent*: certe eidem adquieſcendnm eſt libro, quem de *Reſurrectione carnis* inſcripſit, haec veriſſime proferenti: *Nihil autem mirum ſi & ex ipſius inſtrumento captentur argumenta, quum oporteat haereſes eſſe, quae eſſe non poſſent, ſi non & perperam ſcripturae intelligi poſſent*. Viro doctiſſimo adſtipulatur ὁ πάνυ *Auguſtinus Tractat. XVIII. in Iohan. Evang. cap.* v. §. 1. *Neque enim*, inquit, *natae ſunt haereſes & quaedam dogmata perverſitatis inlaqueantia animas, & in profundum praecipitantia, niſi dum ſcripturae bonae intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter adſeritur*. Nil igitur mirum, ſi & *Plato*, aliique ex aeternae veritatis oraculis, & recta doctrina falſa ſibi, erraticaque conſulta, perperam intelligendo, comparare potuerint; quando promtius erat & expeditius Ethnicis Philoſophis tres Deos, treſque differentes Hypoſtaſes ſubſpicari, quam unum tantum in tres perſonas ſine multiplicatione diſtinctum percipere, quod eſt a naturali intelligentia longe remotiſſimum.

Non

Non tres igitur eſſe Deos in coeleſtibus voluminibus edocemur: neve haec portenta Iudaica traditio praedicabat; ſed pluralitatem Divinitatis ex ſuboſcura & ambigua verborum expreſſione, vel ex ipſa abſtruſi dogmatis difficultate facile potuit a divinorum myſteriorum non probe conſulto deduci. Tempeſtive igitur a *Iuſtino Martyre*, *Tatiano*, *Clemente Alexandrino*, *Tertulliano*, *Euſebio*, *Lactantio* obſervatum fuiſſe ſupra monuimus, veritatem e puris Ebraicae doctrinae fontibus hauſtam ab Ethnicis Scriptoribus vanis temeratam fuiſſe commentis, & caducis mortalibuſque ratiocinationibus interpolatam, atque conruptam. Soli enim Dei verbo illud convenit: *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum: purgatum terrae, probatum ſeptuplum*.

Non tamen adeo quaecumque aut ex noſtris Scripturis, aut ex Iudaica traditione accepta in eorum libris habentur, immutata priſtinam faciem exuerunt, ut non adhuc multam habitu & lineamentis primae originis ſimilitudinem referant. *Vnde haec oro vos*, exclamabat in *Apologetico Tertullianus*, *Philoſophis aut Poëtis tam conſimilia? nonniſi de noſtris Sacramentis*. Et profecto omnibus antiquis Sapientibus adcommodari poteſt, quod de Poëtis tantum *Lactantius Firmianus Lib. VII. cap.* XXII. ſapienter pronuntiavit: *Quamvis igitur veritatis arcana in parte conruperint, tamen ipſa res eo verior invenitur, quod cum Prophetis in parte conſentiunt: quod nobis ad probationem rei ſatis eſt*. Et mox: *Conruperunt igitur Poëtica licentia quod acceperant: vel opinio veritatem per diverſa ora, ſermoneſque varios diſſipata mutavit*. Non vacat modo per vetuſtas Poëtarum fabulas excurrere, quas ſtatim & primore adſpectu nonniſi Ebraicae hiſtoriae imitamenta quaedam adgnoſcere eſt, & quae noſtram adſertionem mirifice comprobarent. Adeantur ſi lubet *Iuſtinus Martyr Apol. II. Tertullianus Apologetico*, *Euſebius* Caeſarienſis ἐν προπαρασκ. & inter recentiores eruditiſſimi viri *Sam. Bochartus in Phaleg*, *Voſſius De Origine Idololatriae*, *Huetius Demonſtrat. Evangel. Falconerius* in ſua *De Numo Apameenſi* Diſſertatione, *Edm. Dichinſonus* Libro, qui inſcribitur *Delphi Phoeniciſſantes*, ubi inter caetera Praefatione habetur: *Sin vero larvas, quas veritati [ne ἀμυήτοις innoteſceret]*

invidia praetendit, detrahamus ; & , quas error adcumulavit ; fabulas amoliamur, Graecis utique non defuiſſe ἀρχαίαν ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, doctrinamque ab antiquiſſimis veritatis, & ſapientiae promiſcondis pro comperto erit.

CAPVT X.

Plato *in Trinitatis Demiurgicae notitiam falſa ratiocinatione non venit.*

QVoniam vero non tantum adſerit *Clericus* Platonem alioſque Philoſophos ſola naturali ratiocinatione in Mentis ἐνυποστάτου cognitionem venire potuiſſe ; verum etiam ratiocinationem illam ſpeciatim adducit, quam vigilansne an altiſſimum ſoporem ſtertens neſcio, Philoſophis notitiam eiuſmodi addidiſſe perſuadere conatur, quamnam & qualem adferat videamus: *Sola ratiocinatione*, inquit, *coniuncta cum divinorum operum contemplatione potuerunt intelligere τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, hoc eſt eſſe quampiam intelligentem naturam, eamque perfectiſſimam, quae omnia fecerit, & omnia regat, aut per ſe aut per alium; imo vero intellexerunt, ut liquet ex ſermonibus Socratis apud Xenophontem, aliiſque eiuſmodi. Quum vero viderent Mundi opificem non temere & fortuito, ſed ſumma ratione omnia feciſſe, generaque ſingula omnium rerum, pro ſuis quaeque naturis, ſine mutatione conſervari ac propagari; heinc conlegit Plato poſt alios eſſe & alteram ſubſtantiam divinam primae illi proximam, quae vocaretur Ratio, ſeu λόγος, quae complecteretur aeterna atque immutabilia exemplaria omnium rerum, & per quam ſingula eſſent facta. Nec dixeris Rationem illam fuiſſe perfectionem Dei, non ſubſtantiam ſingulari exſiſtentia praeditam, nam Plato [recte ne an ſecus, nunc non quaerimus] ita ratiocinatus eſt.* Eaſdem nugas, & ineptias in *Prolegomenis ſuae Hiſtoriae Eccleſiaſticae Sect. II. cap.* 11. obgerere pariter non veretur.

At mirabilis ſapientiae & perſpicacitatis homo, num tibi Deus inlapſus, ut vates & divinus coeco impetu inſaniens haec veluti de Tripode funderes : *Ita Plato ratiocinatus eſt?* Memento te de *Platone*, non de *Epicuro*, aut Eretrienſi *Me-*

ne-

Digitized by Google

nedemo verba facere: hi quidem Dialecticam ut ſupervacaneam repudiarunt: illum autem tamquam rationalis philoſophiae parentem ſubſpiciunt omnes ac venerantur. In mentem revoca quae *Laërtius Diogenes* in eius Vita literis conſignavit. ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν, inquit, ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν, καὶ δεύτερον Αἴσχυλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν· οὕτως καὶ τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος πρότερον μὲν ἦν μονοειδὴς ὡς ὁ φυσικός. δεύτερον δὲ Σωκράτης προσέθηκε τὸν ἠθικόν. τρίτον δὲ Πλάτων τὸν διαλεκτικὸν, καὶ ἐτελεσιούργησε τὴν φιλοσοφίαν. *Ceterum ut olim Tragoediam prius quidem chorus ſolus agebat, poſtmodum vero Theſpis unum invenit Hiſtrionem, ut chorus interdum requieſceret: ſecundum poſtea Aeſchylus adiecit, & tertium Sophocles, atque in hunc modum Tragoedia conſummata eſt: ita & Philoſophiae ratio dudum circa unam tantum Phyſicae ſpeciem vertebatur: acceſſit Socrates & adiecit Ethicen: tertiam Plato Dialecticen addidit, & Philoſophiae extremam manum adpoſuit.* Quamquam id totum ita accipiendum eſt, ut intelligatur Platonem Dialecticen, qua alioquin & vetuſtiores, ſed parum diligenter, uſi fuerant, ut *Panthoides*, *Alexinus*, *Eubulides*, *Briſon*, *Dionyſodorus*, *Euthydemus Thurius*, quorum *Plato* quoque meminit in *Euthydemo*, & *Xenophanes Colophonius*, perfeciſſe, & exactiorem abſolutioremque reddidiſſe, ut recte animadvertit eruditus *Dacerius De Doctrina Platonis*.

Sed ſi minus ille eſt vates, & Deorum interpres, quandoquidem

> *Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,*
> *Non delubra Deûm, nec ab aethere Numina mittunt,*
> *Sed ſibi quiſque facit.*

praeſtigiator certe eſt & ἐπῳδὸς, utpote qui *Platonem* in *Eraſiſtratum* prodigioſa converſione transformaverit. Perhibent enim *Eraſiſtratum* omnia ex omnibus conſequi, & legitime deduci poſſe perperam & abſurde cenſuiſſe. Quare belle quidam, & lepide ex eo, quod in eius foci angulo ineſſet baculus, furioſum illum eſſe & inſanum, conſectarium exſiſtere dixit. At non adeo Philoſophorum ille facile princeps *Plato* di-

ſipuit, neque eius ſapientiae laus & aeſtimatio apud mortales homines exolevit, ut tam male argumentaretur; vel tam ridiculam conlectionem ab illo confectam fuiſſe in animum quis inducere poſſit. Quid igitur dicendum? Quum ex iis, quae praemiſit *Clericus*, nihil aliud deducere ſit, quam Deum omnia, quaecumque moliturus erat, provida mente praecepiſſe, atque ordinaſſe & diſpoſuiſſe ſapienter, quemadmodum & omnia ſapientiſſime regere ac moderari; quumque ex hiſce nullo pacto defluat, aut intelligatur Ratio ἐνυπόστατος: & tam congruat huiuſmodi conſectarium iis, quae praemiſſa ſunt, quam aeque exſiſtere poteſt etiamſi illa non praeiiciantur: Plato autem fuerit prudentiſſimus Philoſophus, & Dialecticae conſultiſſimus: Mentis igitur ἐνυποστάτου cognitionem non ex futili & ſtulta eiuſmodi argumentatione, ſed aliunde quaeſiviſſe dicendum eſt. Et falſa quidem ratiocinatio, & paralogiſmus in docto & ſapiente homine non praeſumendus eſt temere, ſed certis, & indubitatis argumentis comprobandus.

Porro inquiramus iam utrum in *Platonis* verbis, quibus ſempiternum & exſiſtens exemplum Deo rerum univerſitatem effecturo vendicat, per tenuia ſaltem veſtigia perſequi id, quod *Clerico* viſum eſt, ac tenere tandem valeamus. Inclutus igitur Philoſophus in *Timaeo* ita ſcribit: τόδε δὲ αὖ πάλιν ἐπισκεπτέον περὶ αὐτοῦ, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο. πότερον πρὸς κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, ἢ πρὸς τὸ γεγονός. εἰ δὲ μὲν καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος, ὅ, τε δημιουργὸς ἀγαθός, δῆλον ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπεν· εἰ δὲ (ὃ μηδὲ εἰπεῖν τινὶ θέμις) πρὸς τὸ γεγονός. παντὶ δὲ σαφὲς ὅτι πρὸς τὸ ἀΐδιον. ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος τῶν γεγονότων, ὁ δ' ἄριστος τῶν αἰτίων. οὕτω δὲ γεγενημένος, πρὸς τὸ λόγῳ καὶ φρονήσει περιληπτὸν, καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον, δεδημιούργηται. *Illud rurſus conſiderandum eſt de ipſo univerſo, ad quod exemplar Opifex illud ſit architectatus effeceritque, an ad illud quod idem ſemper eſt; an ad id quod genitum fuerit. Atqui ſi pulcer eſt hic mundus, & eius opifex bonus, perſpicuum eſt ipſum ad ſempiternum illud exemplum reſpexiſſe. Sin minus [quod dictu quidem nefas eſt] generatum exemplar ſibi propoſuit. At quilibet ſane perſpexerit ſempiternum exemplar ſibi Opificem propoſuiſſe. Quum vero mundus omnium genitorum pulcerrimus ſit,*

&

& ipſe ſit omnium cauſſarum optima, ad id profecto genitus & effectus eſt, quod ratione ſapientiaque comprehenditur, & ſemper idem eſt. At ea ſunt quae heic diſſerit Plato, ut nunquam ex illis conligere iure quis poſſit: *Hoc igitur exemplar ἐνυπό-στατον* eſſe debuit. Eſt enim ſempiternum exemplum ipſa quoque cognitio, quae Dei perfectio eſt, & qua cuncta quaecumque efficere decreverat, concepit primum atque intellexit, & certa admirandaque ratione diſpoſuit. Sed ſupervacanee omnino in Platonis Dialogis ridiculam *Clerici* ratiocinationem indagamus, quum iam exploratum ſit Platonem luculentiſſimo teſtimonio adſeverare ſe hanc a priſcis viris doctrinam veluti per manus traditam accepiſſe.

DE RECTA CHRISTIANORVM
IN EO QVOD MYSTERIVM
DIVINAE TRINITATIS
ADTINET SENTENTIA.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Quam veroſimile ſit ea, quae de Mente Mundi opifice Plato, *aliique Philoſophi dixere, ex Ebraeorum doctrina profluxiſſe.*

IAM vero, ut libro ſuperiore vidimus, non eſt dubitandum quin *Plato* ab aliis acceperit περὶ τοῦ λόγου doctrinam, quum & ipſe id diſerte fateatur, & *Plotinus* ſolerter advertat, & *Proculus* luculente praedicet, & multiplex ratio ſuadeat, & *Clericus* ipſe non diſſimulet. Subdit enim hic: *Rationem, quam & ideam vocat, deſcripſit quaſi ſubſtantiam; qua in re praeivit Platoni Timaeus, qui Ideam diſtinguit a Deo, & ſubſtantiam ſeorſim exſiſtentem habet initio operis ſui. Ait enim duas eſſe cauſſas ſummas, Deum & Neceſſitatem, & ad hanc quidem referri Ideam & Materiam*

Digitized by Google

teriam, quaſi συναίτια *cauſſas una cum Deo. Tum Ideam docet eſſe quidquam* ἀγεννάτοντε καὶ ἀκίνατον καὶ μένοντε καὶ τᾶς ταυτῆς φύσιος, νοατόντε, καὶ παράδειγμα τῶν γεννομένων, ὁκόσα ἐν μεταβολᾷ ἐντί. *Ingenitum, & immotum, & manens, & eiuſdem naturae, ac intelligibile exemplar genitorum omnium, quae in mutatione ſunt.* Quae pariter habet *Prolegomenon ſuae Hiſtoriae Eccleſiaſticae Sect. II. cap.* 11. ubi item addit: *Videri Platonem, quae de tribus rerum omnium principiis habet, Timaeo & aliis forte debere.* Immo veritate ipſa coactus in *Notis in Oracula Chaldaica*, quum de Mente, & Anima, de quibus *Plotinus Lib. IX. Ennead. II.* loquutus eſſet, ita infit: *Haec quum nihil adſine habeant Graecae Mythologiae, admodum veriſimile eſt ab iis populis, qui ſublimius de Deo philoſophabantur, eumque* Ανθρωποφυῆ *eſſe negabant, ad Platonem, eiuſque diſcipulos manaſſe.* Sed quibus debeat iam *Plato* dixit, & doctiſſimi Platonicorum notavere.

Animadvertendum eſt interea Platonem illud ipſum intelligibile & ſempiternum exemplar ἔνεργον feciſſe, atque adfirmaſſe ab eo mundum effectum fuiſſe propius quam a primo Deo, οὗτος, inquit ille in Timaeo, δὴ πᾶς ὄντως ἀεὶ λογισμὸς Θεοῦ περὶ τὸν ποτε ἐσόμενον Θεὸν λογισθεὶς λεῖον καὶ ὁμαλὸν πανταχῆτε ἐκ μέσου ἴσον, καὶ ὅλον καὶ τέλεον ἐκ τελέων σωμάτων σῶμα ἐποίησε. *Hic ergo qui revera ſemper eſt omnis Ratiocinatio Dei, de futuro Deo ratiocinatus, levem eum effecit aequalemque & undique a medio parem, ac totum ac perfectum corpus e perfectis corporibus.* In *Epinomide* vero mundi mentione facta illico ſubiicit: ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν. *Quem fecit Ratio omnium diviniſſima conſpicuum.* Quae quum reſpondeant iis, quae *Iohannes* initio ſui Evangelii, & *Paulus* cum ad Coloſſenſes, tum ad Ebraeos epiſtola graviter & ſapienter eloquuntur, videamus iam quam proclive ſit intelligere huiuſmodi placitum ex arcana Iudaeorum ſapientia ad Ethnicos profluxiſſe, ſive Iudaicas illi ſcripturas aut aliquando legerint, aut ab aliis lectas enarrari & diſſeri audiverint; ſive ex conloquiis & conſuetudine, quam cum Iudaeis habuere, eam doctrinam hauſerint; ſive ex antiquiſſima diſperſorum Noachi poſterorum traditione in varias ea gentes derivata promanaverit.

Et

Digitized by Google

Et profecto quam perſpicue, quam multipliciter in divinis Ebraeorum literis de Sapientia, vel Ratione opifice conſultum inſinuatur? Ipſe quidem lubenter ſilentio tranſiliam quae in *Geneſeos* libro ſempiternum & ἐνυπόστατον mundi exemplar exhibentia deprehenderunt *Philo*, & *Iuſtinus Martyr*, & *Clemens* Alexandrinus, & in *Salomonis* libris veſtigia premam atque conſiſtam, ut ex illis Iudaeorum dogmata depromantur. *Capite* igitur *Proverbiorum* VIII. ita *Salomon* Sapientiam de ſe loquentem inducit: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant: nec dum montes gravi mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, flumina, & cardines orbis terrae. Quando praeparabat Coelos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, quando aethera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum ſuum & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terrae. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum, & deliciae meae eſſe cum filiis hominum.* Forte in his verbis *Clericus* aliud neſcio quid introſpicit acutiſſime: ſed vel *Plato*, vel quicumque alius vetuſtiorum Sapientum ex ipſo eiuſmodi loquutionum cortice & ſuperficie luculente cognoſcere potuit ita de Sapientia apud Iudaeos agi & doceri, ut non Dei perfectionem illi, ſed exſiſtentem ὑπόστασιν Sapientiae nomine intelligant. Quid enim aliud ſignificantius inſinuat illud, *Dominus poſſedit me?* LXX. legunt, & magis ad rem, *Creavit me*, verba Ebraea ſonant, *Genuit me*. Quid, *Ab aeterno ordinata ſum*, & *ex antiquis ante quam terra fieret?* vel ut fons Ebraeus habet, *A ſaeculo coronata ſum?* Quid, *Quando praeparabat coelos aderam?* Quid, *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore?* ſeu magis placet quod Ebraeus contextus exhibet, *Equidem fui prope eum nutritius, & fui in deliciis quotidie ridens coram eo omni tempore?* Quid, *Deliciae meae eſſe cum filiis hominum?* Aliud ne haec omnia audientis ſenſibus ingerunt,

quam

Digitized by Google

quam *Salomon* Sapientiam vocat, eſſe aliquid ἐνυποςάτυ & exſiſtentis, rerum cauſſam una cum Deo, quod cuncta ſimul effecerit, compoſuerit, exornaverit? quod ante ſaecula genitum, ante rerum etiam omnium effectionem exſtiterit?

Porro alii quoque Ebraeorum Scriptores, qui aliquid deinceps commentati ſunt, Sapientiam ἐνυπόςατον & exſiſtentem a Salomone deſcriptam fuiſſe aperte & dilucide intellexere, quando, & ipſi, & ii praecipue qui Salomonis imitationem, eiuſque librorum ſimilitudinem adfectavere, de ea ſemper tamquam de aliquo exſiſtente loquuti ſunt. Ita fecit libri, qui *Sapientia* inſcribitur, Auctor, ut inferius opportune demonſtrabimus; ita *Ieſus Siracides*, qui in ſuo libro *Eccleſiaſtici* titulum praeſeferente, quem videtur *Antiochi Epiphanis* aetate ſcripſiſſe, cum *capite* I. tum XXIV. Salomonis documenta aemulatus, προτέρα πάντων, inquit, ἔκτιςαι σοφία: *Prior omnium creata eſt Sapientia*. Et mox: αὐτὸς ἔκτισεν αὐτήν. *Ipſe creavit illam.* Et alio loco laudato ita de Sapientia ait: ἐγὼ ἀπὸ ςόματος ὑψίςου ἐξῆλθον. *Ego ex ore altiſſimi prodivi.* πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέν με, καὶ ἕως αἰῶνος οὐ μὴ ἐκλίπω. *Ab initio, & ante ſaecula creata ſum, & uſque ad futurum ſaeculum non deſinam.*

Eo autem proclivius comprehendere eſt heic vere a *Siracide* Sapientiam exſiſtentem intelligi, quod *cap.* LI. Domino Deo ſuo filium manifeſte ac perſpicue tribuat. Επεκαλησάμην, inquit, κύριον πατέρα κυρίου μου, μή με ἐγκαταλιπεῖν ἐν ἡμέραις θλίψεως, ἐν καίρῳ ὑπερηφάνων ἀβοηθησίας. *Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in diebus tribulationis, in tempore ſuperborum ſine adiutorio. H. Grotius*, homo quidem impenſe doctus, ſed Socianorum fautor apertiſſimus, divinarum perſonarum pluralitatem tam luculente ab hoc Scriptore invehi cognovit, ut eum a Chriſtianis fuiſſe interpolatum, temere de more ſuo adfirmaverit, & pro ἐπεκαλησάμην κύριον πατέρα κυρίου μου: ἐπεκαλησάμην κύριον πατέρα μου legendum eſſe pertenderit. Hunc tamen doctiſſimus *Iac. Benign. Boſſuetus*, Epiſcopus Meldenſis, egregie ac ſolide refutans, incorruptam volumini veritatem facillime vindicavit. Sed ipſi quoque Iudaei probe percepere in hoc opere quamdam divinarum ὑποςάσεων pluralitatem inſinuari, ideoque *Gemara* explicat deciſionem

Tal-

Digitized by Google

Talmud, quae extraneorum, & canoni minime inſertorum librorum lectionem prohibet, *ut eſſet*, inquit, *Ben-Sira*; & quamvis *Gemara* involutam quamdam & obſcuram reprobationis cauſſam reddat, tamen *R. Salomon* diſerte adfirmat ideo librum illum reiectum fuiſſe, quod perſonarum in Deo numerum conſtitueret. Alii quidem aliter ſentiunt, & de alio *Ben-Sira* intelligunt, ſed fruſtra ſunt, ut obſervat etiam in Commentariorum in eum librum Praefatione *Calmetius*.

Poſtrema *Siracidae* verba, quae protulimus, nobis in memoriam revocant, quae Scriptor *Sapientiae cap.* II. de Filio Dei habet: καὶ παῖδα κυρίου ἑαυῖὸν ὀνομάζει. *Et filium Dei ſe nominat*. Et, καὶ ἀλαζονεύεῖαι παῖέρα Θεὸν. *Et gloriatur patrem habere Deum*. Et, εἰ γάρ ἐςι ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ. *Si enim Iuſtus eſt filius Dei*. Sunt impii adverſus Iuſtum, qui ſe filium Dei dicit, obloquentes ea, quae aperte indicare poſſunt, fuiſſe olim apud Iudaeos de quodam Filio Dei credulitatem.

Nec mirari ſubit ſi hi inferioris aevi Scriptores talia de Dei filio literis mandavere, quum perpetua fuerit ac conſtans inter Iudaeos ſententia, Prophetam illum a Deo promiſſum, qui mortalium genus vindex ac redemtor in veram libertatem adſereret, Deum eſſe futurum. Multa, ut hanc veritatem in propatulo conlocaremus, primo huius commentarii volumine expedivimus, modo autem adiicere lubet, *Eſaiam* quoque *cap.* IX. futuro Chriſto Divinitatem diſerte vindicaſſe, de eo enim vaticinans ſcribit: *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis*. אל *Fortem*, non *Deum* heic ſignificare contendit *Bodinus De abdit. rerum ſubl. Arcan. Lib. V.* Sed tum cur *Fortis* addere, ut bis habeatur *Fortis? Aquila* quidem & *Symmachus* vertunt ἰσχυρὸς δυναῖὸς: *Theodotio* vero ἰσχυρὸς δυνάςης: ſed *Aquila* & *Teodotio* proſelyti erant Iudaei, *Symmachus* autem Ebionita: adeoque ipſis minus deferendum. Lxx. e contra habent, Θεὸς, ἰσχυρὸς, ἐξουσιάςης. *Deus, robuſtus, potens*. Huc facit etiam dilemma illud, & argumentum validiſſimum, quod tali ratione concinnat vir longe doctiſſimus *P. Dan. Huetius Propoſ. IX.* ſuae *Demonſtrationis Evangelicae*. Quum *Ieſus* Meſſiam ſe, ut erat, apud Iudaeos ferens, θεότηῖα quoque ſuam praedicaret, *Ego & Pater unum ſumus*, quod in-

indignantes Iudaei, reſpondebant, *Tu homo quum ſis facis teipſum Deum*: vel *Ieſum* quis fatebitur fuiſſe Meſſiam, proindeque quum ſeipſum Deum fecerit, Deum fuiſſe fateri cogetur; nam ſi non fuiſſet, quis credat Meſſiam, virum quippe ſanctum & pium, tam nefariae & atrocis impietatis ſe adligaſſe, ut non divinos ſolum honores ambiret, ſed Dei quoque interverteret titulos, ſibique adſciſceret? vel *Ieſum* Meſſiam fuiſſe negabit, & neceſſe ſaltem habebit adgnoſcere, quum ſe Meſſiam ſimul & Deum eſſe iactaret, haudquaquam id fuiſſe facturum, niſi Iudaeis perſuaſum fuiſſet, eum, quem expectabant, Meſſiam Deum fore. Ex quo pariter liquet Iudaeos de Meſſiae divinitate, placito maiorum ſibi veluti per manus tradito, recte ſapienterque ſenſiſſe.

Vt autem ad Salomonis *Sapientiam* regrediamur, Iudaeus etiam *Ariſtobulus*, de quo alibi mentionem fecimus, & qui ſub Ptolemaeo Philometore floruit, Sapientiam Salomonis libro deſcriptam, ἐνυπόστατον & exſiſtentem intellexiſſe videtur, nobiſque adſtipulatur Caeſarienſis *Euſebius Lib. VII. Praepar. Evang. cap.* v. Verba *Euſebii* ſunt quae ſequuntur. Καὶ Ἀριστόβουλος δὲ ἄλλος Ἑβραίων σοφὸς ἀνὴρ καὶ κατὰ τὴν τῶν Πτολεμαίων ἀκμάσας ἡγεμονίαν, κυροῖ τὸ δόγμα ὡς πάτριον, αὐτῷ Πτολεμαίῳ τὴν τῶν ἱερῶν νόμων προσφωνῶν ἑρμηνείαν, ἐν ᾗ τάδε φησί. Μεταφέροιτο δ᾽ ἂν τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῆς σοφίας· τὸ γὰρ πᾶν φῶς ἐστὶν ἐξ αὐτῆς. διὸ καί τινες εἰρήκασι τῶν ἐκ τῆς αἱρέσεως ὄντες ἐκ τοῦ Περιπάτου, λαμπτῆρος αὐτὴν ἔχειν τάξιν, ἀκολουθοῦντες γὰρ αὐτὴν συνεχῶς, ἀτάραχοι καταστήσονται δι᾽ ὅλου τοῦ βίου. σαφέστερον δὲ καὶ κάλλιον τῶν ἡμετέρων προγόνων τις εἶπε Σολομῶν πρὸ οὐρανοῦ καὶ γῆς αὐτὴν ὑπάρχειν. *Ariſtobulus quoque, alius item eruditus Ebraeorum Scriptor, qui Ptolemaeorum imperio floruit, eamdem ſententiam genti defendit vendicatque ſuae, Ptolemaeo ipſi divinarum literarum interpretationem inſcribens, ubi haec inter cetera. Quamquam in ſapientiam transferri hoc quoque poſſit, quum ex ea lux univerſa prodierit. Itaque ex Peripateticorum ſchola nonnulli, facis eam inſtar eſſe voluerunt, quod qui eius ductum conſtanter ſequuti erunt, ii toto vitae ſuae tempore ab omni perturbatione vacui ſint futuri. Verum id clarius ſimul ac melius Salomon e maioribus noſtris unus expreſſit, quum eam coeli terraeque molitione priorem eſſe dixit.* Iam

Iam patet, arbitror, origo prima, & ſcatebra, unde de Mente, ſeu Idea, ſeu Ratione mundi opifice opinio derivari potuit: illud enim fons & exordium, quod eſt antiquius: antiquior autem, & omnes alias praecedens doctrinas ſacra Iudaeorum religio, & coeleſtis atque arcana ſapientia.

C A P V T II.

Quae ab Ebraeis Sapientia, cur λόγος a Graecis Philoſophis adpelletur.

ETſi praeclarum illud *Lactantii Firmiani* effatum, *nihil obſtant verba quum ſententia congruat veritati*, memoriae noſtrae altius haereat infixum, & veriſſimum eſſe intelligatur; tamen quoniam cunctis difficultatibus obviam ire decrevimus, & in illud inquirendum eſt, cur ſi Ethnici Philoſophi a Iudaeis de Sapientia rerum opifice doctrinam accepere, nomen etiam non retinuerint, ſed eam λόγον, *Rationem* ſcilicet, adpellaverint. Non enim *Plato* tantum, ſed *Epicharmus* etiam apud *Clementem Alexandrinum*, & *Heraclitus* Epheſius eo nomine uſi ſunt. Scribit enim apud Euſebium Caeſarienſem *Amelius* his verbis: καὶ οὗτος ἄρα ὁ λόγος καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα τὰ γενόμενα ἐγίνετο, ὡς ἄν, καὶ ὁ Ἡράκλειτος ἀξιώσειε. καὶ νὴ Δι' ὃν ὁ Βάρβαρος ἀξιοῖ, ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξειτε καὶ ἀταξίᾳ καθεστηκότα πρὸς Θεὸν εἶναι, δι' οὗ τὰ πάντα ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶον, καὶ ζωὴν εἶναι καὶ ὂν πεφυκέναι. *Haec itaque illa Ratio per quam ſemper ſunt, quae facta ſunt, quomodo & Heraclitus cenſuit: eadem profecto quam Barbarus ille indicat in primo rerum conditu, imo & incondito ſtatu Deo adſtitiſſe, per quem omnia omnino facta, in quo id quod ſit animal, & vitam & eſſe ſuum haberet.*

At forte Graeci hi Sapientes, & ſi qui alii ita Hypoſtaſin illam Demiurgicam indigitavere, quum non adeo deſiperent, ut quod *Democrito*, *Leucippo*, & *Epicuro* placuit, mundum temere fortuitoque atomorum concurſu coaluiſſe exiſtimarent: ſed non ſine ſummo conſilio, & divina prorſus ratio-

tione effectum fuiſſe recte & prudenter arbitrarentur: intelligere primore adſpectu potuere quam Sapientiam rerum univerſarum opificem alii nominaverant, illam eamdem eſſe Rationem, qua Deus omnia produxerit atque exornaverit, & ſine qua nunquam Deus exſtiterit, ut egregie diſſertat *Evodius* Auguſtino ſcribens *Epiſtola CCVIII.* Quumque illam exſiſtentem & ἐνυπόστατον deſcribi viderent, Rationem quoque eiuſmodi introduxere, diverſiſque inſignivere nominibus, quae idem prope ſunt & ſignificant, atque Sapientia. Nam & λογισμὸς Θεοῦ & Mens, & Intellectus, & Idea *Platoni* dicitur: quae quidem vocabula cum Sapientia veteres confudiſſe praeclariter demonſtrat eiuſdem *Platonis* locus, qui in *Philebo* ſic habet: οὐκοῦν, εἰ μὴ τοῦτο, μετ' ἐκείνου τοῦ λόγου ἂν ἑπόμενοι, βέλτιον λέγοιμεν· ὡς ἔστιν ἃ πολλάκις εἰρήκαμεν, ἄπειρόντε ἐν τῷ παντὶ πολὺ καὶ πέρας ἱκανόν. καί τις ἐπ' αὐτοῖς αἰτία οὐ φαύλη, κοσμοῦσατε καὶ συντάττουσα ἐνιαυτούς τε καὶ ὥρας καὶ μῆνας σοφία καὶ νοῦς λεγομένη δικαιότατ' ἄν. *Quamobrem rationem illam ulterius proſequentes licebit adſerere ea, quae ſaepenumero diximus, infinitum prorſus in hoc univerſo conſiſtere, ſufficientemque terminum cauſſamque illis haud ignobilem ſemper adeſſe ornantem diſponentemque horas, & menſes, & annos, Mentem & Sapientiam merito nuncupatam.* Et hunc quidem Platonis locum de Mente, ſeu Intellectu, & Ratione Platonici exponunt, ut *Proclus* in *Theol. cap.* v. §. XXIII. ubi ait Socratem in *Philebo* ὑποτίθεσθαι νοῦν τὰ πάντα διακοσμεῖν, ὥσπερ οἱ πρὸ αὐτοῦ σοφοὶ, καὶ τόντε ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ πᾶσαν τὴν περιφορὰν διακυβερνᾷν. *Statuere a Mente omnia diſponi, ut Sapientes qui ante eum fuerunt, & Solem, & Lunam, & univerſam circumactionem ab eadem regi.* Id totum, quod adſeruimus, egregie confirmatur a Platonico *Porphyrio* περὶ τοῦ ἐν Ὀδυσσείᾳ τῶν Νυμφῶν ἄντρου, ubi ait: ἐπεὶ γὰρ ὁ κόσμος οὐκ εἰκῆ, οὐδ' ὡς ἔτυχε γέγονεν, ἀλλ' ἐστὶ φρονήσεως Θεοῦ, καὶ νοερᾶς φύσεως ἀποτέλεσμα· παραπεφύτευται τῇ εἰκόνι τοῦ κόσμου τῷ ἄντρῳ, σύμβολον φρονήσεως Θεοῦ, ἡ ἐλαία. Ἀθηνᾶς μὲν γὰρ τὸ φυτόν. Φρόνησις δὲ ἡ Ἀθηνᾶ. Κρατογενοῦς δ' οὔσης τῆς Θεοῦ, οἰκεῖον τόπον ὁ θεολόγος ἐξεῦρεν ἐπὶ κρατὸς τοῦ λιμένος αὐτὴν καθιερώσας· σημαίνων δι' αὐτῆς, ὡς οὐκ ἐξ αὐτοματισμοῦ τὸ ὅλον τοῦτο, καὶ τύχης ἀλόγου ἔργον γέγονεν· ἀλλ' ὅτι φύσεως νοερᾶς καὶ σοφίας ἀποτέλεσμα, χωρίσης μὲν οὔ-

σης

Digitized by Google

σης ἀπ᾽ αὐτοῦ· πλησίον δὲ κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ σύμπαντος λιμένος ἱδρυμένης. *Quum enim mundus non temere, & caſu exſtiterit; ſed Sapientiae Dei, & intellectualis Naturae ſit opificium; antro, quod mundi imaginem gerit, oliva adponitur, Sapientiae divinae ſymbolum. Nam Minervae planta eſt: Minerva autem Sapientia. Quae quum ex Dei vertice nata ſit: proprium ei locum Theologus reperit, dum in ipſo portûs vertice conſecrat. Significans ea ipſa, univerſum hoc non motûs temerarii, nec fortuiti caſûs opus eſſe; ſed Naturae intellectualis, & Sapientiae abſolutiſſimum artificium: quae ab ipſo quidem opere ſeparata: prope tamen in totius portûs capite ſita eſt*. Ecce heic Ratio illa univerſitatis effectrix, Sapientia & Prudentia Dei eſſe dicitur, & ἐνυπόστατος, & a mundo ſeparata conſtituitur, eo quod adeo elegans opificium, nonniſi ſapientiae, & rationis opus eſſe potuerit. Itaque mirum non eſt ſi *Plotinus* περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων *cap.* IV. Mentem vocat *Praeſidem intemeratum*, & *Sapientiam inaeſtimabilem*. τὸν ἀκήρατον νοῦν προστάτην, καὶ σοφίαν ἀμήχανον. Sed minime Graecorum nominum, rationem quum de Barbara Sapientia agitur, habendam ut plurimum eſſe ſatis liquet ex iis, quae *Clericus* paſſim habet in *Indice Philologico ad Hiſt. Philoſ. Oriental. Thomae Stanleii*; ex iis enim conſtat Graecos Barbara nomina vocabulis ſibi uſitatis perſaepe mutaviſſe, quum inter res ſignificatas ſimilitudinem quamdam intercedere arbitrarentur: quamquam id temere etiam interdum feciſſe deprehenduntur.

Quid quod λόγος *Sermonem* quoque ſignificat? num quia *Moſes*, & alii ſacri Scriptores inducunt Deum omnia facientem διὰ λόγου, hoc eſt ῥήματος *per verbum*, viſa eſt vox λόγος, ut δευτέραν ὑπόστασιν denotarent, Iudaicae doctrinae congruenter uſurpari? Ludere id demum eſt, inquit *Clericus*, ambiguitate vocis λόγος, quae Graece & *Rationem*, & *Sermonem* ſonat. Addit inſuper ſacros Scriptores Deum inducere omnia facientem διὰ λόγου, hoc eſt ῥήματος, ut deſcribant maximam eius potentiam, & ſpiritalem agendi rationem, quam vocis imperio exprimunt. Quid ſuper hoc de Ebraica doctrina ſenſerint, & quomodo eam acceperint Ethnici diiudicare & adfirmare non auſim: Iudaei certe λόγον aut *Sermonem* inde exſiſtentem intelligere ac comprehendere potuiſſent, ſi uti magnus

gnus

Digitized by Google

gnus *Auguſtinus* ratiocinati unquam eſſent. Hic enim eorum, quos *Confeſſiones* inſcripſit, Librorum *XI.* ita ſubtiliter & acute diſſertat: *Si ergo*, inquit Deum compellans, *verbis ſonantibus & praetereuntibus dixiſti, ut fieret coelum & terra, atque ita feciſti coelum & terram, erat iam creatura corporalis ante coelum & terram, euius motibus temporalibus temporaliter vox illa percurreret. Nullum autem corpus ante coelum & terram. Aut ſi erat, id certe ſine tranſitoria voce feceras, unde tranſitoriam vocem faceres, qua diceres ut fieret coelum & terra. Quidquid enim illud eſſet, unde talis vox fieret, niſi abs te factum eſſet, omnino non eſſet. Vt ergo fieret corpus, unde iſta verba fierent, quo verbo a te dictum eſt? Vocas itaque nos ad intelligendum verbum, Deum apud te Deum, quod ſempiterne dicitur, & eo ſempiterne dicuntur omnia*. Atque ita quidem ille.

C A P V T III.

Vox λόγος etiam a Iudaeis Scriptoribus uſurpata ad divinam hypoſtaſin ſignificandam.

SEd & apud Iudaeos, & divinos Scriptores vocabulum λόγος reperire eſt eo intellectu donatum, ut divinam hypoſtaſin ſignificaret. Inſignis enim, & notatu digniſſimus eſt *Sapientiae* locus, in quo & exſiſtens natura λόγος nominatur, & Deus ſplendida & magnifica oratione deſcribitur. At priuſquam ad eum proferendum adgrediamur, praefari quaedam atque praeſtruere neceſſe eſt.

Sapientiae liber, quamvis ob doctrinae ſimilitudinem *Salomonis* alias nomen inſcriptum praetulerit, incerto tamen Auctore circumfertur. Eius Auctor inter Eſdrae aetatem, & Simonis ſacerdotium vixiſſe *Grotio* videtur. Poſt ſeptuaginta Viros autem, & ipſum Ieſum Siracidem, ſub Machabaeorum principatu eum ſcripſiſſe autumat eruditus *Calmetius*. Qua lingua primum hic liber exaratus fuerit in ſententiis eſt *Grotius* vult a principio Ebraice ſcriptum fuiſſe, deinde a Chriſtiano quodam in Graecum idioma converſum, atque interpolatum fuiſſe ſolita temeritate perſeverat. Et quidem *R. Moy-*

ſes Ben-Nachman in *Praefatione Pentateuchi* librum Chaldaice ſeu Syriace ſcriptum laudat, quem *Magnam Sapientiam* vocat, & quidquid ex eo refert cum hoc, quem hodiedum Graecum habemus, *Sapientiae* libro penitus congruit. Nihilo tamen minus probabilius eſt hoc opus primum Graeco ſermone ab aliquo Iudaeo Helleniſta fuiſſe compoſitum, & deinde in Chaldaicam linguam ab alio Iudaeo converſum, ut *Rich. Simonius Lib. I. Hiſt. Crit. V. T. cap.* VIII. & *Calmetius* in huius voluminis Praefatione animadvertunt. Eius enim phraſes, & totius orationis contextus nihil Ebraiſmi ſonant, aut redolent, ſed ubique Scriptor ſe Graece non perfunctorie eruditum prodit, & Graecos poëtas, Philoſophoſque evolviſse perſpicue oſtendit. Ex hoc profluit, quod *cap.* XIV. *verſ. 6.* Ethnica veluti loquutione de Gigantibus diluvio pereuntibus mentionem facit: quod *cap.* I. *verſ.* 14. Plutonis regnum commemorat; quod *cap.* XIX. *verſ.* 20. Ambroſiam nominat: & id genus alia apud eum reperire eſt. Eius ſtylus eſt tumidus, & crebris epithetis ampullatur, obſcurus etiam interdum, ubique autem poëticus & figuratus.

Huius Scriptoris ſcopus atque propoſitum fuiſſe videtur Ethnicis hominibus per obliquos diſcrepantium ſectarum tramites longe a veritate aberrantibus veram verae ac divinae ſapientiae notitiam, & illius originis & finis comprehenſionem tradere. Ideoque ut eos ad ſui lectionem facile adliciat ac trahat, quibuſdam veluti orationis inlecebris, & conquiſitorum elegantiumque verborum lenociniis ſermonem phaleratum adſpergit, quatenus Graeca in Iudaeo homine eruditio patiebatur. Heinc ut notiora ſemper, & quae Ethnici ipſi in divinis Scripturis offendere poſſent, ingereret, LXX. Interpretum translatione perpetuo utitur. Totum autem id haudquaquam prohibet, ne ſub profanorum, ut ita dicam, verborum cortice puram putamque Iudaicam doctrinam abſconderit, & nihil in ſententia a maiorum ſuorum documentis & traditione deviaverit. Quare fruſtra omnino eſt *Ioh. Clericus* dum *Sapientiae* librum Platonici cuiuſdam lucubrationem eſſe contendit, ut videre eſt *Part. III. Art. Critic. Sect. II. c.* IV. Sed tantum abeſt ut hic alicubi Scriptor Platonicum agat,
quin

quin potius tam bene ſe Salomonem exprimere credidit, ut ſub eius imagine & ſimulacro prope latitare tentaverit. Quamobrem ſe tamquam Iudaeae gentis regem, & multiplici ſapientia ac doctrina praeſtantem deſcribit, ſeque templum Deo, & altare in monte ſancto aedificaſſe ait, *cap.* VII. & IX. Quod quidem facit, & ut optimi & ſapientiſſimi regis exemplar in Salomone principibus obſerat, & ut unde potiſſimum ſua dogmata & doctrinam derivaverit, legenti ſubindicet.

Sed quis dicat, *Sapientiae* librum Philonis eſſe opus, veterum nonnullis adcreditum fuiſſe, ut *Hieronymus* in *Praefatione in libros Salomonis* teſtis eſt locupletiſſimus. Verum *Philone* eum multo antiquiorem eſſe vel argumento eſt, quod in novi foederis commentariis, certiſſimae ſunt & numero quidem plures huius Auctoris imitationes, quas videre eſt apud *Calmetium* in *Praefatione in Sapientiam*. *Philo* autem anno aerae vulgaris XL. florebat, quare Evangelia vel eius aetate, vel paulo poſt ſcripta fuere, quemadmodum & reliqui novi teſtamenti libri. Nec quis, ut *H. Grotius*, obiecerit, ea loca ab aliquo Chriſtianorum *Sapientiae* libro inſerta fuiſſe: nam & id principii, ut vocant, petitio eſſet; & temere omnino, nullaque auctoritate & teſtimonio, ut iam notavimus, adfirmaretur. *Clemens* inſuper Romanus in *Epiſtola I.* §. XXVII. verba ex hoc libro citat, eo tamen minime laudato. Eius quoque auctoritate funguntur *Tertullian. III. contra Marcion.* & *Clemens Alexandrinus* qui illum *Lib. VI. Stromatum* tamquam Salomonis foetum laudat, ſicuti *Cyprianus Lib. II. adverſ. Iudaeos* §. XIV. & alibi, quod etiam obſervabant viri doctiſſimi *Nic. Nourryus Adpar. ad Biblioth. Maximam Patrum Lib. III. Diſſert. II. cap.* III. *Art.* III. *& Calmetius Diſſertatione de Canonica Libri Sapientiae auctoritate*. Quid quod & *Auguſtinus* huius libri tamquam Prophetici rationem habet? & idem adprobatur in Concilio Sardicenſi anni CCCXLVII. & Hipponenſi anni CCCXCIII. can. XXXVIII. & Carthaginienſi ſub Syricio Papa anni CCCXCVII. can. XXXXVII. quod quidem *Philonis* operi, non ſecus ac aliis eiuſdem voluminibus, nunquam contigiſſet? *Euſebius* inſuper, & *Hieronymus*, & *Photius* in operum Philonis recenſione, hunc ei minime adtribuunt. Sed ſtylus ipſe non eſſe *Philonis*

foetum oſtendit, & diſcrepans in multis utriuſque auctoris ſententia.

Quum igitur *Sapientiam* a Philone ſcriptam non fuiſſe conſtet, nec alium Philonem Iudaeum comminiſci ſit Alexandrino vetuſtiorem, ut quidam perperam faciunt, inſpiciamus iam quibus rationibus & argumentis *Clericus* a Platonico quodam librum illum fuiſſe contextum probatum eat. In illo, inquit loco laudato, & *Epiſtola IX.* animarum προϋπαρξις inſinuatur. At quorſum iſthaec? Num *Plato* ſolus eam invexit? An non ab aliis acceptam in ſua decreta traduxit? Non Druidas heic, & Thracas, & Brachmanas, & Celtas, & Barbaros omnino Sapientes memoraverim: ſed *Pythagoras*, & *Empedocles*, ſed his antiquiores Aegyptii, ſed Chaldaei, & Magi, ut iam Libro primo demonſtravimus, nonne illam una cum μετεμψυχώσει credidere? Quid ſi illud Moſis, *Septima die requievit ab omni opere quod patrarat*, uti *Nemeſius* intellexiſſet? ſi illud, *Maior ſerviet minori; &, Iacob dilexi, Eſau vero odio habui*, ut *Origenes* in libris περὶ ἀρχῶν, *& Tom. V. in Iohannem* interpretatus eſſet? Quid ſi illud Pſalmi LXXXIX. *Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem: priuſquam montes fierent aut formaretur terra & orbis: a ſaeculo & uſque in ſaeculum tu es Deus*, ut nonnulli apud *Hieronymum Epiſtola CXXXIX. ad Cyprianum* legiſſet, & diſtinxiſſet? Nonne Iudaeis animarum praeexiſtentiam paſſim fuiſſe adcreditam, ex multis coeleſtium oraculorum locis eruere eſt? Haud ierim quidem inficias a Scriptore *Sapientiae* lectum forte eſſe Platonem, πολυμαθὴς enim fuiſſe videtur: ſed eum eſſe Platonicum, aut Platonica conſulta, non Iudaica interdum inferre, & ipſe intrepide negaverim, & adverſarius nunquam comprobabit. Ceterum haec diſſerui, ut quam languide & frigidiuſcule eiuſmodi a *Clerico* effutiantur, liquido conſtet: nam praexiſtentiam animarum ab eo Scriptore nullo modo inſinuari Interpretes erudítiſſimi doctis commentationibus enodate & perſpicue demonſtravere.

Aliud *Clerici* argumentum ad revincendum eius Scriptoris Platoniſmum eſt, vocem λόγος eo ſenſu, quo ea hic Auctor utitur, nonniſi e Platone, aut Platonicis peti potuiſſe.

Quid

Quid ſi potius ex *Heraclito* petierit? Nonne & is, *Amelio* teſte, λόγον ἐνυπόϛαἶον introduxit? Quid ſi ex Pythagoreis, quos Ideam λόγον etiam adpellaviſſe, vel ex *Epicharmo* conſtare poteſt? Canit enim ille in πολιἶείᾳ.

Εἴ ἐϛιν ἀνθρώπῳ λογισμὸς, ἐϛι καὶ θεῖος λόγος.
Ο λόγος ἀνθρώπῳ περὶ βίου καὶ τᾶς τροφᾶς·
Ο δέ γε τὰς τέχνας ἅπασι συνέπεἶαι θεῖος λόγος.
Εκδιδάσκων αὐἶὸς αὐἶοὺς ὅ, τι ποιεῖν δεῖ σύμφερον.
Οὐ γὰρ ἄνθρωπος τέχνας εὗρ᾽· ὁ δὲ Θεὸς ταὐἶαν φέρει.
Ο δέ γε τἀνθρώπου λόγος πέφυκ᾽ ἀπὸ τοῦ θείου λόγου.
Si eſt homini ratiocinatio, eſt & divina Ratio,
Ratio ineſt homini in iis quae ad victum pertinent, & alimenta.
Artes autem apud omnes divina conſequitur Ratio,
Quae ipſa eos docet quidnam utile facere oporteat.
Non enim homo invenit artem, ſed ipſam adfert Deus.
Hominis autem ratio orta eſt ex divina Ratione.

Verborum autem *Epicharmi* verus intellectus patet ex iis, quae habet *Alcimus* apud *Laërtium in Platone*: nam ipſe de Ideis ſententiam maxime promovit. Sed nomen λόγος a Platone Scriptor *Sapientiae* mutuum acceperit. Quid inde? Num ex hoc Platonicus fuiſſe revincetur? Nihil minus. Iudaicam forte doctrinam vocabulo apud Ethnicos celebri & vulgatiſſimo apte & commode illis exponi poſſe autumavit. Hunc autem Scriptorem nonniſi Ebraica placita ingerere & perſonare, in huius voluminis decurſu evidenter & dilucide demonſtrabimus.

Sed iam locum proferamus in quo illa eſt τοῦ λόγου ſplendida & magnifica deſcriptio. Itaque memoratus Auctor *Capite* ſui operis XVIII. ubi de primogenitorum Aegypti caede agitur, hiſce verbis uſus narrationem adgreditur: ἡσύχου γὰρ σιγῆς περιεχούσης τὰ πάνἶα, καὶ νυκἶὸς ἐν ἰδίῳ τάχει μεσαζούσης, ὁ πανἶοδύναμός σου λόγος ἐπ᾽ οὐρανῶν ἐκ θρόνων Βασιλείων, ἀπόἶομος πολεμιϛὴς εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλαἶο γῆς· ξίφος ὀξὺ τὴν ἀνυπόκριἶον ἐπιἶαγήν σου φέρων, καὶ ϛὰς ἐπλήρωσεν τὰ πάνἶα θανάἶου· καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπἶεἶο· βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς. *Quum enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omni-*

potens ſermo tuus de Coelo a regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit, gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans, & ſtans replevit omnia morte. Et coelum quidem adtingebat, ingrediebatur vero ſuper terram.

CAPUT IV.

Nomine λόγος ſcriptor Sapientiae eamdem hypoſtaſin deſignat, quam antea Salomon, & ipſe etiam, Sapientiam adpellaverat.

IAm conſtitit, arbitror, ut operam ludat qui Sapientiae Scriptorem Platonicum fuiſſe perſuadere conatur. Sed & eo evidentius iſthuc ipſum patebit, quo certius exploratiuſque habebimus, laudatum Scriptorem voce λόγος eatenus eſſe uſum, quatenus id quod *Salomon* de Sapientia dixerat, & ipſe etiam commentatus fuerat, diverſe & multipliciter ſignificaret. Et profecto Sapientiam ab hoc Scriptore tamquam ἐνυπόστατον & exſiſtentem, uti a Salomone factum fuerat, deſcribi res eſt manifeſtiſſima. Subficit inter cetera *Caput IX.* conſulere ubi Salomoni inhaerens ita ſcribit: Καὶ μετά σου ἡ σοφία ἡ ἠδυῖα τὰ ἔργα σου, καὶ παροῦσα ὅτι ἐποίεις τὸν κόσμον, καὶ ἐπισταμένη τί ἄρεστον ἐν ὀφθαλμοῖς σου, καὶ τί εὐθὲς ἐν ἐντολαῖς σου. *Et tecum Sapientia tua, quae novit opera tua, quae & adfuit tunc quum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum in oculis tuis, & quid directum in praeceptis tuis.* Hoc etiam facilius perſuaſum habebimus, ſi eorum, quae ex *Eccleſiaſtico* ſuperius protulimus, & quibus pariter ſapientia velut exſiſtens exhibetur, in mentem venerit.

Ea vero, quae *Capitibus* VII. VIII. & IX. de Sapientia laudatus auctor habet, eſſe omnino eadem ac illa quae paſſim τῷ λόγῳ tribuit, facta locorum comparatione demonſtramus. *Capite* IX. Deum ſcribit feciſſe *omnia verbo ſuo.* ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου: & *Capite* VII. Sapientiam *omnium Artificem* adpellaverat. Πάντων τεχνῖτις ἐδίδαξέ με σοφία. *Capite* XVI. Dei Sermonem ait ſanare omnia. ὁ σὸς κύριε λόγος, ὁ πάντα ἰώμενος,

quod

quod ex *Pſalmo CVI*. ſumtum eſt : & *Capite* x. Sapientiam cuncta reparantem induxerat, δι' ὃν καταλυζομένην γῆν πάλιν διέσωσε σοφίᾳ, *Capite* vero IX. καὶ τῇ σοφίᾳ ἐσώθησαν. *Capite* pariter XVI. ait Dei Verbum Iſraëlitas in deſerto nutriviſſe : ὅτι οὐχ αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν τρέφουσιν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ῥῆμά σου τούς σοι πιςεύοντας διατηρεῖ. *Capitibus* autem x. & XI. Sapientiam eoſdem & ex Aegypto deduxiſſe, & opera eorum in deſerto direxiſſe, populumque conſervaſſe adfirmat. εὐώδωσε τὰ ἔργα αὐτῶν ἐν χειρὶ προφήτου ἁγίου· Διώδευσαν ἔρημον ἀοίκητον καὶ ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνάς κτλ. *Direxit opera eorum in manibus Prophetae ſancti. Iter fecerunt per deſerta quae non habitabantur, & in inviis fixerunt caſas &c.*

Sed, quod magis e re noſtra eſſe duco, ea quae *Capite* XVIII. περὶ τοῦ λόγου habet cum iis, quae de Sapientia differit, contendamus. Hoc igitur *Capite* ſacer Scriptor vocat τὸν λόγον, παντοδύναμον, *Omnipotentem*. *Capite* autem VII. Sapientiam pariter dicit παντοδύναμον, itemque de eadem ſcribit: μία δὲ οὖσα πάντα δύναται. *Et quum ſit una, omnia poteſt*. Nec moror quae dicit *Clericus* dum contendit voce λόγος heic Angelum ſignificari, & recte omnipotentem dici, *quia Angelus a Deo ad exſequenda ipſius imperia miſſus, potentiam accipit ad omnia, quae jubetur, perficienda*. Nam hoc interpretamentum recipiet quicumque quid nomen *omnipotens* ſonet, cui tantum conveniat, ignoraverit. Sequitur Auctor, & ſubiicit, παντοδύναμον λόγον *Omnipotentem Sermonem de coelo a regalibus ſedibus in terram proſiluiſſe* ἀπ' οὐρανῶν ἐκ θρόνων βασιλείων, qui pariter *Capite* IX. vocaverat Sapientiam *Dei ſedium aſſeſſorem*, δός μοι, inquit, τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν : & *Cap.* VIII. eam habere *Dei contubernium* συμβίωσιν Θεοῦ dixerat. Sed & eodem *Cap.* IX. repetivit Sapientiam poſcens, ἀπόςειλον αὐτὴν ἐξ ἁγίων οὐρανῶν, καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης σου, *Mitte eam de coelis ſanctis, & a ſede gloriae tuae*. Si *Cap.* XVIII. ſcribit τὸν λόγον cladem & exterminium primogenitorum in Aegypto perpetraſſe; *Cap.* x. de Sapientia literis mandaverat: Αὐτὴ λαὸν ὅσιον καὶ σπέρμα ἄμεμπτον ἐῤῥύσατο ἐξ ἔθνους θλιβόντων. Εἰσῆλθεν εἰς ψυχὴν θεράποντος κυρίου καὶ ἀντέςη βασιλεῦσι φοβεροῖς ἐν τέρασι καὶ σημείοις. Ἀπέδωκεν ὁσίοις μισθὸν κόπων αὐτῶν. *Haec populum iuſtum, & ſemen ſine querela, libe-*

ravit a nationibus, quae illum deprimebant. Intravit in animam ſervi Dei, & ſtetit contra Reges horrendos in portentis & ſignis, & reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum. Heic autem a Scriptore Sapientiae voce λόγος Deum ipſum intelligi liquido conſtat ex eo, quod Aegyptiorum primogenitorum caedem iuxta Moſis narrationem ediſſerit. Moſes autem cladem illam non ab Angelo factam dicit, ſed ab ipſo Domino. *Exodi* enim *cap.* xi. ſcribit: *Haec dicit Dominus: media nocte egrediar in Aegyptum: & morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum.* Et *cap.* xii. Ipſe *Iehova* ait: *Et tranſibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum.* Et *verſ.* 29. ſcriptum eſt: *Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti.*

Quae hactenus diſſeruimus manifeſte oſtendunt a Scriptore Sapientiae τὸν λόγον & *Sapientiam* una confundi, & rem eamdem exiſtimari; quare ab eo Sapientiam rem exſiſtentem intelligi etiam ex hoc in dubium revocandum non videtur, quod & τὸν λόγον talem deſcripſerit. Sed & ea quae habet *cap.* vii. his commentariis indere oportet, quando Sapientiae ὑπόςασιν evidenter inſinuant, & ſunt quae ſequuntur: Ατμὸς γάρ ἐςι, inquit, τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀποῤῥοία τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής· διὰ τοῦτο ὐδὲν μεμιαμμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει. Απαύγασμα γάρ ἐςι φωτὸς ἀϊδίου καὶ εἴσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τῦ Θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio omnipotentis gloriae ſincera: ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Splendor eſt enim lucis aeternae, & ſpeculum ſine macula operationis Dei, & imago bonitatis illius.* Quamobrem *D. Paulus* Ebraeis ſcribens quaedam huius loci patenter imitatur, & Dei filio adcommodat, quod plane intelligeret, non de alio ibidem ab Auctore *Sapientiae* verba fieri. Adeoque eum dicit ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποςάσεως Dei, *Splendorem gloriae, & characterem ſubſtantiae* Dei. In Epiſtola autem ad Coloſſenſes eum vocat εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου. *Imaginem Dei inviſibilis*. Sed quoniam vera ſcripturarum interpretatio e Sanctis Apoſtolis, eorumque commentariis potiſſimum repetenda eſt, quis tam perfrictae frontis fuerit, ut nos ea, quae *Salomon* de Sapientia habet,

aut *Siracides Ieſus*, aut hic denique, de quo nunc agimus, libri Sapientiae Scriptor, perperam intellexiſse & enarraviſse dicat, quum & ille idem gentium Apoſtolus noſtram expoſitionem confirmet, & apertiſſime Sapientiam Dei eſſe ἐνύποστατον indicet, Dei Filium Epiſtola I. ad Corinthios Θεοῦ σοφίαν *Dei ſapientiam* adpellans? Item de eodem ſcribens, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ. *Qui exſtitit nobis ſapientia a Deo?* Et in eo ad Coloſſenſes ſcribens ineſſe omnes theſauros τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως *Sapientiae, & ſcientiae* abſconditos?

C A P V T V.

Obiectio diſſolvitur.

SEd quidni λόγου adpellatione apud Scriptorem *Sapientiae* Angelus ſignificetur? Nonne *Exodi cap.* III. dicitur adparuiſſe Moſi *Dominus in flamma ignis de medio rubi*, & tamen Miniſter caſtiſſimus *Stephanus* eadem memorans *Actorum cap.* VII. expreſſe ait Angelum fuiſſe, *qui adparuit illi in rubo?* Angelum inſuper fuiſſe, *qui loquebatur in Monte Sina?* Et tamen *Exodi cap.* XIX. habetur: *Deſcenditque Dominus ſuper Montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen eius*. Nec ſtatim dicendum eſt, ut nonnulli conſuerunt, illum Angelum fuiſſe τὸν Θεοῦ λόγον, qui Prophetae iuxta Graecam interpretationem dicitur *magni conſilii Angelus*, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. Nam & ipſe *Stephanus* reſiſtit, dum plurariter effert inferius, *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum*, ſicuti iam & *Paulus Galat. III.* 19. dixit: & nequaquam id reſponderi poſſe luculenter oſtendit *Auguſtinus L. III. De Trinit. cap.* VIII. & IX.

Verum animadvertendum eſt, etſi Angelorum miniſterio Deus ut plurimum utatur, Angelos tamen ita deſcribi, vel praeſentes fieri, ut ſaepe totam Trinitatem, ſaepe divinarum aliquam Perſonarum referant atque exhibeant; adeoque licet Angelus vel loquatur, vel quodcumque aliud agat, Deus tamen, vel Filius, vel Spiritus Sanctus loqui, aut facere veriſſime dicitur, ut obſervat quoque ὁ πάνυ *Lib. III. De Trinit. cap.* IX.

Sic

Sic exempli gratia quum *Geneſ. cap.* XVI. Angelus Agar iuxta fontem adloquutus eſſet, non tamen eum illa Angelum adpellavit, ſed in illo Deum adgnovit: *Vocavit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidiſti me*. Quamvis multa igitur, quae a Deo ſenſibiliter facta in ſacra ſcriptura narrantur, per Angelos effecta fuiſſe intelligendum ſit, Deum tamen, vel aliquam Trinitatis perſonam, quae in divinis oraculis expreſſe nominatur ea omnia vere & proprie perfeciſſe fatendum eſt. Faciunt quae habet idem egregius Theologus *Lib. X. De Civ. Dei cap.* XV. *Sic itaque*, inquit, *divinae providentiae placuit ordinare temporum curſum, ut quemadmodum dixi, & in Actibus Apoſtolorum legitur, lex in edictis Angelorum daretur de unius veri Dei cultu: in quibus & perſona ipſius Dei non quidem per ſuam ſubſtantiam, qua ſemper corruptibilibus oculis inviſibilis permanet, ſed certis indiciis per ſubiectam creatori creaturam viſibiliter adpareret; & ſyllabatim per tranſitorias temporum morulas humanae linguae vocibus loqueretur, qui in ſua natura non corporaliter, ſed ſpiritualiter; non ſenſibiliter, ſed intelligibiliter; non temporaliter, ſed ut ita dicam aeternaliter, nec incipit loqui, nec deſinit*. Quamobrem omnia nomina, tituli omnes, qui tum illi, quicumque eſt, tribuuntur, non Angelo miniſtro conveniant, ſed Deum imperantem adtineant, ut patet ex eo quod vocatur *Dominus Deus: Deus patrum veſtrorum &c.* Et *Sapientiae* Scriptorem latere profecto non potuit in ſcripturis ſanctis, etiam quum Angelus indicatur, ſi adpellatus fuerit *Iehova*, tum non Angelum merum, ſed cui adfuerit *ὁ λόγος Verbum* intelligi, ſicuti veteres Iudaei, & Chriſtianorum primi recte ac ſollerter animadvertere. Sic interpretatur *Moſes Gerundenſis* illud *Exodi* XXIII. 21. *Nomen meum in eo eſt*: & Chaldaeus Paraphraſtes *Onkeloſus Geneſ.* XXVIII. 21. *Erit mihi verbum Domini in Deum*: & liquido etiam conſtat ex iis quae ſuperius ex Chaldaeis Paraphraſtis opportune produximus. Ideo quamvis Aegyptiorum primogenitorum caedem Angeli miniſterio perpetratam fuiſſe adſerendum eſſet, a Domino tamen facta veriſſime diceretur, & ab eo qui *λόγος* aptiſſimo vocabulo celebratur, rege regum, & domino dominorum; quod eo proclivius eſt a Scriptore *Sapientiae* intellectum fuiſſe

fuiſſe opinari, quo certius & exploratius habemus, non Angelum a Moſe, ſed Deum ipſum, ut diximus, cladis illius auctorem adſeverari.

Nec contendat quis ab Auctore laudato vocem λόγος pro ipſo nomine *Angelus* adhiberi, adeoque Deo, aut divinae Hypoſtaſi minime adplicandum eſſe; ſicuti ubi in coeleſtibus literis *Angelus* expreſſe nominatur, licet ille Deum repraeſentet, id tamen nominis ad Deum ut plurimum non referri indubitatum eſt. Verum heic λόγος pro *Angelus* non uſurpari multiplici ratione evincere eſt. Et primo obſervandum venit, eam vocem huiuſmodi ſenſu adhibere ab eo Scriptore alienum eſſe, ut ex locis Capite antecedente productis evidenter elucet; & quum Angelos nominare vult, eos conſueta adpellatione vocat atque indicat, ut *Capite* XVI. videre eſt. Secundo, ſi vocem λόγος a Platone mutuam accepit, ut *Clericus* pertendit, non alia certe de cauſa id fecit, niſi ut aliquid eius Philoſophi doctrinae ac dogmati conforme, apto & congruenti vocabulo ſignificaret, illudque non in alium uſum impenderet, ac *Plato* fecerat. Secus enim cauſſa nulla ſubeſſet aut cur ille Platonicum vocabulum uſurparet, aut cur quis illud ex Platone ad eum defluxiſſe ſubſpicaretur. At *Plato* voce λόγος nunquam ad Deos aut Daemonas, qui Iudaeorum Angelis reſpondent, ſignificandos uſus eſt, ſed ad ſecundam cauſſam tantum, ſeu Mentem, ſeu Ideam, ſeu Mundum intelligibilem deſignandum. Quod ſi *Philo*, Angelos ipſos λόγους interdum adpellat, quod & *Origenes* eum ſequutus facit, id horum eſſe proprium & peculiare deprehenditur: quamquam ne in Philone quidem ipſo reperire eſt nomen λόγος ſingulariter poſitum Angelum ſimplicem denotare, ſed eum tantum, qui eſt ſecundum ipſum ſacratiſſimus, aeternus, divinus, Angelis omnibus praeſtantior, Angelus antiquiſſimus, Archangelus, Pontifex, Dei imago, primogenitus, inadſpicuus, intelligibilis, illuſtriſſimus, ſplendidiſſimus, Deus tandem, λόγος.

CAPVT VI.

De Graecorum Poëtarum imitatione, quae Cap. XVIII. Sapientiae haberi videtur.

HActenus eam eſſe Scriptoris *Sapientiae* doctrinam atque ſententiam perſpicue demonſtratum eſt, ut,etſi ille vocem *λόγος Platoni*, aut eius Philoſophi ſectatoribus deberet, ea tamen nonniſi patrium & Iudaicum conſultum inſinuaſſe liquido conſtiterit. Quod eo facilius quis perſuaſum habebit, quo teſtatius fuerit atque perſpectius morem huic Scriptori fuiſſe Ethnicis, ut ita dicam, verbis & loquutionibus Ebraicos ſenſus atque conceptus exprimere, & peregrina dicendi ratione ſuae gentis opiniones perſonare. Id ut pateat ſciendum eſt, a viris doctis animadverſum fuiſſe videri in hoc Scriptore *Homeri* imitationem quamdam ineſſe. Quum enim Deum λόγον Aegypti primogenitis cladem & exitium inferentem deſcriberet, poſtquam eum omnipotentem & formidabilem debellatorem, gladioque acuto inſtructum ad eius vim & efficientiam ſignificandam dixiſſet, ut eius quoque maieſtatem, & amplitudinem, & diviniſſimam excellentiam indicaret, ſubdidit: καὶ ϛὰς ἐπλήρωσεν τὰ πάντα θανάτου, καὶ ὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς. *Et ſtans implevit omnia morte: & uſque ad coelum adtingebat, ingrediebatur vero ſuper terram. Homerus* autem de *Eride* loquens *Iliados* δ ita canit:

> Οὐρανῷ ἐϛήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει
> *Coelo firmavit caput, & in terra ingreditur.*

Sed & *Callimachus* hymno in *Cererem*, Deam ſic pingit:

> Ἴθματα μὲν χέρσῳ, κεφαλὰ δὲ οἱ ἅψατ' ὀλύμπῳ.
> *Veſtigia quidem terra, caput vero tetigit olympum.*

Quos poſtea imitatus *Virgilius IV. Aeneidos* in *Famae* deſcriptione ait:

> *Ingrediturque ſolo, & caput inter ſidera condit.*

Sed vel caſu inter Sapientiae Scriptorem, & Ethnicos illos poëtas ſimilitudo quaedam intervenit; prudenter enim & ſcite olim *Aretades* ob hoc ipſum περὶ συνεμπτώσεως *De fortuita* *con-*

convenientia librum compoſuit, ut ſcribit *Porphyrius De erudito auditu*; vel eorum ille verbis Iudaica ſenſa, ut diximus, domeſticoſque tantum conceptus expreſſit. Nihil enim fuit Iudaeis ſolemnius, quam alicuius vel fortitudinem vel excellentiam exceſſu proceritatis & magnitudinis exaggerato ſignificare. Vt autem praedicatae magnitudini terminos immane diſtantes adponerent, coelum & terram nominabant. Nihil de Deo dixerim, de quo ὑπερβολικῶς nihil effertur, & qui tamen apud *Eſaiam cap.* XLVI. ait: *Coelum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*. Et de eo in Iobi Libro *cap.* XI. legitur: *Excelſior coelo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces?* Et *cap.* XXII. *An non cogitas quod Deus excelſior coelo eſt, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur?* Quae quidem aliquid Scriptoris illius animo ingerere potuerunt, unde magnificam illam & auguſtam τοῦ λόγου ſtaturam exhiberet. Sed de aliis quoque paſſim verba facientes Iudaei, non minorem magnitudinem ὑπερβολικῶς iiſdem adtribuunt. Sic ut altiſſima turris ſignificetur, caput eius ad coelum uſque pertingere debuiſſe dicitur, *Geneſ. cap.* XI. phraſi ſcilicet Ebraea, ut obſervat *Bochartus Phaleg. Par. I. Lib. I. cap.* XIII. profitentur ſe turrim erecturos, cuius caput in immenſum adtollatur. Sic in *Homero*

. . . . ἐλάτη δ' ἦν οὐρανομήκης

Abies autem erat in coelum uſque ſublimis.

ideſt, *valde procera*: in *Ariſtophane* vero, οὐράνιόν γ' ὅσον, eſt πόλυ καὶ μέγα. Proinde *Iuliano Auguſto* hiſtoriam illam inridenti *Cyrillus Lib. IV.* merito ac ſapienter regerit, ſcripturam κατὰ τὸν κοινὸν δὲ τοῦτον καὶ καθ' ἡμᾶς λόγον ἀντὶ τοῦ ὕψου δέχεσθαι τὸ εἰς οὐρανόν. *Iuxta receptum apud nos loquendi morem pro alto uſurpare* τὸ *in coelum*. Hac eadem hyperbole *Deuteron. I. verſ.* 28. ſcribitur: *Nuntii terruerunt cor noſtrum dicentes: maxima multitudo eſt, & nobis ſtatura procerior: urbes magnae & ad coelum uſque munitae.* Et *IX. verſ.* 1. *Audi Iſrael: Tu tranſgredieris hodie Iordanem ut poſſideas nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes, & ad coelum uſque munitas.* Sic *Val. Flaccus II. Argonaut.* de muris Troiae a Neptuno conſtructis agens:

. . . . . *neque enim tam lata videbam*

Pe-

Pectora, Neptunus muros quum iungeret aſtris.

nec multum abſimile illud eiuſdem:

. . . . . . Coelumque quod incubat urbi.

Pſaltes autem de iis, qui a maris fluctibus agitantur ait: *Aſcendunt uſque ad coelos, & deſcendunt uſque ad abyſſos. Iobi* vero liber ut res hypocritae proſpere cedentes ſignificet: *Si aſcenderit*, inquit, *uſque in coelum ſuperbia eius, & caput eius nubes adtigerit*. Laudatus pariter Pſaltes impios ſicut cedros Libani exaltatos ſe vidiſſe ait. Ita quoque *II. Machabaeorum Libro cap.* IX. ubi de *Antiocho* iam morituro agitur, ſcriptum eſt: *καὶ τὸν μικρῷ πρότερον τῶν οὐρανίων ἄστρων ἅπτεσθαι δοκοῦντα, παρακομίζειν οὐδεὶς ἐδύνατο, διὰ τῆς ὀσμῆς ἀφόρητον βάρος. Et qui paulo ante ſidera coeli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetoris portare.* Non ſecius *Flaccus* cecinit:

Sublimi feriam ſidera vertice.

Et *Ovidius VII. Metamorph.*

Et Dis cara ferar, & vertice ſidera tangam.

Statius vero *VI. Thebaidos:*

. . . . Quibus Argos alumnis
Connexum coelo.

Quare prope in ea ſententia fuerim, quae opinetur *Homerum* illam dicendi formam, aut phraſin ab Orientalibus accepiſſe; & quidem *Heinſius* in ſuo *Ariſtarcho Sacro* innumeras loquutiones Homericas, & Heſiodeas, Moſis, aliorumque Scriptorum ſacrorum loquutionibus ſimiles conlegit, & magnam Ebraiſmorum ſegetem in illis Poëtis deprehendit.

Sed & illud animadvertendum venit Iudaeos ſaepe, ut virum fortem & robuſtum exprimerent, Giganta illum adpellaviſſe. Sic ubi in Vulgata habetur, *Geneſ.* x. 8. de Nemrode: *Ipſe coepit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino: ob hoc exivit proverbium: quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino*: & Ebraica veritas habet: *Potens venatione*: & *Onkeloſus*: *Vir robuſtus*: LXX. Interpretes ita vertunt: *οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. οὗτος ἦν γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίου τοῦ Θεοῦ. διὰ τοῦτο ἐροῦσιν, Ὡς Νεβρὼδ γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίου: Hic coepit eſſe Gigas ſuper terram. Hic erat Gigas venator in conſpectu Domini Dei. Eapropter dicunt: Sicut Nebrod Gigas* ve-

venator coram Domino. Sic pariter vertitur, quod ſimile habetur *I. Paralipomen.* Sic *Pſalmo XVIII.* ubi in Ebraeo legitur: *Exſultavit ut fortis ad currendam viam*, iidem LXX. interpretantur: Ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδὸν. *Exultabit ut Gigas ad currendam viam*. Ita *Libro I. Machab. cap. III.* de Iuda ſcribitur: καὶ ἐπλάτυνε δόξαν τῷ λαῷ αὐτοῦ, καὶ ἐνεδύσατο θώρακα ὡς γίγας. *Et dilatavit gloriam populo ſuo, & induit ſe loricam ſicut Gigas.* Et *Diodorus* quidem Siculus *Lib. I. Biblioth.* & *Macrobius Lib. I. Saturnal. cap.* XX. nihil aliud fuiſſe Gigantas exiſtimaverunt, quam robuſtos, σώματος ῥώμῃ διενέγκοντας, & Deorum contemtores viros, vel πολλὰς πράξεις ἐπιτελεσμένους, *qui multa egregia facinora perpetraſſent*. Et profecto non deſunt qui opinentur, Gigantas, quorum mentio fit *cap.* VI. *Geneſ. verſ.* 4. homines tantum robuſtos, ac violentos fuiſſe. *Aquila* enim vertit vocem Ebraeam *Nephilim*, quam interpretantur *Gigantes*, ἐμπίπτοντες *inruentes*, *Symmachus* vero βιαῖοι *violenti*. Idcirco Scriptores doctiſſimi cenſent Gigantas illos non multum aliis hominibus proceritate praeſtitiſſe, ſed immanitate & ſceleribus antevertiſſe omnes, *ut Philo Lib. de Gigant. Ioſephus I. Antiquitatum, Origenes apud Gennadium Conſtantinopol. Epiſc. in Catena Graeca, Euſebius Praeparat. Ev. Lib. V. Ambroſius de Noe & Arca, Chryſoſtomus in Caten. Geneſ. Cyrillus Alexandrinus Lib. IX. contra Iulianum, Damaſcenus in Caten. Geneſ.* Super hoc tamen conſulendus eſt *Auguſtinus in Libris De Civit. Dei*.

Ad ea modo deſcendere nolim quae Recutitorum Magiſtri delirant. Piget enim eiuſmodi nugamentis noſtros commentarios dehoneſtare, quamquam Iudaeorum indolem maxime comprobare deprehenderentur. Vnum mihi notaſſe ſubſiciet *Elzai* quemdam Iudaeum, & ex Oſſenorum ſecta, ut ait *Epiphanius*, impoſtorem, qui ſub Traiano principe vixit, Chriſtum veluti Vim quamdam & δύναμιν deſcripſiſſe, cuius & menſuras tradidit, longitudinis ſchoenos XXIV. hoc eſt, milliaria XCVI. latitudinis ſchoenos ſex, hoc eſt, milliaria XXIV. Non minus autem nugatorie de craſſitudine loquebatur, deque pedibus & ceteris omnibus fabulam pertexebat. Adeundus laudatus *Epiphanius Lib. I. Haereſ.* XIX. *& Tom. II Lib. I. Haereſ* XX.

Iam liquet, arbitror, Scriptorem *Sapientiae* non tam ad Ho-

Homerum, aliumve Poëtam reſpexiſſe, quam ſuae gentis ingenium phraſeſque eſſe ſequutum, quum illud περὶ τοῦ λόγου pronunciavit: καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο· βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς.

CAPVT VII.

Vox λόγος *in Libro Sapientiae Cap. XVIII.*
Ratio *an* Sermo *verti debeat.*

QVamquam dubium incertumque eſt, an *Sapientiae* Scriptor vocem λόγος a Platone mutuatus fuerit; tamen etſi agatur liberaliter, & ex Platone aut Platonicis eam petiviſſe dixerimus, videamus quomodo Latine in eo vertenda ſit: in Platone enim *Ratio* aptiſſime verti inficiabitur nemo. Sed recte in Scriptore noſtro παντοδύναμος λόγος, *omnipotens Sermo* ad Latinas aures transferetur. Quum enim ille Iudaeus fuerit, & Scripturarum ſanctarum auctoritati & oraculis ſemper inhaeſerit, alio ſenſu illud vocabulum accepiſſe non videtur: quando in coeleſtibus literis tam multa ac magnifica de Dei verbo aut ſermone ſplendidiſſime praedicantur: de Dei autem ratione nihil explicate effertur, niſi quatenus haec cum Sapientia ipſa confundi poteſt. Vidimus inſuper moris fuiſſe Iudaeis Scriptoribus fere omnia, quae a Deo in ſacris eloquiis mirabiliter & providenter effecta referuntur, Dei ipſius Verbo tribuere, quod ex Paraphraſtarum auctoritate & loquutionibus patuit. Quin ipſe Iudaeus *Philo* ſaepe τὸν λόγον non alio intellectu uſurpat, quam ut divinum Verbum vel Sermonem ſignificet, quod inſequenti Capite late demonſtrabitur.

Sed & ſiquis λόγος in *Platone Sermo*, non *Ratio* interpretetur, eius profecto ſententiae minime adverſabitur. Nam Mundum intelligibilem, & inadſpicuum rerum omnium Exemplar per ſermonem aptiſſime exhiberi perſpicuum eſt. Praeclara & inſignia *Q. Sept. Tertulliani* adverſus Praxeam declamantis verba expendenda propono: *Vide quum tacitus*, inquit, *tecum ipſe congrederis Ratione, hoc ipſum agi intra te, occurrente ea tibi cum Sermone ad omnem cogitatûs tui motum, ad omnem*

omnem ſenſûs tui pulſum. Quodcumque cogitaveris, SERMO eſt: quodcumque ſenſeris, Ratio eſt. Loquaris illud in animo neceſſe eſt: & dum loqueris conlocutorem pateris Sermonem, in quo ineſt haec ipſa Ratio, qua cum eo cogitans loquaris, & per quem loquens cogites. Ita ſecundus quodammodo in te eſt Sermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo, ipſe Sermo alius eſt. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo &c.

CAPUT VIII.

An λόγος *in* Philone Sermo, *vel* Ratio *reddi debeat*.

SEd eo veroſimilius eſt *Sapientiae* Auctorem, τὸν λόγον cum Sapientia confudiſſe, quia & *Philo* ipſe τοῦ λόγου nomine, nonniſi quam *Salomon* & *Siracides* Sapientiam dicunt, intelligere ſe evidenter oſtendit, cum *I. Allegoriarum* libro, ubi Deum dicit patrem Sapientiae, quae eſt, ſubdit, ὁ Θεοῦ λόγος, tum libro *De Fugitivis*, ubi τὸν Θεῖον λόγον Sapientiae fontem adpellat. Heinc eſt, quod cum paſſim, & praecipue in Libro περὶ κοσμοποιΐας τὸν λόγον mundi, univerſarumque rerum opificem ſtatuat, tamen eo volumine, quod *Deteriorem potiori inſidiari ſolere* inſcripſit, ait μητέρα τὴν σοφίαν, δι' ἧς ἀποτελέσθη τὸ πᾶν, *Matrem Sapientiam, per quam rerum univerſitas abſoluta eſt.* Quare iure optimo vir doctiſſimus *Bern. Lamius Diſſert. De Voce* λόγος §. *III.* ſcriptum reliquit: *Salomoni autem ita conſentanea ſunt, quae Philo inculcat de divino Verbo, ut nemo ſanus, qui rem expendat, haec Philonem ex Platone potius hauſiſſe dixerit.* Quae quidem manifeſtius inſinuant, unde Iudaei ἐνυπόστατον λόγον derivare conſueverint.

Nec mirum ſi etiam Σοφιογράφῳ maxime adhaeſit *Philo*, utpote Graece ſcribenti, quum linguam Ebraeam ignoraſſe opinio ſit, & *Clericus* ipſe Epiſtola VIII. adſeveret. Nihilo tamen minus pertendit hic omnia, quae *Philo* habet περὶ τοῦ λόγου, a Platone mutua accepiſſe. Magnam ſimilitudinem inter Platonis doctrinam, & Philonis placita intercedere non negaverim. Sufficit duos hoſce Philoſophos legiſſe, ut illico profari quis poſſit famigeratum illud, ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, *aut*

Digitized by Google

Philo platoniſſat, *aut Plato philoniſſat*. Quamobrem & Platonicum fuiſſe Philonem facile adſenſerim, quidquid contra opinati ſint *Ioh. Ionſius* ſuis, quorum *De Scriptoribus Hiſtoriae Philoſophicae* eſt titulus, libris, & *Ioh. Vander Weyen*, quem *Clericus P. Ventidii* nomine traductum exagitat. Luculenta enim hac de re teſtimonia *Euſebii*, & *Hieronymi*, & *Nicephori* habemus, quorum ultimus dicit *Philonem* περιβόητον ἐπ' ἀμφοτέραις φιλοσοφίαις, *utraque philoſophia celebrem*, Pythagorica ſcilicet & Platonica.

Sed quum ipſe *Philo* libro *De Opificio mundi* diſerte adfirmet, teſteturque ſe περὶ τοῦ λόγου doctrinam è Moſis, non è Platonis fontibus hauſiſſe: Μώσεως γάρ ἐςι, inquit, τὸ δόγμα τοῦτο, ὐκ ἐμόν. *Moſis enim eſt decretum hoc, non meum*; quod producto in medium Prophetae illius loco, & penſiculate diligenterque examinato demonſtrare conatur: cur Philonis ipſius teſtimonio, quo certius nullum aut indubitatius haberi poteſt, fidem minime adhibeam, nullus video. At Iudaei nihil aliis debere, qui eſt eorum tumor, videri volunt. At vere ταῦτα λόγοι. Sed replicat *Clericus*, quae ex Moſe profert *Philo*, alteram in Divinitate hypoſtaſin haudquaquam conſtituunt. Quorſum iſthaec? Quae conſtituere non videntur *Clerico*, videri Philoni potuere, quemadmodum videntur & aliis. Sic *Fauſtus Manichaeus* apud Auguſtinum *contra Fauſtum Lib. XVI.* totis Moſis libris perlectis, nullam in eis de Chriſto prophetiam contineri ſtulte adſeverabat, quum tamen *Auguſtinus*, aliique Catholici prope innumeras in iiſdem voluminibus reperirent. At quem *Philo* eruit atque educit, non eſt verus ſcripturarum ſenſus. Quis hic verba magni *Auguſtini Libro XII. Confeſs. cap.* xxv. non uſurpet? *O vita pauperum Deus meus, in cuius ſinu non eſt contradictio: plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, quia non mihi hoc dicunt, quia divini ſunt, & in corde famuli tui viderunt, quod dicunt: ſed quia ſuperbi ſunt, nec noverunt Moyſis ſententiam, ſed amant ſuam: non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt*. Nam ut optime idem Praeſul ait *Libro De Doctr. Chriſt. III. Quid in divinis eloquiis largius & uberius potuit divinitus provideri, quam*

ut

Digitized by Google

ut eadem verba pluribus intelligantur modis? quod latius exſequitur laudato *XII. Confeſſionum* volumine. Igitur falſus ſit *Philo*. Suam ergo doctrinam ex Moſe non probe intellecto deduxerit. An id novum eſſet? Conſulatur, ſi tanti eſt, Caput IX. Libri Superioris. At ſi Platonicus non fuiſſet, nunquam τοῦ λόγου ei in mentem veniſſet. Divinare eſt. *Philo ipſe* reclamat: & quae a nobis hactenus diſputata ſunt aliud ſuadent. At eadem fere ſunt, quae habet Philo, & quae Plato docuit. Num mirum, ſi quum τοῦ λόγου notionem, ex arcanis literis, ut ipſe ait, adſequutus eſſet, nec ab huiuſmodi documentis abludere Platonem comperiſſet, ritu & loquutionibus non admodum diverſis ſimilem materiam Graece tractaverit? Ceterum cum περὶ τοῦ λόγου *Philo* agit tam multa habet a Platonicis diverſa, & aliena, ut vix partem eorum minimam ex Platone derivare ac deducere ſit. Quod forte argumento etiam eſſe poteſt ea, quae *Philo* περὶ τοῦ λόγου habet, aliunde quam a Platone originem trahere.

Sed Philonem eâdem prope ratione, ac Plato fecit, περὶ τοῦ λόγου loquutum eſſe, non ſtatim indicare *Philonem* eam doctrinam ab eo Philoſopho accepiſſe, vel ex eo elucere poteſt, quod veteres Eccleſiae Patres, non aliam profecto viam de Filio Dei diſſerendi inierunt, quod *Clericus* ipſe contendit, & ipſe aequo animo conſentio, ut etiam in *Diſſertatione De recta Patrum Nicaenorum Fide* ingenue confeſſus ſum. Nec tamen adfirmare quis auſit, nota ſecus temeritatis inurendus, aliunde illos quam e ſanctis ſcripturis Verbi cognitionem derivaſſe.

Sed certe urget *Clericus*, aitque, verum non eſſe *ideo Rationem divinam dictam ab eo λόγον*, quod *imperio creans Deus deſcribatur ab Ebraeorum Legislatore; Philonemve ullo verbo indicare ſe propterea in eas cogitationes περὶ τοῦ λόγου incidiſſe*. Porro quid heinc defluit? Ergo ex Moſe eam notitiam *Philo* non deduxit? Nihil minus. Si *Philo* ex eo Moſis loco τοῦ λόγου notitiam ſe habuiſſe non indicat, diſerte & perſpicue indicat ſe ex aliis illius Legislatoris locis eam accepiſſe. Verum tunc, ait *Clericus*, τὸν Philonis λόγον *Sermonem* Latine apta & vera interpretatione reddi non poſſe, ſed *Rationem* tantum: quod

& loco quodam *Philonis* prolato confirmare nititur. At ſemper laterem, Aethiopemque lavare deprehenditur. Et ipſe liberaliter conceſſerim, ut plurimum in Philone λόγος Latine interpretandum eſſe *Ratio*. Quid inde? Num Moſes hanc rerum univerſitatem a Deo ſine ratione effectam fuiſſe indicat? Nonne perſpicue ac dilucide ubique contrarium inſinuat? Certe id *Philo* ipſe late ac copioſe expedit, atque demonſtrat. Sed cur hanc Rationem *Philo* facit exſiſtentem? Sufficit Philonis opera evolvere, ut ſtatim quis cauſſam intelligat? Num *Plato* ſolus talem invexit? Nonne fuit haec communis fere omnium Orientalium opinio? Sed tamen ſe hoſce eſſe ſequutum *Philo* inficiatur, & ſolius Moſis veſtigiis inhaeſiſſe ſe ait.

Verum etſi *Philo* non innuit ſe τὸν λόγον inducere, quod Deus omnipotentis vocis imperio omnia creans a Moſe deſcribatur: aperte tamen & manifeſte inſinuat ſe ad τοῦ λόγου comprehenſionem non tam quia laudatus Propheta certa ratione ac conſilio, & veluti praeexſiſtente rerum exemplari aliquo a Deo mundum conditum fuiſſe deſignet, quam quia ſaepe loquentem & ore verba proferentem eumdem inducat, adſurgere. Ad id comprobandum tres inſignes *Philonis* locos heic proferam, quorum duo libro de *Profugis* habentur, tertius autem apud *Euſebium* Caeſarienſem *Libro VII. Praepar. Evang. cap.* v. ex ſecundo Libro *Quaeſtionum & Solutionum* exſiſtit. Primus ita ſe habet: Αὗται μέν εἰσι, inquit, *αἱ αἰτίαι, ὧν ἕνεκα οἱ τὸν ἀκούσιον φόνον δράσαντες εἰς μόνας τὰς τῶν νεωκόρων φεύγουσι πόλεις. τίνες δέ εἰσι, καὶ διὰ τί ἀριθμῷ ἕξ, ἑπομένως λεκτέον. μήποτ' οὖν ἡ μὲν πρεσβυτάτη καὶ ὀχυρωτάτη καὶ ἀρίστη μητρόπολις, οὐκ αὐτὸ μόνον πόλις, ὁ Θεῖος ἐστὶ* ΛΟΓΟΣ; *ἐφ' ὃν πρῶτον καταφεύγειν ὠφελιμώτατον. αἱ δ' ἄλλαι πέντε ὡς ἂν ἀποικίαι δυνάμεις εἰσὶ τοῦ* ΛΕΓΟΝΤΟΣ, *ὧν ἄρχει ἡ ποιητική, καθ' ἣν ὁ ποιῶν λόγῳ τὸν κόσμον ἐδημιούργησε. Hae ſunt cauſſae ob quas homicidae non voluntarii ad ſolas aedituorum civitates confugiunt: ordo poſtulat ut deinceps dicamus, quaenam ſint, & cur ſex numero. An quoniam antiquiſſima & munitiſſima, non ſolum civitas, ſed ceterarum etiam metropolis,* DEI SERMO *eſt? Quod primarium & utiliſſimum eſt refugium. Aliae quinque ceu coloniae, potentiae ſunt eum* DICENTIS *ſeu* PROFERENTIS, *& in his praecipua creativa, per quam opifex*

SER-

Digitized by Google

SERMONE mundum condidit. Ecce heic agitur a *Philone* de Sermone divino, περὶ τοῦ θείου λόγου, & eum adfirmat a Deo dici ac proferri, & ad vocis originem reſpiciens (nam λόγος ἀπὸ τοῦ λέγειν derivatur) illum τὸν λόγον vocat, hunc τὸν λέγοντα, quaſi illum, *Sermonem*; hunc, *Sermocinantem* adpellet. Mox de mundi conditu loquens, Deum ſermone rerum univerſitatem fabricaſſe adfirmat. Quid clarius aut manifeſtius dici poſſit, ut voce λόγος *Sermo* intelligatur, & *Sermo* quidem quo mundus effectus fuerit, non video. Nonne heic *Philo* ſatis indicaverit, ſe quum τὸν λόγον inducit, & ad Moſis verba, quibus Deum edicto & imperio cuncta molientem deſcribit, animum intendere? Alter locus his verbis concipitur: αἱ δ' εἰσὶν ἓξ πόλεις ἃς καλεῖ φυγαδευτήρια, ὧν αἱ μὲν πέντε ἀπεικονίσθησαν, καί ἐστιν αὐτῶν ἐν τοῖς ἁγίοις τὰ μίματα, προστάξεως μὲν καὶ ἀπαγορεύσεως, οἱ ἐν τῇ κιβώτῳ νόμοι· τῆς δὲ ἵλεω δυνάμεως, τὸ ἐπίθεμα τῆς κιβώτου· καλεῖ δ' αὐτὸ ἱλαστήριον· ποιητικῆς καὶ βασιλικῆς, τὰ ὑπόπτερα κ᾽ ὑφιδρύμενα χερουβίμ· ὁ δ' ὑπεράνω τούτων ΛΟΓΟΣ θεῖος, εἰς ὁρατὴν οὐκ ἦλθεν ἰδέαν, ἅτε μηδενὶ τῶν κατ' αἴσθησιν ἐμφερὴς ὤν, ἀλλ' αὐτὸς εἰκὼν ὑπάρχων Θεοῦ, τῶν νοητῶν ἁπαξαπάντων ὁ πρεσβύτατος, ὁ ἐγγυτάτω, μηδενὸς ὄντος μεθορίου διαστήματος, τοῦ μόνου, ὃ ἔστιν ἀψευδῶς, ἀφιδρυμένου· λέγεται γὰρ, ΛΑΛΗΣΩ σοι ἄνωθεν τοῦ ἱλαστηρίου ἀνὰ μέσον τῶν δυοῖν χερουβίμ. ὥσθ' ἡνίοχον μὲν εἶναι τὸν δυνάμεων τὸν ΛΟΓΟΝ, ἔποχον δὲ τὸν ΛΑΛΟΥΝΤΑ ἐπικελευόμενον τῷ ἡνιόχῳ τὰ πρὸς ὀρθὴν τοῦ παντὸς ἡνιόχησιν. *Hae ſunt illae civitates, quae refugia vocantur; ex quibus quinque ſuas figuras habent ac imagines in ſacris literis: praecepti quidem & interdictionis leges in arca reconditas: propitiationis autem arcae ipſius operculum, hoc enim vocatur propitiatorium. Creativae porro ac regiae Potentiae, duo cherubim alata huic adpoſita. Ceterum SERMO ille divinis omnibus his ſuperior, non cadit in viſibilem ſpeciem, ut qui nulli rei ſenſibili eſt ſimilis, ſed ipſe imago Dei, antiquiſſimus omnium intelligibilium, & ſummo proximus, quandoquidem nihil medium eſt inter ipſum, & ens illud veriſſimum. Scriptum eſt enim: LOQVAR tibi ſupra propitiatorium inter duo Cherubim: ut SERMO Potentiis pro auriga ſit, IS vero QVI LOQVITVR pro vectore, ad cuius celeuma univerſum hoc auriga regat ac temperet.* Huius quoque

 loci

loci ſenſus liquidus eſt & apertus, nec ullis vitilitigatorum calumniis obnoxius. Ceterum apud *Euſebium* ita diſſerit *Philo*. Τὰς δυσοπίας οὖν εἴτις ἀποδιδράσκειν βούλεται, τὰς ἐν τοῖς διαπορηθεῖσι λεγέτω μετὰ παῤῥησίας, ὅτι οὐδὲν τῶν ἐνύλων κραταιὸν οὕτως ὡς τὸν κόσμον ἀχθοφορεῖν ἰσχύσαι. Λόγος δὲ ὁ ἀΐδιος Θεοῦ τοῦ αἰωνίου τὸ ὀχυρώτατον καὶ βεβαιώτατον ἔρεισμα τῶν ὅλων ἐστίν· οὗτος ἀπὸ τῶν μέσων ἐπὶ τὰ πέρατα, καὶ ἀπὸ τῶν ἄκρων ἐπὶ τὰ μέσα ταθεὶς δολιχεύει τὴν φύσεως ἀήττητον δρόμον συνάγων τὰ μέρη πάντα, καὶ συσφίγγων· δεσμὸν γὰρ αὐτὸν ἄῤῥηκτον τοῦ παντὸς ὁ γεννήσας ἐποίει. πατήρ. εἰκότως οὖν οὐδὲ γῆ πᾶσα διαλυθήσεται πρὸς παντὸς ὕδατος, ὅπερ αὐτῆς οἱ κόλποι κεχωρήκασιν· οὐδὲ ὑπὸ ἀέρος σβεσθήσεται πῦρ, οὐδὲ ἔμπαλιν ὑπὸ πυρὸς, ἀὴρ ἀναφλεχθήσεται τοῦ θείου λόγου μεθόριον τάττοντος αὐτὸν ΦΩΝΗΕΝ στοιχείων ΑΦΩΝΩΝ. *Quiſquis eo ſe liberum pudore volet, qui dubitationem vulgo conſequitur, is libere palamque pronuntiet, nihil eorum, quae in materiam immerſa ſunt, ad ſubſtinendam orbis molem ſatis habere virium: at ſempiternum illud aeterni Dei Verbum, longe potentiſſimum ac firmiſſimum eſſe columen univerſi: hoc enim illud eſt cuius arbitrio, dum a mediis ad extrema, ſimulque a ſummis ad media pertinet, conſtitutus ac perpetuus naturae curſus peragitur. Partes enim omnes inter ſeſe conſociat atque conſtringit, quod illud Pater, a quo genitum eſt, firmiſſimum quoddam totius univerſi vinculum eſſe voluerit. Mirum ergo nihil eſt, ſi neque terrarum moles, aquarum tanta vi ſinus earum interiores permeante, unquam diſſolvetur, nec ab aëre extinguetur ignis, nec aër contra igne conflagrabit, quum divinum illud Verbum quod ſeſe MVTA inter elementa, quaſi VOCALE quoddam medium conſtituit &c.* Quibus in medium prolatis, liquido patet, arbitror, a Philone vocem λόγος, tum ut *Rationem*, tum ut *Sermonem* ſignificet frequenter uſurpari.

Heinc eſt quod *Origenes* quoque, qui a multis quidem, & haud immerito, Philonis amator, & imitator fuiſſe cenſetur, περὶ τοῦ λόγου aeque & ut *Rationem*, & ut *Sermonem* denotat, copioſe & erudite de more ſuo *Tom. I. in Iohannem* diſſerat. Quod autem Arianiſmum Philoni ſaepe exprobrat *Clericus*, id parum refert: nam vidiſſe quaedam veri-

veritatis indicia, & imaginem in arcanis literis eum dicimus; ſolidam integramque veritatem adſequutum eſse non adſeveramus. Abſolutioris erat Theologiae aptioribus verbis, & caſtigatioribus loquutionibus, veriſque ea de re documentis commentari. Sed fortaſſe Arianus non eſt, & rectam eius doctrina interpretationem recipit. Conſulantur, ſi lubet, viri eruditiſsimi, *Thomaſſinus*, *Bullus*, *Nourryus*, *Caveus*, qui id omne late docteque expedierunt. Et haec quidem ad *Sapientiae* Scriptorem magis inluſtrandum, noſtramque ſententiam confirmandam diſputata ſint.

DE RECTA CHRISTIANORVM
IN EO QVOD MYSTERIVM
DIVINAE TRINITATIS
ADTINET SENTENTIA.

LIBER QVINCTVS.

CAPVT I.

Chriſti Divinitas, Scripturarum teſtimoniis, adductis, demonſtratur.

QVAE Superiore libro περὶ τȣ̃ λόγου, & de vera huius nominis interpretatione diſſeruimus, viam nobis ſternunt ad aliam diſceptationem prorſus adfinem, qua videlicet examinemus quî vox λόγος in Evangelio *Iohannis* recte proprieque ad Latinas aures transferri debeat, *Sermo* ne ſcilicet, an *Ratio*. Priuſquam tamen ad huiuſmodi inquiſitionem adgrediamur, quaedam a nobis praeiici, & veluti aedificio conſtruendo ſubſterni neceſſarium eſſe exiſtimavimus. Itaque niſi quis cum ineptiſſimis Socinianis deſipiat, Apoſtolis Chriſti divinitatem fuiſſe cognitam,

non

Digitized by Google

non facile concedet tantum, verum etiam conferens ex iure manu contendet. Nihil enim liquidius, nihil manifeſtius in eorum commentariis habetur. *Iohannes* enim qui eſt omnium praecipuus Chriſti divinitatis adſertor, cum illam ſui Evangelii initio luculenter adſtruit, tum reliquo voluminis decurſu evidenter edicit ac praedicat. Adeoque apud eum alter *Iohannes* clamat de Chriſto loquens: Αὖτός ἐστι ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν. *Ipſe eſt poſt me veniens, qui ante me fuit*. Et, Ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν. *Poſt me venit vir, qui ante me fuit; quia prior me erat*. Ipſe autem *Chriſtus* aperte perſpicueque dicit Nicodemo: Καὶ ὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν ὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τῦ ὐρανῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπου. *Et nemo aſcendit in coelum, niſi qui de coelo deſcendit, filius hominis*. Et alibi ſaepius proclamat ſe eſſe verum panem, panem Dei, qui de coelo deſcenderit, atque item intimat Καταβέβηκα ἐκ τῦ ὐρανῦ, ὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τῦ πέμψαντός με. *Deſcendi de coelo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*. Heic *Socinus*, ut omnibus ludibrium debeat, & non ſine buccina & ſibilo e ſanorum hominum conſeſſu eiiciatur, contemplationem ſomniabit, qua in coelum Chriſtus adſcenderit. Sed & ſe ante Abrahamum fuiſſe Chriſtus clariſſimis verbis teſtatur: ἀμὴν ἀμὴν, inquit, λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγώ εἰμι. *Amen amen dico vobis antequam Abrahamus eſſet, ego ſum*. Qui locus ad Chriſti divinitatem comprobandam tanti momenti eſt, ut, quo eius decretoriam ſententiam, ſi qua pote, *Socinus* & *Grotius* eludant, nugas magis quam interpretamenta in medium proferant. Vbique autem ſe eo ſenſu filium eſſe Dei luculente confirmat, ut & ipſe Deus, & Deo aequalis eſſe intelligatur; quod in cauſſa fuit cur increduli Iudaei nunc eum interficere, nunc lapidibus impetere voluerint. Διὰ τῦτο οὖν μᾶλλον ἐζήτουν αὐτὸν οἱ ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι, ὅτι ὐ μόνον ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ. *Propterea igitur magis quaerebant ipſum Iudaei occidere, quia non ſolum ſolvebat Sabbatum, ſed & patrem proprium dicebat Deum, aequalem ſeipſum faciens Deo*. Et, Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι λέγοντες, περὶ καλῦ ἔργου ὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφη-

μίας

μίας, καὶ ὅτι συ ἄνθρωπος ὢν ποιεῖς σεαυτὸν Θεόν. *Reſponderunt ei Iudaei dicentes, non de bono opere lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia, quum tu homo ſis, facis te ipſum Deum*. Dixerat enim ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμέν. *Ego, & pater unum ſumus*. Verum quidem eſt, ut furentes Iudaeorum animos compeſceret, & ad tranquillitatem revocaret, demonſtraſſe illis, ipſorum Lege laudata, homines etiam aliquando adpellari Deos: Ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε. *Ego dixi: Dii eſtis*. Sed id fecit, ut oſtenderet nullam fuiſſe cauſſam, cur ſe lapidibus peterent, quando etſi merus nuduſque homo ſe Deum diceret, blaſphemiae tamen reus agi non poſſet. Quanto ergo minus is, qui quum in forma Dei eſſet, iure non rapinam arbitratus eſt eſse ſe aequalem Deo, ut Divus *Paulus* exclamat? Eapropter Apoſtolus Thomas Chriſtum a morte redivivum ſuum Deum adpellat, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. *Dominus meus, & Deus meus* ei dicens, ut *Iohannes cap.* xx. refert; & ineptiae vel deliramenta potius ſunt, quae heic adfert *Engedinus*, dum ea verba exclamationem demirantis Thomae eſſe pertendit, nam explicate, & diſerte Evangeliſta ait: *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus*. *Iohannes* quoque de Chriſto *Epiſtola I.* loquens ait, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. *Hic eſt verus Deus, & vita aeterna*. Praeclariter quoque *Paulus* ad Romanos ſcribens *cap.* ix. quum de Iudaeis Patriarchis ageret, ait: ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα· ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſaecula*. Non vacat tamen in praeſentiarum omnia novi Teſtamenti loca, in quibus Chriſtus verus Deus manifeſte demonſtratur, edere atque congerere. Sed hiſce contentus ſum, utpote quae, niſi quis contentionis funem ducere velit, aut mentem habeat Cymmeriis tenebris atriorem, Chriſto Ieſu divinitatem apertiſſime vindicare nemo ierit inficias.

CA-

C A P V T II.

Eiuſdem argumenti continuatio.

COntemto igitur illo Mileſiarum, & deliramentorum theſauro, quem *Bibliothecam Fratrum Polonorum* adpellant, ex ipſis Apoſtolorum ſcriptis recta eorum de vera Chriſti divinitate ſententia reſultat atque eminet, quem & mundi opificem eſſe praedicaverunt, ut *Iohannes* quidem ipſo ſuorum commentariorum limine copioſe atque prolixe: *Paulus* autem ad Ebraeos breviter & perſpicue: πολυμέρως, inquit, καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquutus eſt patribus in Prophetis, in noviſſimis diebus hiſce loquutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit haeredem univerſorum, per quem fecit & ſaecula*. In ea autem, quam Coloſſenſibus ſcribens, fuſiore ſtylo eadem explicat & exſequitur, dicens eos translatos eſſe εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. *In regnum Filii dilectionis ſuae, in quo habemus redemtionem per eius ſanguinem, remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturae, quia in ipſo condita ſunt univerſa in coelis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates. Omnia per ipſum & in ipſo creata fuere, & ipſe eſt ante omnes* [vel *omnia*] *& omnia in ipſo conſtant*.

Per illum autem rerum univerſitatem conditam fuiſſe ab ipſo Chriſto profecto Apoſtoli accepere. *Iohannes* enim ita ſuae Epiſtolae initium facit: ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη. *Quod fuit ab initio,*

quod

Digitized by Google

quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrae contrectaverunt de Verbo vitae, & vita manifeſtata eſt. Et mox, ὃ ἑωράκαμεν, καὶ ἀκηκόαμεν ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν. *Quod vidimus & audivimus, adnuntiamus vobis*. Et *Paulus* Apoſtolus Galatis ſcribens ait: γνωρίζω δὲ ὑμῖν, ἀδελφοὶ, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ, ὅτι οὐκ ἔστι κατὰ ἄνθρωπον, οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ, οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Notum autem vobis facio, Fratres, Evangelium quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Ieſu Chriſti*. Quod ſi forte iſthuc ipſum, per Chriſtum ſcilicet mundum a Deo creatum fuiſſe, dilucide & totidem verbis pronunciatum in Chriſti ſermonibus & adlocutionibus invenire non eſt, meminiſſe oportet clauſulae, qua ſuo Evangelio terminum *Iohannes* imponit: ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἕν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι γραφόμενα βιβλία. *Sunt autem & alia multa quae fecit Ieſus, quae ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*.

Apoſtolos pariter non latebat, Moſen & ceteros Prophetas de Chriſto paſſim eſſe loquutos: quod facile quidem intellexere ex ipſius Chriſti dictis, & diſputationibus cum Iudaeis, quibus expreſse atque enucleate apud *Iohannem* dixerat: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσι αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam aeternam habere, & illae ſunt quae teſtimonium perhibent de me*. Et mox: ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς, εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε. εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί· περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραφεν. *Eſt qui accuſat vos Moſes, in quo vos ſperatis: ſi enim crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Haec autem dixit *Ieſus* Iudaeis, quum antea ſe filium eſſe Dei declaraſſet, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ, *aequalem ſeipſum faciens Deo*, ut inquit Evangeliſta. Quare videntur ex hoc Apoſtoli Moſen & Prophetas de Chriſti divinitate loquutos eſſe potuiſſe intelligere. Quum autem Chriſto ipſo monſtrante, & praeeunte vel ex obſcurioribus ſcripturarum locis veritatem eruere didiciſſent, prout quando Chriſtus Sadducaeis mortuorum reſur-

Digitized by Google

reſurrectionem fore mira Moſis explanatione comprobavit; quidni forte & in edicto, & λόγῳ, quo Moſes Deum rerum univerſitatem effeciſſe ſcribit, arcanos ſenſus ſcrutantes Chriſtum invenire potuerint? Eius divinitatem adgnoſcebant, ut late demonſtratum eſt; per ipſum mundum fuiſſe conditum fatebantur; de ipſo Moſen loquutum eſſe indubitanter noverant, & quidem, ut videtur, tamquam de Deo; Moſen autem non una vice, ſed crebrius a Deo διὰ λόγου omnia producta fuiſſe adfirmare probe ſciebant; quid igitur reſtabat, niſi ut aperte intelligerent, Chriſtum, per quem ſaecula facta ſunt, eſſe illud verbum ſermonemque Dei, quo coelum, & terram, & omnia, quae iis continentur, condita fuiſſe literis Moſes mandavit? En ſtatim ὁ λόγος, & ὁ θεῖος λόγος, & ὁ λόγος ἐνυπόςατος. Quamobrem non ſine magna ratione vir doctiſſimus, qui tandem peiora ſequutus ad Socinianum dogma praevaricatus eſſe videtur, *H. Grotius* iſthuc ipſum, quod nos adſerimus, intrepide adfirmat, quod etiam notabat *Rich. Simonius Par. III. Hiſt. Critic. Nov. Teſtam. cap.* LIV. Cur autem potius vocem λόγος, quam ῥῆμα adhibuerint, & illud inter cetera in cauſſa eſſe potuit, quod iam apud Ebraeos vocabulum illud ad hypoſtaſin quandam ſignificandam uſurpari ſoleret, ut ex *Sapientiae* libro conſtat, & quod apud LXX. illud vocabulum uſitatius eſſet ac tritius, quum de Verbo Dei ageretur, ut exempli gratia *Pſalmo XXXII.* ὅτι εὐθὴς ὁ λόγος τȣ̃ κυρίου καὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτȣ̃ ἐν πίςει. ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην καὶ κρίσιν, τȣ̃ ἐλέους κυρίου πλήρης ἡ γῆ. τῷ λόγῳ τȣ̃ κυρίου οἱ ȣ̓ρανοὶ ἐςερεώθησαν, καὶ τῷ πνεύματι τȣ̃ ςόματος αὐτȣ̃ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν· συνάγων ὡσεὶ ἀσκὸν ὕδατα θαλάσσης, τιθεὶς ἐν θησαυροῖς ἀβύσσους. *Quia rectus eſt Sermo Domini, & omnia opera eius in fide. Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra. Sermone Domini coeli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. Congregans ſicut in utre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.*

Quod ſi cui forte minus apta Moſaicorum verborum interpretatio videatur [quamquam eum plane deſipere, quae hactenus diſſeruimus, abunde revincerent: nihil enim rectius, & praeviis cognitionibus congruentius elici poteſt] ut ſe toto coelo errare tandem adgnoſcat, animadvertat quaeſo ſimili paſ-

paſſim modo coeleſtes literas Apoſtolos interpretari, & explicare conſueviſſe; quod & veras iuſtaſqne eiuſmodi enarrationes eſſe probat: & Moſen potuiſſe eo modo, quo nos contendimus, ab eis intelligi, ulterius demonſtrat. Subficit Epiſtolam ad Ebraeos evolviſſe, ut primore quis adſpectu comprehendat, quaedam ab eis ex veteri Teſtamento ad Ieſum Chriſtum referri, quorum expoſitionem niſi θεοπνευςὸν crederemus, nunquam fortaſſe probaremus. Vnicum exemplum protuliſſe ſubficiet, ut brevitati conſulatur: Filio Dei dictum cenſet Apoſtolus illud Pſalmographi: *σὺ κατ' ἀρχὰς, κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου, εἰσὶν οἱ ὐρανοὶ· αὐτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμένεις· καὶ πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται, καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς, καὶ ἀλλαγήσονται· σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου ὐκ ἐκλείψουσι.* *Tu a principio, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt coeli; ipſi peribunt, tu autem permanes; & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & tamquam opertorium convolves eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Ex quo magis magis atque percipere eſt, Apoſtolos omnem lapidem moviſſe, ut veterum ſcripturarum interpretationibus Chriſtum eſſe Deum, & univerſitatis opificem incredulis perſuaderent. Cur autem Moſen eo, quo diximus, modo, quando tam multa ad id adliciebant, & tam congruenter poterant, non intelligerent? Quid quod alii in illo Moſis *In principio* Filium Dei repere-re, ut *Tertullianus*, *Hilarius*, *Auguſtinus*, ut de *Altercatione Iaſonis*, & *Papiſci* ſileam? alii vero ex illo iuſſu, quo Deus res fieri & produci imperabat, aliam perſonam, Filii ſcilicet, cui praeciperetur, intellexere, ut laudatus *Tertullianus adverſus Praxean*, *& Novatianus De Trinitate*? Quo igitur non proceſſit literarum abſtruſiſſimarum acuta & ſubtilis interpretatio?

Non me quidem fugit Apoſtolos illud Moſis, quod *Deuteronomii cap.* XVIII. 15. habetur, de Chriſto expoſuiſſe, ut conſtat ex *Act. cap.* III. 22. & *cap.* VII. 37. At id non prohibet quin & alibi Chriſtum ſcrutati fuerint Moſis commentarios evolventes: & praecipue quum in adlegato *Deuteronomii* loco nihil de Chriſti divinitate inſinuetur, quod ipſe *Iulianus Auguſtus* apud Cyrillum Chriſtianis obiiciebat. Et ſatis liquet

non

non uno loco in libris Moſis de Chriſto agi; quid enim aliud indicant illa, quae dicit Chriſtus ipſe apud *Lucam cap. ultimo.* οὗτοι οἱ λόγοι οὓς ἐλάλησα πρὸς ὑμᾶς ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, ὅτι δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις, καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. *Haec ſunt verba quae loquutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quae ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me?* Adeundus *Auguſtinus Lib. XVIII. De Civ. Dei cap.* XI. & faciunt ea, quae habet idem Scriptor eminentiſſimus *Lib. XII. contra Fauſtum cap.* VI. *Heic forte dicant*, inquit, *oſtende nobis ubi ſit Chriſtus ab Iſraëlitis Prophetis praenunciatus: quaſi parva ſit iſta auctoritas, qua dicunt Apoſtoli ea, quae in Ebraeorum Prophetarum literis legimus, in Chriſto eſſe completa, vel quod dicit ipſe Dominus, de ſe illa eſſe conſcripta.*

Sed & *Sapientiae* Scriptor Apoſtolis praeire potuit, qui ἐν θείῳ λόγῳ mundum fuiſſe factum diſerte ait. Et quidem quam ſimilia ſunt, quae ille Auctor, & *Iohannes* initio Evangelii habent? *Iohannes* Verbum adpellat *vitam*, *lucem*, *& lucem veram, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et ille *Sapientiam* vocat *Splendorem lucis aeternae*, eamque omnia poſſe dicit, & innovare omnia in ſe permanentem. *Iohannes* omnia per Verbum eſſe facta, & ſine ipſo factum eſſe nihil, & hoc Verbum fuiſſe in principio, & fuiſſe apud Deum. Ille autem de *Sapientia cap.* IX. ſcribit Deum orans: καὶ μετά σου ἡ σοφία ἡ εἰδυῖα τὰ ἔργα σου, καὶ παροῦσα ὅτε ἐποίεις τὸν κόσμον, καὶ ἐπισαμένη τί ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου, καὶ τί εὐθὲς ἐν ἐντολαῖς σου. *Et tecum Sapientia tua, quae novit opera tua, quae & adfuit tunc quum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in praeceptis tuis.*

Nec mirum ſi Apoſtoli illius Scriptoris, qui Salomonem imitatur, veſtigiis inſtiterunt, quum quod *Salomon* de Sapientia ſcribit, de Chriſto conſtanter intellexerint: quare iuxta *Paulum* ad Coloſſenſes ſcribentem in ipſo εἴσι πάντες οἱ θεσαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. *Sunt omnes theſauri ſapientiae & ſcientiae abſconditi.* Et *Epiſtola I. ad Corinthios* idem Apoſtolus vocat Chriſtum θεοῦ δύναμιν, καὶ θεοῦ σοφίαν, *Dei virtutem, & Dei Sapientiam.* Et pariter de eodem ſcribit: ὃς ἐγενήθη

νήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεȣ̃. Qui fuit nobis Sapientia a Deo. Et ad Salomonem reſpicere ſolitum Apoſtolum fuiſſe vel indicat, quod vocat eumdem Chriſtum laudata *Epiſtola* ad Coloſſenſes, *πρωτότοκον πάσης κτίσεως. Primogenitum omnis creaturae*, quod ex *VIII. Proverbiorum Capite* ſumtum eſt.

Sed ut ad *Sapientiae* Scriptorem revertamur, nonne illud *Pauli* ad Ebraeos de divino Filio loquentis *δι' ȣ̃ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, φέρωντε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, Per quem & ſaecula fecit, qui quum ſit ſplendor gloriae, & character ſubſtantiae eius, portetque omnia verbo virtutis ſuae*: & illud eiuſdem Coloſſenſibus ſcribentis, *ὅς ἐστιν εἰκὼν τȣ̃ θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτου, Qui eſt imago Dei inviſibilis*: & ſimile in altera ad Corinthios: *ὅς ἐστιν εἰκὼν τȣ̃ θεȣ̃, Qui eſt imago Dei*, ex illo Auctore deducta ſunt manifeſtiſſime? Apud eum enim *cap.* VII. de Sapientia legitur: *ἀτμὶς γάρ ἐστι τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τȣ̃ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής. διὰ τȣ̃το ȣ̉δὲν μεμιαμμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει. ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου, καὶ εἴσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τȣ̃ θεȣ̃ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτȣ̃. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio omnipotentis gloriae ſincera: ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Splendor eſt enim lucis aeternae, & ſpeculum ſine macula operationis Dei, & imago bonitatis illius.*

Verum ut nulla amplius ſubſit haeſitandi cauſſa, *Petrus* Apoſtolorum princeps ſe Dei *λόγον* ex initio *Geneſeos* hauſiſſe, *Epiſtola* ſecunda ſatis oſtendit, ubi Coelum & Terram ex aqua & per aquam *illo Dei verbo* a principio temporis conſtitiſſe diſerte ſcribit: *λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τȣ̃το θέλοντας, ὅτι ȣ̉ρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος, καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα, τῷ τȣ̃ θεȣ̃ λόγῳ. Latet enim eos hoc volentes quod coeli erant prius, & terra, de aqua & per aquam conſiſtens illo Dei verbo.* Nam heic facile percipere eſt, *Petrum* & ad *Geneſeos* exordium reſpicere, & omnia *illo Dei verbo* effecta eſſe adfirmare; quod quidem Verbum, cur aliud cenſeri debeat ab eo, de quo *Iohannes* loquitur, nihil in cauſſa eſſe poteſt. Quae quidem omnia quum vera & prope indubitata ſint, iam liquido patet eo intellectu *τὸν λόγον* a *Iohanne* uſurpatum fuiſſe, ut proprie apteque ſermo interpretandus ſit, quod & Capite inſequenti manifeſtius elucebit.

CA-

Digitized by Google

C A P V T III.

Vocem λόγος in Evangelii Iohannis *initio* Sermo *ſeu* Verbum *interpretandam eſſe ulterius demonſtratur.*

AT vocem λόγος initio Evangelii *Iohannis*, & quotieſcumque is Chriſtum indicat eo vocabulo, *Sermo* aut *Verbum* Latine transferendam eſſe, non ex iis tantum, quae hactenus diſputavimus, luculente patet; verum etiam ex eo, quod in ipſo Eccleſiae ortu, primiſque nominis Chriſtiani temporibus venerabiles noſtrae Sapientiae Antiſtites, qui Apoſtolos audiverant, & eorum conſuetudine uſi fuerant, adeoque quo ſenſu ὁ λόγος ab illis uſurpatus fuiſſet optime noverant, nonniſi ſecundum *Sermonis* intelligentiam acceperunt. *Ignatius* enim Antiochenus Epiſcopus, Petri, ut ferunt, Iohanniſque diſcipulus, qui paulo poſt Iohannis obitum, leonibus pro Chriſto obiectus occubuit, & qui cum *Polycarpo* Smyrnae Praeſule, & Iohannis pariter auditore conloquia habuit, ut eius martyris *Acta*, *Euſebius Lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap.* XXVIII. & *Hieronymus in Catalogo* ſcribunt, geminis, quas ad Magneſianos dedit, Epiſtolis, τοῦ θείου λόγου nomine nonniſi *Dei Sermonem* intelligi, perſpicue & explicate demonſtrat. Nec ulli iam praeſcriptioni Viri illius ſanctiſſimi literae obnoxiae ſunt, poſtquam veras & genuinas ex Codice Florentino ab *Iſaaco Voſſio* editas Viri longe doctiſſimi ab omnibus vitilitigatorum calumniis, plus etiam quam ſatis eſſet, vindicavere.

In memoratarum igitur priore §. VIII. de Ieſu Chriſto filio Dei verba faciens, ſcribit: ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, ὅς κατὰ πάντα εὐηρέστησεν τῷ πέμψαντι αὐτόν. *Qui eſt Sermo ipſius aeternus, non a ſilentio progrediens, quique in omnibus ei, qui ipſum miſerat, complacuit.* Heic ſatis elucet *Ignatium* περὶ τοῦ λόγου loqui quatenus *Sermonem*, aut *Verbum* ſignificat. Secus enim opus non fuiſſet, ut eum ex *Silentio* progredi inficiaretur. Quid *Rationi* cum ſilentio? Heinc etiam patet ad Valentinianorum genealogias, aeonaſque heic non reſpici; in illis enim ὁ λόγος non ἀπὸ σιγῆς, ſed ἀπὸ νοῦ procedit;

νῦς vero ἀπὸ σιγῆς per ea connubia, quae tradit *Irenaeus Lib. I. Adverſ. Haereſ. cap.* I. Quamquam compertum habemus eiuſmodi & reliquis Gnoſticis fuiſſe communia, ut *Epiphanius Haereſ.* XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. auctor eſt. Gnoſticos autem, eorumque ſectas *Ignatii* temporibus iam excitatas fuiſſe [non loquor modo de Gnoſticis κυρίως dictis, qui a *Carpocrate* eiuſque filio *Epiphane* originem traxiſſe perhibentur ; nam Gnoſticorum adpellatio multis aliis antiquioribus haereticis adtributa fuit, ut videre eſt apud laudatum *Epiphanium* adverſus haereſes ſcribentem] conſtat ex iis, quae diſputantur apud *Cotelerium* in controverſiis *De Epiſtolis Ignatii Part. II. cap.* III. & quae a nobis tempeſtive proferentur inferius.

Poſteriore vero Epiſtola *Ignatius* de Chriſto pariter loquens ita ait: Διὰ Ἰησῦ Χριςῦ τῦ υἱῦ αὐτῦ, ὅς ἐςιν αὐτῦ λόγος, ὐ ῥητὸς, ἀλλ᾽ ὐσιώδης· ὐ γάρ ἐςι λαλίας ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ᾽ ἐνεργείας θεϊκῆς ὐσία γεννητὴ, ὅς πάντα κατευηρέςησε τῷ πέμψαντι αὐτόν. MS. legit: πᾶσιν εὐάρεςος τῷ ὑποςήσαντι, quod oſtendit ὐσίαν heic ſignificare ὑπόςασιν, de quibus vocibus videndi Viri docti ad hunc *Ignatii* locum, & *Dionyſ. Petavius* in *Theologicis Dogmatis*. Graeca autem *Ignatii* verba ita ad Latinas aures transferuntur. *Per Ieſum Chriſtum filium ſuum, qui eſt ipſius ſermo, non pronunciatus, ſed ſubſtantialis: nec enim eſt articulatae loquelae vox, ſed divinae efficaciae genita ſubſtantia, qui per omnia complacuit ei, qui ipſum miſit*. Heic qui non videt λόγον nonniſi *Sermonem* aut *Verbum* exprimi poſſe, mentem, ut aiunt, Cimmeriis tenebris atriorem habeat neceſſe eſt. Quum igitur *Ignatius*, ut liquet, non περὶ ἄλλου λόγου agat, quam de eo, de quo *Iohannes*, & alii Apoſtoli: & Apoſtolorum mentem, utpote σύγχρονος, & familiaris, probe noviſſe potuerit: quid adhuc diſquiſitionibus egemus, ut, *Ratio* λόγος, an *Sermo* in Evangelio verti debeat, intelligamus?

Sed & illud, quod *Ignatius* innuit, Gnoſticos videlicet τὸν λόγον veluti vocem quamdam loquela formatam, & in ſyllabis poſitam intellexiſſe, argumento eſt eo ſenſu ab Apoſtolis id vocabuli uſurpatum fuiſſe, ut *Sermonem* ſignificaret. Haeretici enim Apoſtolicam veramque doctrinam ſuis nugis veluti materiam quamdam ſubſternunt, ut eam deinde impiorum

rum

Digitized by Google

rum errorum deliramentis invertant atque deforment. Noſtri argumenti pondus augetur etiam ex eo, quod Valentiniani, qui antiquiorum Gnoſticorum erant veluti traduces, cum illis in hoc ad miraculum conveniebant, ut ex *Origene Tom. I. in Iohannem* proclive eſt intelligere. Ibi enim hoſce haereticos confutans, ut etiam doctiſſimus *Dan. Huetius in Origenianis* obſervat, ita ſcribit: ὡς σαφὲς προϊεμένοις τὸ τί ποτέ ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ λόγος ὀνομαζόμενος, καὶ μάλιστα ἐπεὶ συνεχῶς χρῶνται τῷ· ἐξερεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθὸν, οἰόμενοι προφορὰν πατρικὴν οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένην εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο ὑπόστασιν αὐτῷ, εἰ ἀκριβῶς αὐτῶν πυνθανοίμεθα, οὐ διδόασιν, οὐδὲ οὐσίαν αὐτοῦ σαφηνίζουσιν, οὐδέπω φαμὲν τοιόνδε ἢ τοιάνδε, ἀλλ' ὅπως ποτὲ οὐσίαν. λόγον γὰρ ἀπαγγελλόμενον υἱὸν εἶναι νοῆσαι καὶ τῷ τυχόντι ἐστὶν ἀμήχανον. *Tamquam liqueat quid ſit Filius Dei, Verbum nuncupatus, idque tum maxime, quod continue utantur hoc dicto: Eructavit cor meum verbum bonum. Exiſtimantes Filium Dei paternam prolationem eſſe tamquam in ſyllabis poſitam: & idcirco hypoſtaſin illi & ſubſiſtentiam, ſi adcurate ipſos interrogemus, non tribuentes, neque eſſentiam eius explorantes; nondum dicimus talem vel talem, ſed quomodocumque eſſentiam. Verbum enim pronuntiatum intelligere vel vulgaris quivis poteſt.* Heic *Sermonem* recte dici Filium Dei *Origenes* indicat, ſed eius eſſentiam queritur a Valentinianis non explicari, a conſueta vocabuli ſignificatione ad perverſam de eius natura opinionem abreptis.

Adſertionem quoque noſtram confirmat illud, quod Latini Scriptores initium Evangelii *Iohannis* convertentes, τὸν λόγον *Verbum* vel *Sermonem* fere ſemper conſtanterque reddiderunt. *Sermonem* Latine vertit *Sept. Tertullianus*, qui ſecundo ſaeculo floruit. *Sermonem* interpretatur *Novatianus*, qui circa annum Chriſti CCL. claruiſſe perhibetur: *Sermonem Caecilius Cyprianus*, qui ſub Valeriano & Gallieno principibus paſſus martyrii coronam meruit. Sed & Latinae novi Teſtamenti interpretationis ratio habenda eſt, nam ea quin pervetuſta ſit, & Evangeliſtis ipſis prope coaeva, ut recte notat *Calmetius in Prolegomenis in libros Novi Teſtamenti*, dubitari non poteſt. Et certum quidem ratumque eſt, *Auguſtino II. De Doctrina Chriſtiana cap.* XI. teſte locupletiſſimo, primis fidei temporibus di-

P 2 vinas

vinas Scripturas a multis Latine verſas fuiſſe, quod etiam recipit Criticus ille acerrimus *Rich. Simonius Part. II. Hiſt. Crit. Novi Teſtam. cap.* III. At de eo, quod adſeruimus, dubitare quoque non ſinit aperta & inſigni teſtificatione modo laudatus *Tertullianus*, qui Praxean exagitans *cap.* v. & de Verbo ſeu Ratione Dei loquens monet uſum iam invaluiſſe ut λόγος in Evangelio *Sermo* ad Latinas aures transferretur. *Rationalis enim Deus*, inquit, *& Ratio in ipſo prius: & ita ab ipſo omnia. Quae Ratio ſenſus ipſius eſt, hanc Graeci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam ſermonem adpellamus. Ideoque iam in uſu eſt noſtrorum per ſimplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuiſſe &c.* quo in loco ſimplicitas in bonam partem accipitur, ut recte notat *Pamelius*. Non vacat modo per omnes primorum trium a Chriſti ortu ſaeculorum Scriptores excurrere, quorum auctoritate, quod adſeveramus, ulterius & dilucide comprobaremus; unum tamen indictum nolo, *Athanaſium* videlicet *Oratione V. contra Arianos* §. XII. iſthuc ipſum luculenter oſtendere.

CAPVT IV.

Patres Apoſtolici recte de Chriſti Divinitate ſenſere.

Sed quorſum, quis dicat, tam minuta & prope ſuperſtitioſa unius vocis conſectatio, atque diſcuſſio? Nonne λόγος *Iohannis*, *Ratio* quoque recte ac congruenter verteretur? Vtique. *Chriſtus* enim non tantum *Sermo*, ſed & *Ratio*, & *Mens*, & *Sapientia* Dei eſt. Et vere ſcribit *Hieronymus* Paulino: λόγος *Graece multa ſignificat. Nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſſa uniuſcuiuſque rei: per quam ſunt ſingula quae ſubſiſtunt: quae univerſa recte intelligimus in Chriſto*. At nos non tantum ſoliciti ſumus de vocis interpretatione, quantum de poteſtate, quam voci potiſſimum ſubiicere Apoſtoli voluerunt. Vtro vocabulo λόγος mutetur, parum quidem referre videatur, ſed non parvi facienda ſunt, quae illheinc Chriſti Divinitatis inimici atque impugnatores deducere ſacrilego auſu conantur. Novi quidem, etſi λόγος *Ratio* in *Iohanne* ver-

verti debeat, eos nihilominus cauſſa caſuros: veritatem enim opprimere impoſſibile: ſed ne eiuſmodi quidem adminiculum eos, & coniecturam iuvare, ut illis os magis atque magis obſtruatur, demonſtrare lubuit. *Ioh:* enim *Clericus*, qui Socinianis eorumque dogmatis inhaeret, *Rationem*, *Iohannis* λόγον interpretando, facilius ſe perſuaſurum exiſtimat a *Philone* ſuum λόγον Evangeliſtam accepiſſe, qui illum quidem ex Platonis Philoſophia deduxerit. *Platonem* autem vult naturali quadam ratiocinatione in eius cognitionem deveniſſe, Dialectices regulis perverſe abuſum. Quare ſomnium potius quam ratiocinationem fuiſſe conſectarium exſiſtit; eademque de cauſa *Platonis* λόγον, inane ridiculumque commentum. Ergo & *Philonis* λόγον. Ergo & *Iohannis*. Sed heic *Clericus* reclamat. At iis verbis reclamat, quae Socinianiſmum non exculcant. Quare commentum de pluribus in Divinitate hypoſtaſibus in Apoſtolos ipſos refundere velle videtur.

Audacior profecto eius eſt inſolentia & impietas, quam eorum fuerit, qui ſecundo vertente ſaeculo *Iuſtinum* Martyrem, & *Clementem* Alexandrinum profana Philoſophia imbutos, λόγον a Platone acceptum Chriſtianae doctrinae adcommodaſſe, feciſſeque plures divinas hypoſtaſes, temere & inconſulte adfirmare non erubeſcunt. Iam nos ſuperius Apoſtolicis teſtimoniis in medium conſulto adductis evidenter oſtendimus, Chriſti divinitatem Apoſtolis cognitam fuiſſe, quibus unum adhuc addere lubet ex *Iohanne*, apud quem Ieſus haec divinum Patrem efflagitat: καὶ νῦν δόξασόν με σύ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τὸν κόσμον εἶναι παρά σοι. *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud teipſum gloria, quam habui antequam mundus eſſet, apud te.* Non deſunt profecto qui hiſce verbis προϋπαρξιν animarum inſinuari contendant. Sed falluntur proculdubio. At ſi id verum eſſet, an & Chriſtus Platonicus? conſulendus eſt *Clericus*.

Viris etiam Apoſtolicis, hoc eſt, eis, qui vel Apoſtolos audierunt, vel eodem tempore vixere ac Apoſtoli, Chriſti divinitatem adcreditam fuiſſe, ex ſuperius prolatis *Ignatii* locis elucet atque eminet, quibus & duos inſignes ex eiuſdem ad Epheſios *Epiſtola I.* adiicere e re noſtra eſt. Primus habe-

tur §. xix. & eſt qui ſequitur: *Θεῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. Deo humanitus manifeſtato in novitatem vitae aeternae*. Quod quidem tractum videri poteſt ex illis Apoſtoli *I. ad Timotheum* memorabilibus verbis: *καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐςὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυςήριον. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιςεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Et ſine controverſia magnum eſt hoc pietatis ſacramentum, Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus in ſpiritu, viſus Angelis, praedicatus in gentibus, creditus in mundo, adſumtus in gloria*. Quae quidem Apoſtolicam de Chriſti divinitate fidem ulterius arguunt. Nec diſſimiliter altero loco, qui eſt §. vii. Chriſtus *Ignatio* dictus fuerat *ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεός. In carne exſiſtens Deus*. Sed nullus eſt ambigendi locus quin primitivis Chriſtianis Chriſti divinitas cognita eſſet, & credita, quum eos *Plinius* Epiſtola ad Traianum *Lib. X. Epiſt.* xcvii. ſolitos fuiſſe adfirmet *carmen Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem*. *Tertullianus* Epiſtolae huius auctoritate in Chriſtianorum defenſionem utens, ſic iſta *Plinii* reddit: *Nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam coetus antelucanos, ad canendum Chriſto, ut Deo*; quemadmodum legendum eſſe probant *Scaliger*, & *Huetius*, tum ex Epiſtola *Plinii*, tum ex Graeco *Euſebii*: habet enim hic: *Χριςὸν ὡς Θεὸν ὑμνοῦσιν*. Alibi etiam idem *Euſebius* ex vetuſtis quibuſdam commentariis docet *Iuſtinum*, *Miltiadem*, *Tatianum*, *Clementem*, *Irenaeum*, *Melitonem*, alioſque complures Chriſto divinitatem tribuiſſe; tum ſubiicit, iam inde a primis Eccleſiae temporibus Chriſtianos Chriſto, ut Deo, carmina canere conſueviſſe. *ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν, ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιςῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριςὸν ὑμνοῦσι, θεολογοῦντες. Quot autem pſalmi, & odae fratrum, ab initio a fidelibus ſcriptae, Verbum Dei Chriſtum, ut Deum, praedicabant. Lib. V. Hiſtor. Eccleſ. cap.* xxviii.

Huc etiam lubenter transferrem ex ea, quae *Barnabae* nomine circumfertur, Epiſtola quaedam: ibi enim §. *V.* Filius Dei in carne veniſſe dicitur, eiuſque manuum opus eſſe ſolem adfirmatur, ſicut & §. *VI.* dictum a Patre Filio illud Moſis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſi minus *Voſſii*, *Bulli*, *Cavei*, *Pearſonii*, *Dodvvelli*, *Du-Pinii*, alio-

aliorumque opinione poſthabita, doctis aliis criticiſque Viris adſentirer, qui eam ab alio Auctore poſt excidium Hieroſolymitanum ſcriptam fuiſſe cenſent, ante finem tamen ſecundi ſaeculi. Eamdem enim eſſe atque eam, quam citant *Clemens* Alexandrinus, *Origenes*, & *Hieronymus* pluribus oſtendit eruditus Monachus *H. Menardus*. Quamquam intentionem noſtram non parum ea probare deprehenditur, nam nec ſtatim forte *Platoniſmi* Auctorem ἀπόκρυφον inſimulare eſt; nec ſtatim oſtendere *Iuſtini* profanas, ſi Deo placet, novitates inferentis, & cui certe Chriſtiani omnes aliter ab Apoſtolis edocti reſtitiſſent, veſtigiis inhaeſiſſe. Itaque ille loco cedat Romano *Clementi*, cuius & in coeleſtibus literis mentio eſt, & qui Apoſtolicae fidei conſultiſſimus fuit. Hic igitur *Epiſtola* illa ad Corinthios celeberrima, & qua poſt canonicas ſcripturas nullum venerabilius Chriſtianae antiquitatis monumentum habemus, Chriſtum diſerte Deum adpellat, de Dei perpeſſionibus mentionem faciens his verbis: τοῖς ἐφοδίοις, inquit, τοῦ θεοῦ ἀρκούμενοι, καὶ προσέχοντες τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπιμελῶς· ἐστερνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις, καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. *Dei viatico contenti, & adtendentes ſermonibus eius diligenter: dilatati eratis in viſceribus, & paſsiones illius praeoculis veſtris erant.* Heic autem mirari ſubit oculatiſſimum Criticum *Photium* haec fugiſſe, dum *Codice CXXVI.* Clementem reprehendere non dubitavit, quod Pontificem Praeſidemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adpellans, οὐδὲ τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἀφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς, *illas Deo convenientes, & ſublimiores de eo voces non protulit*. Nec minus mirandum, quod obiter, & e re nata animadverſum ſit, culpari pariter ab eodem *Photio* Clementem, quod τοῦ Ὠκεανοῦ ἔξω, κόσμους τινὰς ὑποτίθεται εἶναι, *extra Oceanum mundos quoſdam exſiſtere ſubponit*, quum id veriſſimum eſſe tandem experientia demonſtraverit. Quare Criticus ille in re ſuis temporibus ſaltem dubia, iudicium ſuum praecipitanter ferre non debuit. Eo magis quod viros longe doctiſſimos *Clementem* Alexandrinum, & *Origenem* habuit ſuae ſententiae Clemens ille adſtipulatores. Nec quod exemplo Phoenicis, fabuloſae avis, utatur, ideo meruit, ut in eum cenſoria virgula ab eodem *Photio* adſumeretur, quum res eſſet

 Cle-

Digitized by Google

Clementis tempore eruditis omnibus credita, ut *Voſsius L. III. De Idololatr. cap.* XCIX. aliique viri hiſtoriarum peritiſsimi luculenter oſtenderunt, & facile emineat eo argumento non uti Clementem, *ut probet τῶν νεκρῶν ἀνάςασιν, ſed ut oſtendat ex re credita, non eſſe eam τῶν ἀδυνάτων*, quae ſunt verba *H. Grotii* Epiſtola quadam ad Hieronymum Bignonium typis non excuſa.

Grotii autem mentione facta, mihi temperare non poſſum quin exclamem, mirandum itidem omnino, quod vir eruditiſsimus, & acerrimo ingenio praeditus, luculentiſsimorum teſtimoniorum ratione minime habita, tandem ad eam opinionem defecerit, quae Socinianis omnibus communis exiſtimat platoniſsare Chriſtianos, quum de Chriſti divinitate ſplendide magnificeque loquuntur, & ab huiuſmodi loquutionibus Apoſtolos, Apoſtolicoſque Patres ſemper abſtinuiſſe, quod quidem manifeſte indicat *Epiſtol.* ad Gallos *CLIV.* ad laudatum Hieronymum Bignonium, dum inter alias cauſas, cur *Epiſtolam I. Clementis* ad Corinthios veram, & genuinam cenſeat, & illam adducit, *Quod de Chriſto ſemper loquitur, non ut poſteriores πλατωνικώτερον, ſed ſimpliciter plane, & ut Paulus Apoſtolus ſolet*. Vtinam hac Socinianiſmi labe ſe paſsim infectum in ſuis operibus non prodidiſset, nam & famae integrioris honore gauderet, & iuſtae orthodoxis hominibus querimoniae occaſionem minime praebuiſset. Interim ex *Epiſtola II.* ad Corinthios, quae a multis eidem Clementi vindicatur, & de qua laudatus *Grotius* ſaltem non dubitat, quod ad noſtrae cauſae firmitatem ſubſicit, *quin primi ſaeculi ſit opus, ſcriptum ante conſtitutum Eccleſiarum conſenſu canonem, & forte alterius alicuius Clementis*, proferamus illud, quod eos ſapienter & graviter monet, quodque utinam tandem & noſtri temporis Photiniani capiant. Ἀδελφοὶ, οὕτως δεῖ ἡμᾶς φρονεῖν περὶ Ἰησοῦ Χριςοῦ, ὡς περὶ Θεοῦ, ὡς περὶ κριτοῦ ζώντων καὶ νεκρῶν. καὶ οὐ δεῖ ἡμᾶς μικρὰ φρονεῖν περὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, ἐν τῷ γὰρ φρονεῖν ἡμᾶς μικρὰ περὶ αὐτοῦ, μικρὰ καὶ ἐλπίζομεν λαβεῖν. *Fratres, ita ſentire nos oportet de Ieſu Chriſto, tamquam DE DEO, tamquam de Iudice vivorum & mortuorum; nec decet nos humilia ſentire de ſalute noſtra; dum enim humiliter ſentimus de illo parva etiam accepturos nos ſperamus*. Quae quidem omnia im-

impudentiſſimas mendacium hominum ineptias manifeſte coarguunt, & veritatem a calumniis omnibus vindicatam in propatulo conlocant.

C A P V T V.

Iudaeos Graecanicis ſtudiis atque doctrinis multam operam non navaſſe.

ETſi vero *Philonis* λόγον non ex Platonicis commentationibus, ſed ex Moſis oraculis, Iudaeorumque traditionibus defluxiſſe comprobaverimus, ex quibus & *Platonis* λόγον per quoſcumque tramites quis contendat, ſi res penſiculatius examinetur, derivatum eſſe vero eſt quamſimillimum, quod iam late copioſeque exſequuti ſumus; tamen ut omnis calumniandi anſam ὀνοματοθήραις hominibus, & moroſis vitilitigatoribus tollatur, *Iohannem* Evangelii ſcriptorem ſuum λόγον a Philone accepiſſe omnino a veritate abludere, ſi Deus adnuit, demonſtratum ibimus. Id autem multiplici ratione conficiemus. Primo enim adſertionem noſtram probare conabimur ex Graecanicarum doctrinarum, & Philoſophiae apud Iudaeos inſolentia, & rara admodum cognitione. Deinde ex rudi ipſius *Iohannis* imperitia, & ex communi Apoſtolorum a profanis doctrinis averſione & horrore. Item ex aetate qua Evangelia ſcripta perhibentur. Poſtremo ex cauſſa, quae *Iohannem* ad ſcribundum impulit, & modo quo ille traditur Evangelium ſuum auſpicatus eſſe.

Et quod primum adtinet, poſtquam Seleucidae ac Lagidae in Aſia, & in Aegypto monarchias condidere, artes & libros Graecorum coepiſſe magis illis gentibus innoteſcere arbitrandum eſſe non dubito. Magis dixi, nam & antea iis illas innotuiſſe probabile eſt, quandoquidem Graecorum Philoſophorum, & Scriptorum multi Aſiani fuere, ut apud *Laërtium in Vitis Philoſophorum*, & *Suidam*, & *Solinum cap.* XLIII. *Polyhiſtoris* videre eſt. Inde tamen Philoſophiam, & Platonicam inprimis, non Ethnicis tantum, ſed etiam Iudaeis inter eos in Syria & in Aegypto verſantibus adriſiſſe, non video quomodo *Clericus* probet. Vnum enim,

enim, aut alterum Ebraeorum exemplum profert, qui Ethnicae Philoſophiae operam navaſſe perhibentur, quod quidem eiuſmodi ſtudia illi nationi communia fuiſſe non arguit. Gens enim Iudaeorum ſingulari aliarum nationum, & peregrinarum doctrinarum contemtu inſignis fuit. Id non Capitibus tantum *Levitici XVIII. & XX.* inſinuatur, ſed a profanis etiam Scriptoribus, ut *Tacito Lib. V. Hiſtor. Iuſtino Lib. XXXVI. Molone apud Ioſephum contra Apionem Lib. II.* memoriae proditum eſt. Heinc illa quae dicit *Petrus Actor. cap.* x. *verſ.* 28. ad quem locum videndus *Calmetius*, & viri docti. Et quidem memini illud anathema apud Talmudicos legiſſe: *Maledictus ſit, qui docet filium ſapientiam Graecorum.*

Producit igitur *Clericus* Ariſtobulum Peripateticum, de quo alias, & non ἐν παρόδῳ loquuti ſumus. Hic quidem, ut *Clemens Alexandrinus Libro V. Stromatum* auctor eſt, multos contexuit libros, per quos probare contendit Philoſophiam Peripateticam ex Lege Moſaica, & aliis defluxiſſe Prophetis, qui forte iidem ſunt ac commentarii explanationum in Moſen, quos memorat *Euſebius* in *Chronico ad annum* MDCCCXL. Heinc tamen intelligimus tantum abfuiſſe, ut a Moſaicis decretis ad Graecam doctrinam ille deficeret, quin potius illam ea ſolum de cauſſa ſibi adridere, editis voluminibus, demonſtravit, quod e Moſaicis fontibus, Prophetarumque vaticiniis ſibi promanaſſe videretur. Et heic ſtatim percipere eſt Ebraeorum indolem & cautionem: & cur, ſi quibus, Graecorum interdum placitis inhaererent. Sic pariter *Philo*, qui Platonicus, ut videtur, ſecta fuit, & qui eapropter a *Clerico* exhibetur, nunquam ſe talem profitetur, tamquam eum exotici, & profani ſtudii pudeat: & ſi quae illi Platonicum dogma redolentia placent, ſe ea ex Moſis ſcriptis deduxiſſe diſerte pronuntiat.

At ea omnia nonne apertiſſime demonſtrant quantum Iudaei profanis nationum placitis, quae coeleſtibus oraculis minus conſonare viderentur, adquieſcere exhorrerent? Iam patet vix duos a *Clerico* Iudaeos Philoſophos in prope quadringentorum annorum ſpatio, hoc eſt ab Alexandri Magni obitu ad *Claudii* Caeſaris principatum repertos eſſe, quorum unus tantum Platonicus fuit. Nam quum huius ſectae Philoſophis

phis

Digitized by Google

phis *Sapientiae* Scriptorem adcenſendum eſse pertendit, nunc animarum προΰπαρξιν, nunc Platonicum λόγον ab ipſo ingeri dictitans, fruſtra eſt omnino, ſicuti iam mature & evidenter oſtendimus. Iam ſi *Philo* tantum ex Ebraeis Platonicus, & ſeris quidem temporibus, fuiſſe deprehenditur, recurrit Adagium μία χελιδὼν ἔαρ ὐ ποιεῖ.

CAPVT VI.

Idem argumentum continuatur.

AT Phariſaeorum, Eſſenorumque ſectas obiicit *Clericus*, eaſque multa a Platone, aliiſque Graecis conſulta mutua accepiſſe adfirmat. Sed lapidem profecto lavat dum id probare contendit.

Si *Ioſephi* dictis ſtandum eſſet, ſectae Phariſaeorum, Sadducaeorum, & Eſſenorum admodum antiquae fortaſſe viderentur. Ille enim *Lib. XVIII. Antiquitatum cap.* II. de iis loquens neſcio quid moventibus circa annum ante Chriſtum natum CL. eas dicit Iudaeis fuiſſe cognitas ἐκ τῶ πάνυ ἀρχαίου *a temporibus prorſus antiquis*. Imo *Lib. II. De Bello Iudaico cap.* XII. Eſſenis vult debere *Homerum*, & Graecos de Beatorum inſulis, & poenalibus Inferorum locis fidem. Quae quidem Iudaei Scriptoris adſertio incredibilem huius ſectae antiquitatem arguit, cui ſuffragantur *Plinius* & *Solinus*, ille *Lib. V. Hiſtor. Natur. cap.* XVII. ubi de Eſſenis ſcribit: *Ita per ſaeculorum millia [incredibile dictu] gens aeterna eſt, in qua nemo naſcitur.* Hic autem *cap.* XXXVIII. non abſimiliter de iiſdem ait: *Per immenſum ſpatium ſaeculorum [incredibile dictu] aeterna gens eſt ceſſantibus puerperiis.* Si autem iis ſectis magna vindicari poſſet antiquitas, quis facile perſuaſum haberet, eas a primis exordiis nulla certa habuiſſe decreta, quibus quid de animae natura, & Dei providentia, mundique adminiſtratione ſentiendum eſſet, praeſcriberetur; vel ſi habuere, ea tandem reliquiſſe, ut ad externa & profana conſulta deficerent?

Alii memoratarum ſectarum originem ad Samballatem Chuthaeum & Manaſſem cum pleriſque Ebraeorum referendam eſſe cen-

cenſuerunt, ad annum ſcilicet ante Chriſtum natum CCCXXXII. & primum Olympiadis CXII. paulopoſtquam *Plato* naturae conceſſiſſe perhibetur. Sed verior eſſe videtur illorum ſententia, quae opinatur eas ſectas tum temporis incepiſſe, quum Iudaeorum Remp. Aſmonaei moderabantur, & Antiochus Epiphanes cum iis bella gerebat, vel circa ea tempora. *Hieronymus* tamen *in Eſaiam VIII.* Phariſaeorum originem ex Hillelis & Schammai ſcholis paulo ante Chriſti adventum defluxiſſe arbitratur, ſuper quo conſulendus *Ioh. Druſius De Tribus Sectis Iudeorum Lib. II.* At non adverſandum eſſe iis videtur, qui autumant Sadducaeorum initia ad Sadok, CCLX circiter ante Chriſtum natum annis, referenda eſſe, immo magis adſentiendum. Quidquid autem ſit, non facile oſtendere erit, Graecarum opinionum ullam iis ſectis inhaeſiſſe.

Et quidem Sadducaei, qui Epicureos imitati videri poſſent, quod *Philaſtrius* etiam notabat, abſque eo quod ad Graecos reſpicerent, in ſua ſemper gente, quos aemularentur, habuere. Nam qui animorum aeternitatem, & corporum reſurrectionem negarent, fere ſemper inter Iudaeos exſtiterunt, ut aperte conligitur ex *Salomonis Eccleſiaſt. cap.* III. *verſ.* 21. aliiſque locis, & ex *Libro Sapientiae cap.* II. ut nihil de antiquiſſimis dicam, qui Dei providentiam ſtulte negavere, & de quibus *Libro Iobi cap.* XXII. *verſ.* 13. 18.

Quod autem Eſſenos, quos in medium adducit *Clericus*, adtinet, tantum abeſt ut ii Graecorum conſultis inhaeſerint, quin potius teſtatur *Philo* nulla eos Graeca doctrina eruditos fuiſſe, cuius verba referuntur etiam ab *Euſebio Lib. VIII.* Πρoπαρ. *cap.* IV. τοιούτους ἡ δίχα περιεργίας Ἑλληνικῶν ὀνομάτων, ἀθλητὰς ἀρετῆς ἀπεργάζεται φιλοσοφία γυμνάσματα προτιθεῖσα τὰς ἐπαινετὰς πράξεις, ἐξ ὧν ἡ ἀδούλωτος ἐλευθερία βεβαιοῦται. *Tales apud eos ſua illa, Graecorum nominum pompa & ambitione carens Philoſophia, virtutis Athletas efficit, quae non alia quam rerum laudabilium exercitia proponit, quibus libertas illa ſervitutis omnis impatiens maxime confirmatur.* Alibi vero eos diſerte dicit, non exoticam & Graecanicam, ſed τὴν πάτριον φιλοσοφίαν φιλοσοφεῖν. Non abludunt quae habet *Solinus cap.* XXXVIII. *Interiora*, inquit, *Iudaeae, quae occidentem contuentur, Eſſeni tenent, qui praediti*

Digitized by Google

ti memorabili diſciplina , receſſerunt a ritu gentium univerſurum. Heinc eſt quod *Ioſephus Lib. XVIII.* Ἀρχαιολογ. *c.* 11. quum aliarum gentium Philoſophis eos comparare vellet, nihil in Graecis ſimile reperit; ſed eos tantum eadem ratione vivere, ac illos, qui apud Dacos Πλεῖστοι vel Πολισταὶ vocantur, ſcribit. Ita nihil Graecum ad eos tranſivit. Diſciplina enim, ut plurimum, doctrinae placitis conſonat. Sed *Theophraſtus* ipſe apud *Porphyrium Lib. II.* περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς nulla Iudaeos peregrina ſcientia inſtructos, ſed ſui generis tantum dogmatibus inhaerentes philoſophari diſerte perſeverat, ideoque eos homines ipſo genere Philoſophos eſſe dicit, ἅτε φιλόσοφοι τὸ γένος ὄντες : *Philoſophi* nimirum *ipſo genere ſunt*.

Sed & ſiquis externa & Graeca placita ſuis tandem Eſſenos admiſcuiſſe conceſſerit, quaenam ex iis Platonica dixerit *Clericus?* Num animarum προΰπαρξιν, nam haec illis, *Ioſepho* teſte, adcredebatur? Sed quam multis ſectis, & gentibus eiuſmodi opinio communis fuerit, ſuperioribus voluminibus opportune demonſtravimus. Num earumdem in corpora deſcenſum? Sed non in abſimili ſententia Chaldaei etiam fuere. Num de Beatorum Inſulis fidem? At eam ex *Homero* ſumtam fuiſſe contendit. Igitur heic Platonici nihil. Sed cur hanc ab *Homero* accepiſſe dictitat? Nonne ſtat e regione *Ioſephus* rerum Iudaicarum conſultiſſimus? Nam fruſtra eſt *Salmaſius ad Solinum* dum pertendit iſthuc ipſum a *Ioſepho* non diſſimulari, imo prodi: in hoc enim ille dicit tantum eos cum Graecis convenire, ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων, eo quod ab eis, ut deinde ſubdit, filii Graecorum hanc opinionem acceperint, & ſartam tectamque ſervaverint. Nonne ſcribit inſuper *Diodorus*, ea omnia quae de inferis, fortunatiſque Beatorum ſedibus *Orpheus* & *Homerus* fabulati ſunt, ad eorum imitationem, quae in Aegyptiorum funerationibus fieri conſueverant, conficta fuiſſe? Quidni & Eſſeni aliqua ex Aegyptiis in ſua conſulta derivaverint? At de hoc nos dubitare non ſinit *Tacitus Lib. V. Hiſtor.* de Iudaeorum ritibus & decretis loquens. *Corpora condere*, inquit, *quam cremare, è more Aegyptio, eademque cura, & de infernis perſuaſio: coeleſtium contra*. Quare *Marshamus Can. Chronic. ſaecul. XI.* ſcribit: Ἅδης *Homeri & Elyſium continet,*

net, *& Tartara; iuxta Aegyptiorum doctrinam, qui & impiorum poenas, & piorum prata ἐν ᾅδου poſuerunt*. At obponit *Clericus* a Ioſepho Beatorum loca, de quibus erat apud Eſsenos opinio, iiſdem fere verbis atque ab *Homero* deſcribi. At illico advertere eſt, id totum non Eſsenis, ſed Graece ſcribenti Hiſtoriographo tribuendum eſse, qui ſuis rationibus alienum non exiſtimavit, rem non abſimilem elegantibus egregii Vatis verbis exponere.

CAPUT VII.

Animarum corporibus ſeiunctarum ſedes ſub terra a Iudaeis conlocatas fuiſſe.

PHariſaei quidem tamquam Stoicorum imitatores a quibuſdam conſiderantur, ſed tamen nihil eos ab huius ſectae Philoſophis mutuatos eſse liquet, quum eorum opiniones minime cum Stoicorum ſententia conveniant, ſive ad fatum, ſive ad animorum aeternitatem, ſive ad μετεμψύχωσιν reſpiciatur. Non ἀγρυπνία pariter eorum, Stoicorum imitamentum fuit; nec ullo modo αὐτοχειρία iis adriſiſſe probatur, quidquid in contrarium perperam cenſeat *Georg. Hornius Lib. IV. Hiſt. Philoſ. cap.* 11. Nec Graecanicum aliquid aliud ad eos traductum fuiſſe videtur, quamvis, ut obponit *Clericus*, crediderint loca in quibus homines poſt hanc vitam praemia accipient, & poenas dabunt, eſse ſub terra, quod in vetere Teſtamento nuſquam legere eſt. Nec enim conſectarium exſiſtit eos opinionem hanc e *Platonis* ſcriptis deduxiſse. Et profecto, num ſolus *Plato* iſthaec docuit? Nonne ante *Platonem* ſexcenti? Nonne id Aegyptiis inprimis adcreditum, teſte *Plutarcho de Iſide, & Oſiride*, cui *Tacitum* adſtipulari Capite ſuperiore iam vidimus? Sed & in veteri Teſtamento ea habentur, quae indicent Iudaeis perſuaſum ſemper fuiſse loca, in quibus animae morte obita commorantur, eſse ſub terra. At exſcribamus prius, quae *Ioſephus* de huiuſmodi Phariſaeorum opinione *Lib. XVIII.* Ἀρχαιολογ. *cap.* 11. tradit: Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεισ τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευ-

σις

σιν ἐν τῷ βίῳ γέγονε. καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥᾳςώνην τοῦ ἀναβιοῦν. *Animas credunt eſſe immortales, & ſub terris earum iudicia fieri: tum praemia quoque contingere ex virtutis aut malitiae merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem eſſe ad vitam reditum.* Similia etiam habet *Lib. II. De Bello Iudaico cap.* XII.

Iam vero quae exſtent argumenta, quibus eam credulitatem Iudaeorum fuiſſe communem evinci poſſit, videamus. Et primo nulli dubium eſſe poteſt, quin voce שאול modo ſepulcrum, modo loca terrae infima, & quae centrum verſus tendunt, ſignificentur, quare cum verbo deſcendendi paſſim iungitur, & illi ſaepe ex adverſo ponitur coelum. De ſepulcri ſignificatione ſexcenta e divinis literis exempla petere poſſem, atque heic cumulare, ſed viris doctis notiora ſunt, quam ut ea huc transferri oporteat. Quod vero inferiora terrae loca & penitiſſima adtinet, certe inter cetera *Iobi cap.* XI. 8. legitur: *Profundior* משאול *inferno, quid ſcies?* hoc eſt, *quomodo cognoſces?* Nunc inquirendum venit an hoc eodem nomine locus ille, quo mortuorum animae recipiuntur, a Iudaeis indigitatus aliquando fuerit: & quidem viri doctiſſimi adfirmant, & manifeſta res docet. Nam *Iacobus Geneſ. cap.* XXXVII. quum dilectum filium Ioſephum ab immaniſſima bellua devoratum fuiſſe crederet, multa gemens, & conſolationem omnem averſatus, ait: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum,* ubi quidem vox שאולה ſepulcrum ſignificare nequaquam poteſt, quum *Ioſephus* non in monumento eſſet conditus, ſed truculentae ferae pabulum fuiſſe pater exiſtimaret. Quare LXX. Viri, qui certe, utpote Iudaei, quid voce illa deſignaretur optime noverant, idem vocabulum εἰς ᾅδου Graece vertunt, & recte quidem ac ſapienter. Nam & Aegyptii ipſi, quorum aliqua ad Iudaeos tranſiere, & e contra, ſepulcrum cum infernis locis confundere conſueverunt, ut ex inſigni *Diodori* loco *Lib. I.* liquide patet, ubi ſcribit: Καὶ τὰς μὲν τῶν ζώντων οἰκήσεις καταλύσεις ὀνομάζουσιν ὡς ὀλίγον χρόνον ἐν ταύταις οἰκούντων ἡμῶν, τοὺς δὲ τῶν τετελευτηκότων τάφους, ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν, ὡς ἐν ᾅδου διατελούντων τὸν ἄπειρον αἰῶνα. *Et domicilia viventium diverſoria nominant, quod exiguum ad tempus haec incolamus. Defun-*

functorum vero ſepulcra domos aeternas adpellant, quod infinitum apud inferos aevum peragant. Si igitur Iudaei eadem adpellatione ſepulcrum, & loca terrae inferiora, & animarum receptaculum ſignificabant, argumentum exſiſtere videtur, huiuſmodi receptaculum ſub terra eſſe eoſdem autumaviſſe. Sed & *Lib. Regum I. cap.* XXVIII. luculentum habemus adſertae Iudaeis credulitatis indicium, ubi animae Samuelis evocatio a Pythoniſſa facta narratur his verbis: *Quum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul: dixitque rex noli timere, quid vidiſti? & ait mulier ad Saul: Deos vidi adſcendentes de terra. Dixitque ei: qualis eſt forma eius? Et ait: vir ſenex adſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit eum*. Haec manium Samuelis per incantationem evocatio facta eſt in *Endor*, quum Samuel in *Ramacha* urbe ſua ſepultus fuiſſet. Quare nihil hoc loco de ſepulcro Samuelis intelligendum venit. Igitur quum dicitur *Deos* [ſunt qui interpretentur *Angelum*, & qui *Virum magnum*; *Caſtalio* vero vertit *Divum*, quae nomina Prophetae, & ei, qui honores geſſit, conveniunt] *vidi adſcendentes de terra*, manifeſte etiam datur intelligi per ea tempora adcreditum fuiſſe Iudaeis defunctorum animas verſari ſub terris. Fuerint enim ea omnia Daemonum inluſiones, ut quibuſdam videtur, & inter recentiores *Grotio* praecipue; certe hae non aliter fiunt, quam iuxta hominum praeiudicia, praeceptaſque opiniones, ut minus fallacia deprehendatur. Sed evocatos manes de terra reſpondere a Iudaeis creditum fuiſſe evidenter oſtendit praeclarus *Eſaiae* locus *cap.* XXIX. ubi haec habet: *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit*.

Et heic obiter animadvertendum eſt, ex his locis de animorum immortalitate ſententiam, quae apud Iudaeos obtinebat, perſpicue eminere: ea enim opinio eſt Necromantiae, & id genus artium fundamentum; & ſine ea Pythonis ſpiritum habentes, & huiuſmodi impoſtores fruſtra & inutili-

ter

ter inter Iudaeos verſati fuiſſent. Et tamen quum ex laudato *cap.* XXVIII. *primi libri Regum*, tum ex *II. Regum cap.* XXIII. conſtat ſimiles Ariolos, & Engaſtrimythos in ea natione fuiſſe. Sed de iis etiam ita mentionem fecerat Moſes, ut ex eius verbis eamdem, quam Iudaei habebant, de animorum aeternitate opinionem arguere ſit. Ea *Deuteronomii cap.* XVIII. habentur: *Nec ſit*, inquit, *maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, aut quaerat a mortuis veritatem*. Item eſſe quaedam animarum ſub terra receptacula inſinuat in *Eccleſiaſte Salomon*, quamvis ea potius brutorum animabus adſignare videatur. Ita enim non neminem loquentem inducit: *Quis novit an ſpiritus filiorum Adam adſcendat ſurſum, vel ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Ex quibus cognoſcimus & ea aetate de inferioribus terrae locis, quibus animae quaedam reciperentur, loqui Iudaeos & diſſertare conſueviſſe. Ceterum *Salomonem* de animorum aeternitate recte ſenſiſſe, ne ex adlatis verbis calumniandi anſam quis rapiat, patet ex *cap.* XII. eiuſdem operis, ubi ſcribit: *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

At omnium maxime inſignis eſt *Eſaiae cap.* XIV. locus, ex quo perſpicue comprehendimus animarum poſt obitum ſedes ſub terra eſſe, & ſimul omnes, tamquam populum quemdam, certorum ſaltem, habitaſſe, opinatos fuiſſe Iudaeos. Hic Propheta igitur mortuum regem Babylonis, & ad inferos deſcendentem adloquitur, atque ita infit: *Infernus ſubter* מתחת שאול *conturbatus eſt in obcurſum adventûs tui, ſuſcitavit tibi Gigantes. Omnes principes terrae ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum. Vniverſa reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad inferos* שאול *ſuperbia tua &c.* Et ex intervallo: *Verumtamen ad infernum detrahêris in profundum laci.* Ebraeus fons habet: *Verumtamen ad infernum deprimêris ad latera ciſternae.* LXX: νῦν εἰς ᾅδου καταβήσῃ, καὶ εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς. Quae quidem omnia ſatis fuerint ad falſitatem eorum, quae adfirmavit *Clericus*, revincendam. Adeatur, ſi vacat, *Calmetius Diſſert. De Mundi iuxta veteres Ebraeos ſyſtemate Artic. II.*

CAPUT VIII.

De Metempſychoſi apud Iudaeos pauca quaedam.

VNde vero, quis dicat, animarum in corpora revolutiones Phariſaei, alternanteſque circuitus accepere? De hac ipſorum opinione luculenta habemus non *Ioſephi* tantum *Lib. XVIII. Antiquit. cap.* 11. & *Lib. II. De Bello Iudaic. cap.* XII. & Magiſtrorum teſtimonia; ſed illa etiam in Evangeliis non ſemel quidem obcurrit, ut iam prope videatur Iudaeorum fuiſſe communis. Adeundi *Matthaeus cap.* XVI. 14. *Marcus cap.* VI. 16. *Lucas cap.* IX. 9. *Iohannes cap.* IX. 1. 2. Verum in hac eadem ſententia & haereſi *Aegyptios* quoque fuiſſe *Herodotus*, *Plutarchus*, *Laërtius*, *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius*, a nobis primo volumine laudati, auctores ſunt. Eamdem opinionem *Thraces* habuere, ut *Pomponius Mela Lib. II. cap.* II. & *Solinus cap.* XVI. memoriae prodiderunt. Eamdem & Magi, ut iam alibi diximus, & *Porphyrius Lib. IV.* περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς adfirmat. *Celtae* quoque ſeu Galli non aliter ſenſere, ut ex *Diodoro Lib. V. Mela* modo laudato *Lib. III. cap* II. & ex Druidum doctrina apud *Caeſarem Lib. VI. De Bello Gallico* patet. Quare hos adloquens *Lucanus Lib. I. Pharſaliae* canit;

. . . . . Vobis auctoribus umbrae
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt, regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longae [canitis ſi cognita] vitae
Mors media eſt: certe populi, quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus, haud urget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis: & ignavum eſt rediturae parcere vitae.

Quod quidem etiam ad Britannos haud immerito extendit *Henr. Dodvvellus Diſſert. Cyprian. XII. De Martyrum Fortitudine*. Hoc ipſum placitum Germanis adſerit *Appianus in Celticis:* τὸ ἦθος ἄγριοι, inquit, καὶ τὴν τόλμαν θρασύλαλοι, καὶ θανάτου καταφρο-

Digitized by Google

ἰαφρονῆσαι δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως. Germanis *mores ferociſſimi inſunt; in adgrediendo inſignis audacia, contemtus mortis maximus ob reviviſcendi ſpem*. Brachmanes etiam Metempſychoſin, & παλιγγενεσίαν admittebant, *Clemente III. Strom.* teſte locupletiſſimo, quod quidem Indi animarum in muta animantia tranſitum etiamnum credentes partim retinuere, ut ſcribit *Maffeius Lib. I. Rer. Ind.* Hanc autem ſententiam Orientalibus fere omnibus fuiſſe communem notant *Calmetius Diſſertatione De Phariſaeis, & Burnettus Part. I. Archaeol. Philoſ. cap.* XIV. Quapropter ridiculus plane eſſet ſi quis a Pythagoreis vel a Platone potius Iudaeos μετεμψύχωσιν accepiſſe contenderet. Quum inſuper exploratum ſit, non omnibus animabus reverſionem ad corpora Phariſaeos conceſſiſſe, ſed bonis tantum, quod eſt a Platonis ſententia longe diverſum, ut videre eſt *Lib. X.* περὶ πολιτείας, & alibi.

C A P V T IX.

De Academicorum a Praeceptore diſſenſione, & Platonicae doctrinae fato.

NVnc autem animadvertendum eſt, ut quod perſuadere ſuſcepimus, amplius urgeamus, principio Platonis doctrinam inter Barbaras diſſitaſque gentes vulgatam fuiſſe non videri, quum Platonis libri vix Graecis ipſis innoteſcerent; deinde vero multa alia in cauſſa fuiſſe, cur huius Philoſophi placita vel minus nota eſſent, vel non omnino probarentur. Et ab initio quidem Platonis libros latuiſſe, & *Antigoni* tantum *Caryſtii* aetate in lucem fuiſſe editos, idem *Antigonus* teſtis eſt locupletiſſimus, qui ſub *Ptolemaeo Lagida*, & eius filio *Philadelpho* vixiſſe traditur. At quamvis editi libri illi fuiſſent, eorum tamen erat legendi copia difficilis, quum eos poſſidentes legi nonniſi ſoluto pretio paterentur. *Antigoni* teſtimonium apud *Diogenem Laërtium* in *Platone* reperire eſt. καὶ τὰ βιβλία, inquit *Diogenes* de Platonis libris loquens, τοσαῦτα. Ἅπερ (Ἀντίγονός φησιν ὁ καρύστιος ἐν τῷ περὶ ζήνωνος) νεωστὶ ἐκδοθέντα εἴτις ἤθελε διαγνῶναι, μισθὸν ἐτέλει τοῖς κεκτημένοις. *Libri*

vero tot ſunt. *Quos quidem, ait Antigonus Caryſtius in libro de Zenone, nuper editos, ſiquis cognoſcere voluiſſet, pretium habentibus ſolvebat*. Ita enim *Laërtii* locus verti debet, quomodocumque ſe habeat vulgata interpretatio. Nempe *Hermodorus* Platonis olim auditor, Praeceptoris orationes in Siciliam ferens, caro eaſdem vendidiſſe perhibetur, unde Senarius ille: Λόγοισιν Ερμόδωρος ἐμπορεύεται. *Verbis Hermodorus Mercaturam exercet*, *Suida* in λόγος auctore. Quare non mirum ſi quae non modica pecunia quaeſierant, non ſine mercedis exactione curioſis oſtendebant.

Quum igitur conſtet *Zenonis*, & *Arceſilae* aetate, Platonis volumina valde paucis cognita, ac lectitata fuiſſe, videamus iam quae *Platonis* doctrinae ac decretis, quominus per ea tempora ac deinceps notiſſima & celeberrima evaderent, impedimento eſſe potuere. Duo autem ea potiſſimum fuiſſe videntur, & quia a Praeceptoris ſententia deſciſcentes Auditores ſuis ea ſcriptis impugnavere; & quia traditam ſibi ſapientiae regulam Subceſſores minime ſervaverunt. Et quidem *Ariſtoteles*, qui ceteris Platonis diſcipulis doctrina & ingenio praeſtabat, & Philoſophiae gloria illuſtris late, ac nobilis exſtitit, eius conſulta paſſim & aperte labefactavit; nam & de Divinitate, mundique origine aliter atque ille ſenſit, & ideas rerumque exemplaria reprobavit, & animorum aeternitatem de medio ſuſtulit. *Speuſippus* autem, qui Platoni avunculo in ſchola ſubceſſit, & *Xenocrates*, qui Speuſippo, in multis ab eodem diſſenſere, quod *Numenius apud Euſebium* ſcribit, ut vere idem *Euſebius Lib. XIV.* Προπαρασκ. Εὐαγγ. *cap.* IV. adfirmet, ſinceram germanamque Platonis doctrinam una cum eo extinctam ſepultamque fuiſſe. Cur autem id contigerit, quum aliae Philoſophorum ſectae, ut Pythagoreorum, Peripateticorum, Stoicorum, Epicureorum, ſibi iugiter conſentientes, per longi temporis tractum ſine ullo diſcidio permanſerint, cauſſam ſe ignorare fatetur laudatus *Numenius* de Academicorum a Platone diſſenſione commentans, & in illius Philoſophi Subceſſoribus magnam traditae doctrinae contemtionem admirans.

Quamquam autem *Polemo*, & *Crates*, & *Crantor* in Academia congregati diligenter ea, quae a ſuperioribus acceperant

rant, tuebantur, ut *Cicero I. Acad. Quaeſt.* ſcribit, *Arceſilas* tamen, & *Zeno*, qui Polemonem audiverant, ab illis omnibus maxime diſcreparunt. *Zeno* enim quum valde ſubtiliter diſſereret, & peracute moveretur, corrigere conatus eſt diſciplinam, & cum in Morali, tum in Phyſica & Dialectica multa mutavit. In ea autem Phyſicae parte, quae Dei naturam adtinet, mirum quantum a Platone diſſenſerit. Nam & Deum corporalem fecit, & ignem illum eſſe dixit, & quum *Plato* in tres gradus totam Divinitatem diſtribuiſſet, illam *Zeno* in unam tantum hypoſtaſin contraxit, & cum mundi animo atque intelligentia confudit. Mundi enim anima ita a Platone & Academicis deſcribebatur, ut adſererent *partes eſſe mundi omnia, quae inſint in eo, quae natura ſentiente teneantur: in qua ratio perfecta inſit, quae ſit eadem ſempiterna: nihil enim valentius eſſe, a quo intereat: quam vim animum eſſe* dicebant *mundi, eamdemque eſſe mentem, ſapientiamque perfectam, quem Deum* adpellabant, *omniumque rerum, quae ſunt ei ſubiectae, quaſi providentiam quamdam, procurantem coeleſtia maxime: deinde in terris ea, quae pertinent ad homines, quam interdum neceſſitatem* dicebant, *quia nihil aliter eſſe poſſit, atque ab ea conſtitutum ſit: interdum quaſi fatalem & immobilem continuationem ordinis ſempiterni: nonnunquam quidem eamdem fortunam, quod efficiat multa improviſa, & nec opinata nobis, propter obſcuritatem ignorationemque cauſſarum,* quae ſunt *Varronis* verba apud *M. Tullium I. Quaeſt. Academ.* opinionem Academicorum de Mundi anima ediſſerentis. Itaque *Zeno*, quum primam & ſecundam cauſſam valere iuſſiſſet, illam de mundi anima opinionem lubenter retinuit, eamque & primum, & ſummum, & ὕπατον Deum eſſe cenſuit, ei omnia, quaecumque Platonici primo Deo, & Menti ſeu Rationi tribuebant, vendicans & coniungens. Itaque ſuum hunc Deum *naturalem legem* interdum adpellat, eamque dicit *vim obtinere recta imperantem, prohibentemque contraria*, ut *M. Tullius I. De Natura Deor.* memoriae prodidit. Modo naturam vocat, *quae per omnem mundum, omnia mente & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & convertit extrema*. Nunc eum dicit *ignem eſſe artificioſum ad gignendum progredientem via*;

Digitized by Google

vel, ut *Plutarchus* habet, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γένεσιν κόσμου ἐμπεριειληφότος πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους. Sed & *Providentiam*, & quidem mundi opificem eum indigitavit, ut apud *M. Tullium II. De Nat. Deor.* videre eſt, & τὸν λόγον ſeu *Rationem* eſſe dixit. Quare *Laërtius* Stoicorum ſententiam exponens, ait: δοκεῖ δὲ αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον. τὸ μὲν οὖν εἶναι τὴν ἄποιον ὀυσίαν τὴν ὕλην. τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον, τὸν Θεὸν, τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα. *Videntur autem eis duo eſſe omnium rerum initia: alterum efficiens, alterum patiens. Quod autem patitur id eſſe materiam, naturam omni qualitate carentem. Quod autem efficit, quae in ea eſt, Rationem, hoc eſt Deum. Hunc enim aeternum ex ea univerſa ſingula fabricari. Seneca* autem *Epiſtola LXV. Quaerimus*, inquit, *quid ſit cauſſa, Ratio faciens, ideſt Deus.* Ad rem *Manilius I. Aſtronomicῶν*, ipſe enim, ut plurimum, Stoicorum veſtigiis inhaeret.

Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi,
Membraque naturae diverſa condita forma
Aëris, atque ignis, terrae, pelagique iacentis
Vis animae divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

& *Lib. II.*

Namque canam tacita naturae mente potentem,
Infuſumque Deum coelo, terriſque, fretoque,
Ingentem aequali moderantem foedere molem.
Totumque alterno conſenſu vivere mundum,
Et Rationis agi motu, quum Spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque inriget Orbem
Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret.

Et alibi:

Hic igitur Deus, & Ratio, quae cuncta gubernat
Ducit ab aethereis terrena animalia ſignis.

Haec quidem omnia paulo prolixius a nobis diſputata ſunt, ut tandem liquido conſtaret, quid voce λόγος *Zeno*, Stoicique, quum de Ratione, qua mundus effectus eſt, & procuratur, differerent, ſignificarent. Vel ipſum Deum, mundique animum ſapientiſſimum [nam mundum ipſum eſſe

Deum

Digitized by Google

Deum iidem adſeverabant *M. Tullio II. De Nat. Deor. Seneca Epiſt. XCVII. Laërtio in Zenone, Euſebio Lib. XV.* Πϱοπαϱασκ. *& Origene Lib. V. contra Celſum* auctoribus] vel eius conſilium & prudentiam, qua cuncta diſponeret, abſolutiſſimam intelligebant, non naturam tamen, aut hypoſtaſin a Deo diſtinctam τὸν λόγον eſſe dicebant, quod *Plato* ſenſerat. Et quidem *Rationis* nomine, nonniſi Deum ratione, perfectione ſua, utentem eos ſignificare voluiſſe liquet ex his, quae *Balbus* Stoicus apud *Ciceronem II. De Natur. Deorum* graviter, & copioſe diſſertat. Modo enim de Epicureis agens, ait: *Hi autem dubitant de mundo, ex quo & oriuntur, & fiunt omnia, caſu ne ipſe ſit effectus, aut neceſſitate aliqua, an ratione ac mente divina &c.* Modo pronuntiat: *Quod facit ea natura, quae per omnem mundum, omnia mente & ratione conficiens, funditur &c.* Sic cum *Velleius* Epicureus Stoicorum Providentiam πρόνοιαν irrideret, & contemtionis cauſa anum eam fatidicam adpellaret, quaſi exſiſtentis aliquid cum ea inducere Stoici viderentur, graviter a *Balbo* reprehenditur, atque hiſce verbis confutatur: *Vobis, Vellei, minus notum eſt, quemadmodum quidque dicatur. Veſtra enim ſolum legitis, veſtra amatis, ceteros cauſa incognita condemnatis. Velut a teipſo, heſterno die, dictum eſt, anum fatidicam* πρόνοιαν *a Stoicis induci, ideſt, Providentiam. Quod eo errore dixiſti, quia exiſtimas ab his Providentiam fingi quaſi quamdam Deam ſingularem, quae mundum omnem gubernet & regat: ſed id praeciſe dicitur, ut ſiquis dicat, Athenienſium Remp. conſilio regi, deſit illud, Ariopagi: ſic quum dicimus, providentia mundum adminiſtrari, deeſſe arbitror, Deorum. Plene autem, & perfecte ſic dici exiſtimato, providentia Deorum mundum adminiſtrari.* Quod ſi *Tertullianus*, & eum imitatus *Lactantius*, ille in *Apologetico*, hic Libro *Divinarum inſtitutionum IV.* τὸν Zenonis λόγον cum τῷ Iohannis λόγῳ contendere & comparare videntur, id forte ex eo contingit, quod Ethnicis, adverſus quos ſcribebant, demonſtrare vellent, Chriſtianorum λόγον ab eis reiiciendum non eſſe, quum & ipſi eorum Philoſophi λόγον induxerint, etſi non eadem ac nos illius naturam ratione deſcriberent atque explicarent. Quandam utriuſque *Rationis* ſimilitudinem ſcienter adgnoſcebant, cum ex com-

communione nominis, tum ex eo quod *Zeno* λόγον mundi opificem, & res univerſas ſapientiſſime adminiſtrantem induceret: ideo quadam, qualiſcumque illa eſſet, doctrinae adfinitate demonſtrata, Ethnicorum adverſum nos calumnias avertere, & antevertere nitebantur. *Iohannes quoque ita tradit*, inquit *Firmianus*, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc fuit in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sed melius Graeci* λόγον *dicunt, quam nos Verbum ſive Sermonem.* λόγος *enim & ſermonem ſignificat, & rationem. quia ille eſt vox & ſapientia Dei. Hunc Sermonem divinum ne Philoſophi quidem ignoraverunt. Siquidem Zeno rerum naturae diſpoſitorem, atque opificem univerſitatis* λόγον *praedicat, quem & fatum, & neceſſitatem rerum, & Deum, & animum Iovis nuncupat, ea ſcilicet conſuetudine, qua ſolent Iovem pro Deo accipere. Sed nihil obſtant verba, quum ſententia congruat veritati. Eſt enim Spiritus Dei, quem ille animum Iovis nominavit. Tertullianus* autem *Apologetico c.* XXI. in anteceſſum ſcripſerat: *Iam ediximus Deum univerſitatem hanc mundi, Verbo, & Ratione, & Virtute molitum. Apud veſtros quoque Sapientes* λόγον, *ideſt, Sermonem atque Rationem conſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zenon determinat factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione formaverit. Eumdem & fatum vocari, & Deum, & animum Iovis, & neceſſitatem omnium rerum. Haec Cleanthes in Spiritum congerit, quem permeatorem univerſitatis adfirmat.* Locus *Zenonis* erat in Libro περὶ ὐσίας, ubi τὸ ποιοῦν, cauſſam effectricem, vocabat λόγον, quem ſequuti ſunt *Cleanthes*, *Chryſippus*, *Archedemus*, & *Poſidonius*, ut ſcribit *Laërtius* in *Zenone*. Quibus omnibus rite cognitis miraremur ſi vir alioquin eruditus *Calmetius* in Praefatione ſuorum commentariorum in Iohannis Evangelium ſatis indicaſset ſibi adcreditum fuiſſe, tres a Stoicis principales naturas diverſis gradibus ſeparatas, quemadmodum Platonici fecere, inductas & adſertas fuiſſe.

Sed ut ad Platonicam ſubceſſionem, unde diſceſſimus, revertamur, *Arceſilas negabat eſſe quidquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. Sic omnia latere cenſebat in occulto, neque eſſe quicquam quod cerni, aut intel-*

Digitized by Google

intelligi poſſit: quibus de cauſis nihil oportere neque profiteri, neque adfirmare quemquam, neque adſenſione adprobare: cohibereque ſemper, & ab omni labſu continere temeritatem, quae tum eſſet inſignis, quum aut falſa aut incognita res adprobaretur: neque enim hoc quidquam eſſet turpius quam cognitioni & perceptioni adſenſionem adprobationemque praecurrere. Huic rationi, quod erat conſentaneum faciebat, ut contra omnium ſententias dies iam pleroſque diſſereret, ut quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte adſenſio ſubſtineretur. Hanc Academiam novam adpellabant: quae ſunt *Varronis* apud *M. Tullium I. Quaeſt. Academ.* verba. Sic *Arceſilas* dum Zenonis doctrinam, & *definitiones labefactare vult, conatus eſt clariſsimis rebus tenebras obducere. Cuius primo non admodum probata ratio, quamquam floruit tum acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi, proxime a Lacyde ſolo retenta eſt: poſt autem confecta a Carneade, qui eſt quartus ab Arceſila. Audivit enim Hegeſinum, qui Evandrum audierat, Lacydis diſcipulum, quum Arceſilae Lacydes fuiſſet. Sed ipſe Carneades diu tenuit. Nam nonaginta vixit annos: & qui illum audierant, admodum floruerunt. E quibus induſtriae plurimum in Clitomacho fuit [declaravit multitudo librorum] ingenii non minus in hoc, quam in Carneade eloquentiae, in Melanthio Rhodio ſuavitatis. Bene autem noſſe Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur. Iam Clitomacho Philo operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiae non defuit*, ut laudatus *Cicero* in *Lucullo* ſcriptum reliquit. Academiam tamen una cum *Carneade*, & *Clitomacho Aeſchines* etiam obtinebat, ut idem *Tullius Lib. I. de Oratore* memoriae prodidit. *Philonem*, cuius familiaris *Charmides* fuit, audivit *Antiochus* Aſcalonita, qui de his rebus ſcripſit acutiſſime, & idem haec, e nova in veterem Academiam remigrans, acriter in ſenectute accuſavit, ut antea defenſitaverat, quod iam facere *Metrodorus* prope viſus fuerat, auctore *Auguſtino L. III. Adverſ. Academ. cap.* XI. Sed non ita veterem ille Academiam reſtituit, ut ad Stoicorum dogma in multis inclinare non videretur, ut aperte conligitur ex iis, quae habet *Cicero* in paulo ante memorato *Lucullo*, & adſerit *Auguſtinus* citato Libro,

&

& *Lib. XIX. De Civit. Dei cap.* III. *Antiochi* condiſcipulus fuit *Cicero*, utpote qui Lariſſaeo *Philone* doctore uſus fuerat. Sed *Varro* & *Lucullus* Antiochum audivere, eaque propter veteris Academiae decretis inhaeſere, *Cicerone* & *Plutarcho in Lucullo* id tradentibus. *Brutus* autem *Ariſtum*, Antiochi fratrem audivit. Vt autem luculentius conſtet, quid ad novam Academiam inſtituendam *Arceſilam* impulerit, & quantum Academici Platonis placita occulere, & a multitudinis cognitione ſubtrahere ſtuduerint, adeundus eſt laudatus *Auguſtinus Lib. III. adverſus Academicos cap.* x. *Epiſtol. LVI. & CCXVII. & Lib. V. Confeſſionum cap* x. Novae Academiae hactenus, ut eam *Cicero* adpellare conſuevit, originem & progreſſum evolvimus, ut veluti quemdam Platonicae doctrinae interitum cognoſceremus, de qua doctrina *Lactantius Lib. III. Divin. Inſtit. cap.* VI. ita recte ac ſapienter pronuntiavit: *Quia mortalis fuerat illa Sapientia, pauciſque ante temporibus inſtituta ad ſummum iam incrementum pervenerat, ut iam neceſſario conſeneſceret, ac periret, repente extitit Academia tamquam ſenectus Philoſophiae, quae illam conficeret iam defloreſcentem.*

Quum autem ea, quae diximus, Academia doceret, ab omnibus Philoſophis eius ratio improbata eſt, quod ipſe Academicus *Cicero* in *Lucullo* non diffitetur. Et haud iniuria profecto ab omnibus illa eiecta ac reprobata fuit, ut enim *Lucullus* graviter ac docte Ciceronem admonet & adloquitur, quis eam Philoſophiam ſequatur, *quae confundit vera cum falſis, ſpoliat nos iudicio, privat adprobatione, omnibus orbat ſenſibus? Et Cimmeriis quidem, quibus adſpectum ſolis, ſive Deus aliquis, ſive natura ademerat, ſeu eius loci, quem incolebant, ſitus, ignes tamen aderant, quo tum illis uti lumine licebat. Iſti autem quos tu probas, tantis obfuſis tenebris, ne ſcintillam quidem ullam nobis ad adſpiciendum reliquerunt: quos ſi ſequamur, iis vinculis ſimus adſtricti, ut nos commovere nequeamus. Sublata enim adſenſione, omnem & motum animorum, & actionem rerum ſubſtulerunt: quod non modo recte fieri, ſed omnino fieri non poteſt.* Sed, quod maioris ponderis & momenti exiſtimandum puto, diſciplina erat, quae virtutem omnem ex hominum animis exſtirpare radicitus videbatur: nam ut idem *Lucullus* vere ſapien-

pienterque differit, *maxime virtutum cognitio confirmat perci- pi & comprehendi multa poſſe, in quibus ſolis ineſſe etiam ſcien- tiam dicimus: quam nos non comprehenſionem modo rerum, ſed etiam ſtabilem & immutabilem eſſe cenſemus: itemque ſapien- tiam, artem vivendi, quae ipſa ex ſeſe habeat conſtantiam: ea autem conſtantia ſi nihil habeat percepti & cogniti, quaero un- de nata ſit, aut quomodo: quaero etiam ille vir bonus, qui ſta- tuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari po- tius, quam aut officium prodat, aut fidem, cur has ſibi tam gra- ves leges impoſuerit, quum, quamobrem ita oporteret, nihil ha- beret comprehenſi, percepti, cogniti, conſtituti? Nullo igitur mo- do fieri poteſt, ut quiſquam tanti aeſtimet aequitatem, & fidem, ut eius conſervandae cauſſa nullum ſupplicium recuſet, niſi iis re- bus adſenſus ſit, quae falſae eſſe non poſſunt.*

Non me quidem latet quam ſubtiliter & acute his reſpon- dere conentur Academici. Sed quidquid in contrarium diſ- ſertent, tamen non eſt diſſimulandum, ex ea doctrina illa om- nia conſectaria defluere. Quum autem nova Academia ita ſe ha- beret, & ea documenta traderet, eius ſectatores illam eamdem eſse cum veteri nihil a Platonis ratione diſcrepantem ad- firmare non verebantur. *Philo* enim & voce ipſa, & libris etiam conſcriptis negavit duas Academias eſse, erroremque eorum, q ɪi ita putarent, ſe coarguiſse arbitratus eſt. *Plu- tarchi* quoque apud Lampriam memoratur liber, cuius titu- lum ita ex veteri Codice recte legit *H. Stephanus*: περὶ τοῦ μίαν εἶναι τὴν ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος Ἀκαδημίαν. Quam multa autem diſputat Academicus *Cicero* in *Lucullo*, quibus probare con- tendit Arceſilae & Academicorum ſententiam antiquis etiam Philoſophis adriſiſse, ut *Anaxagorae*, *Democrito*, *Empedo- cli*, *Parmenidi*, *Xenophani? & ab his*, inquit, *aiebas remo- vendum Socratem, & Platonem. Cur? an de ullis certius poſſum dicere? vixiſſe cum his equidem videor: ita multi ſermones per- ſcripti ſunt, e quibus dubitari non poſsit, quin Socrati nihil ſit viſum ſciri poſse. Excepit unum tantum ſcire ſe, nihil ſe ſcire: nihil amplius. Quid dicam de Platone? qui certe tam multis li- bris haec perſequutus non eſſet, niſi probaviſſet. Ironiam enim al- terius, perpetuam praeſertim, nulla fuit ratio perſequi.*

Iſta

Iſta autem omnia tam longis repetita principiis per varias diſputationis ambages exiliter & indaganter conieĉtati ſumus, ut quantum Platonis gloriae & aeſtimationi Subceſſores obfecerint, & veluti luminibus obſtruxerint, eluceret; & eos, qui vel in peregrina ſtudia non nimis propenſi, vel certis dogmatis & doĉtrinae pro divinis oraculis habitae addiĉti erant, ab illius Philoſophi leĉtione falſis obieĉtis praeiudiciis averterint. Nulla enim philoſophandi ratio ſacris, caeremoniis, religionibus, maiorumque inſtitutis magis contraria ac repugnans inveniri poteſt, quam ea fuerit. Iſthuc ipſum luculenter indicat Stoicus *Balbus* in fine *II. Libri De Nat. Deor.* & non diſſimulat *Cotta* Academicus initio Tertii eorumdem Librorum, quos *M. Tullius* compoſuit, & notat *Auguſt. L. I. Retraĉt. c.* 1. Heinc proclive eſt opinari Iudaeos, qui omnes exoticas doĉtrinas, & nationum placita contemnebant quammaxime, praeque ſuis oraculis pro nihilo reputabant, eam Philoſophiam uti perniciosam, & maiorum inſtitutis exitiabilem non deſpexiſse tantum, ſed etiam deteſtatos fuiſse: id quod etiam probant egregia illa facinora, quibus patrandis tam ſtrenue & conſtanter inſtiterunt, ne ſuperſtitionibus Ethnicorum receptis patriam religionem caeremoniaſque profanarent, ut in libris, qui *Machabaeorum* inſcribuntur, & apud *Ioſephum* legere eſt. De iis igitur mihi praeſumendum eſſe videtur, quod de Chriſtianis habet *Auguſtinus Lib IX De Civit. Dei cap.* XVIII. *Quod autem adtinet*, inquit, *ad illam doĉtrinam, quam de Academicis novis Varro adhibuit, quibus ſunt incerta omnia, omnino civitas Dei talem dubitationem, tamquam dementiam deteſtatur, habens de rebus quas mente ac ratione comprehendit, etiamſi parvam propter corpus corruptibile, quod adgravat animam, quoniam ſicut dicit Apoſtolus ex parte ſcimus, tamen certiſſimam ſcientiam &c.* id quod iam adverſus eoſdem Academicos ſcripſerat *Clemens Libro* Στρωματῶν VIII. Et quidem per totum illud temporis ſpatium, quo nova illa Academia viguit, non in Iudaeis tantum, ſed nec inter ipſos etiam Graecos, verum aliquem genuinumque Platonicum reperire eſt, qui ſcilicet dubitatione, & illo concertandi furore ſublato, veteris Academiae Sapientiam δογματικῶς exponeret, & Platonis conſulta perſonaret, ut ex lau-

dati

dati *Auguſtini Libro adverſus Academicos III.* aperte conligitur; qui etiam *Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* XII. notat Platonicos non fuiſſe niſi recentiores, quum antea omnes Academici dicerentur. *Recentiores tamen*, inquit, *Philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos, ſed Platonicos. Ex quibus ſunt valde nobilitati Graeci Plotinus, Iamblichus, Porphyrius. In utraque autem lingua, ideſt Graeca & Latina, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis*. Et tum profecto vere Platonicos exſtitiſse cognoſcimus, quum non dubitandi tantum cauſſas curioſius indagarent, ſed in Platonis ſententiam ſedulo ac diligenter inquirerent. Quare fatendum videtur poſtquam Antiochus a nova ad veterem Academiam defeciſſet, Platonicam diſciplinam iterum veluti reviviſcere, ac reſpirare coepiſse, & quidem Alexandriae primum, quod *Voſſius* etiam *De Philoſoph. Sectis cap.* XVI. animadvertebat. Non multum tamen ea tempeſtate convaluit; etſi enim *Philonis* Lariſſaei morte Academiae patrocinium defeciſſe viſum eſt, ut indicat *Tullius*, eamdem tamen philoſophandi rationem paulo poſt eſse revocatam tradit apud eumdem Ciceronem *Lucullus*. Sed non ita haec reſtituta fuit, ut ab illa iam robuſtis viribus firma paulo poſt non obprimeretur, & aboleretur omnino: & ſic poſt illa tempora omni contentione ſubmota, illud Platonis quod in philoſophia purgatiſſimum eſt, & luciдiſſimum dimotis nubibus erroris emicuit, ut ait *Auguſtinus Lib. III Adv. Academicos*. Quod autem inprimis ad utile Platonis ſtudium mortalium animos excitaverit, forte fuit Chriſtianae religionis ortus, & coeleſtis doctrinae, quae in multis Platoni conſentire videbatur, exordium. Tot eximii deinceps Platonici, multaque doctrina nobiles exſtitere, quum iis etiam *Potamonis* Alexandrini ſecta adriſiſſet, cuius profeſsores *Eclectici* dicebantur, quod e quaque haereſi, quae optima & veriora cenſerentur, eligerent. Id quidem inſinuat etiam magnus *Auguſtinus Epiſtola LVI.* ubi oſtendit Academicos de rebus omnibus dubitationem induxiſse, ne Platonis ſententiam in medium proferre cogerentur, quum Stoici, & Epicurei ſola corporalia & materiata ſaperent, & hos propterea a doctrina Chriſtiana invaleſcente

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ſubpreſſos, illos vero ad Platonis dogmata explicanda excitatos, concertationibus, & differendi ſubtilitate relictis. *Obpugnatos autem*, inquit, *eſſe nomine Epicureorum, & Stoicorum a Platonicis eos, qui in corporis vel in animi natura ponerent & finem boni, & cauſſas rerum: & ratiocinandi fiduciam eorum ſubceſſione temporum eſſe devolutam, ut quum Chriſtianae etiam aetatis exordio rerum inviſibilium atque aeternarum fides per viſibilia miracula ſalubriter praedicaretur hominibus, qui nec videre, nec cogitare aliquid praeter corpora poterant, beato Apoſtolo Paulo, qui eamdem fidem gentibus praeſeminabat, iidem ipſi Epicurei & Stoici in Actibus Apoſtolorum contradixiſſe inveniantur. Qua in re ſatis mihi videtur demonſtratum eſſe, errores gentium ſive de moribus, ſive de natura rerum, ſive de ratione inveſtigandae veritatis, qui quamvis eſſent multi atque multiplices, in his tamen maxime duabus ſectis eminebant, expugnantibus doctis, & tanta differendi ſubtilitate atque copia ſubvertentibus, duraſſe tamen uſque in tempora Chriſtiana. Quos iam certe noſtra aetate ſic obmutuiſſe conſpicimus, ut vix iam in Scholis Rhetorum commemoretur tantum, quae fuerint illorum ſententiae, certamina tamen etiam de loquaciſſimis Graecorum gymnaſiis eradicata atque compreſſa ſunt &c.* Sed de his alibi, & magis opportune pluribus.

Hiſce omnibus rite praeſtructis magis atque magis veriſimile redditur tres ſupra memoratas Iudaeorum ſectas nihil unquam a Platonicis accepiſse. Quod ſi *I. Machabaeorum Libro cap.* I. legitur ſub Antiocho Epiphane gymnaſium Hieroſolymis iuxta nationum inſtituta a perverſis Iudaeis aedificatum fuiſse, quod habetur etiam *Lib. II. cap.* IV. id de ſchola aut ludo, in quo literae, & Ethnicorum diſciplinae traderentur intelligendum non eſt; ſed de gymnaſio, in quo certamina, & paleſtrae more Graecorum exercebantur, quod & vox ipſa *γυμνάσιον* proprie ſignificat, unde *Manilius IIII. Aſtronomic.*

Perque coloratas ſubtilis Graecia gentes
Gymnaſium praefert vultu, forteſque palaeſtras:

& Iaſonis Cyrenaei Epitome citato *cap.* IV. manifeſte declarat, ubi quum is de exſtructo gymnaſio loquutus eſset, ſubdit: *ἀλλὰ τοῦ μὲν ναοῦ καταφρονοῦντες, καὶ τῶν θυσιῶν ἀμελοῦντες, ἔσπευδον*

με-

μετέχειν τῆς ἐν παλαίστρᾳ παρανόμου χορηγίας μετὰ τὴν τοῦ δίσκου πρόκλησιν· καὶ τὰς μὲν πατρῴους τιμὰς ἐν οὐδενὶ τιθέμενοι, τὰς δὲ ἑλληνικὰς δόξας καλλίστας ἡγούμενοι. *Sed contemto Templo* [de Sacerdotibus loquitur] *& Sacrificiis neglectis, feſtinabant participes fieri paleſtrae, & praebitionis eius iniuſtae, poſt diſci exercitia. Et patrios quidem honores nihil habentes, Graecas glorias optimas arbitrabantur*. Quare mirari ſubit, quod *Calmetius* alicubi ſatis innuit gymnaſium illud literarium, & doctrinis addiſcendis deſtinatum fuiſſe ſe eſſe opinatum. Si autem eodem *cap.* 1. *Lib. I.* ſcriptum eſt: καὶ ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς βιβλία ἐν χειρὶ ἀγγέλων εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ τὰς πόλεις Ἰούδα πορευθῆναι ὀπίσω νομίμων ἀλλοτρίων τῆς γῆς, quod Latine in vulgata legitur: *Et miſit rex libros per manus nuntiorum in Ieruſalem, & in omnes civitates Iuda, ut ſequerentur leges gentium terrae*, ſtatim, ſi quis cor habet, intelligere poteſt heic librorum nomine literas ſeu epiſtolas ſignificari, tum quia id patet ex his, quae praeceſſerunt: *Et ſcripſit Rex Antiochus omni regno ſuo, ut eſſet omnis populus unus: & relinqueret unuſquiſque leges ſuas*; & ex his quae ſequuntur, poſtquam quid libris illis contineretur edictum eſt: *Secundum omnia verba haec ſcripſit omni regno ſuo; & praepoſuit principes populo, qui haec fieri cogerent*: tum quia vox βιβλία apud claſſicos Scriptores *Epiſtolas* interdum ſignificat, ut apud *Suidam* & *Heſychium* videre eſt, non ſecus ac apud Latinos *libelli*. *Brutus ad Ciceronem Lib. XI. Ne de Planco quidem ſpem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animadverti*. Et quamvis multi Iudaeorum iis temporibus ad gentium ſuperſtitiones, rituſque declinarent; probi tamen, & virtutis amantes viri ab illis ſemper abhorruere, & elegerunt potius diriſſimis ſuppliciis cruciari, aut morte etiam plecti, quam a veri Dei cultu, patriiſque inſtitutis recedere, ut ex laudatis *Machabaeorum* libris ediſcimus. Imo ſtatim ac Iudaei intolerabile Antiochiae Tyrannidis iugum excuſſere, etiam illi qui in Dei mandata delinquentes profanos ritus amplexi fuerant, ad patriae religionis cultum & obſervantiam reverſi, quidquid adverſus Deum peccaſſent, vehementer deteſtati ſunt, quod *I.* voluminum citatorum *cap.* x. & xiii. legimus. Quis igitur habeat perſuaſum Graecas opinio-

niones retinuiſse, & interius helleniſsantes perſtitiſse, quum omnia gentium externa procul abieciſsent? Quomodo autem id de Phariſaeis ſuſpicabimur, quos inprimis patriarum traditionum tenaciſſimos fuiſse exploratum eſt? Quomodo de Eſſenis, quos non minus, quam illos, patriae religionis, & inſtitutorum zelus accendit? Sed quantum Iudaei omnia Graeca averſati ſemper fuerint, etiam Regibus ipſis reſiſtendo, patere quoque poteſt ex apocrypho *Libro III. Machabaeorum cap.* III.

Quod ſi dicendum eſt eas ſectas in Philoſophiae ſtudium incubuiſse; patrio quodam tantum more philoſophatas eſse nemo negaverit, id quod expreſse de Eſſenis a Philone adſertum fuiſse iam vidimus. Atque ita intelligi debet *Ioſephus*, qui eas ſectas Philoſophias adpellat, quando etiam in hoc ipſe diſerte ſeſe explicat *Lib. XVIII.* Αρχαιολ. *cap.* II. Ιουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων, ἥτε τῶν Εσσηνῶν, καὶ ἡ τῶν Σαδδουκαίων· τρίτην δ' ἐφιλοσόφουν οἱ Φαρισαῖοι λεγόμενοι. *Habebant Iudaei a priſcis etiam temporibus tres patriae Philoſophiae ſectas, unam quidem Eſſenorum, alteram vero Sadducaeorum; tertiam autem, quam profitebantur Phariſaei nomine.* Et *Lib. II. De Bello Iudaico cap.* XII. τρία γὰρ παρὰ Ιουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται, καὶ τοῦ μὲν αἱρετισταὶ Φαρισαῖοι, τοῦ δὲ Σαδδουκαῖοι, τρίτον δὲ, ὃ καὶ δοκεῖ σεμνότητα ἀσκεῖν, Εσσηνοὶ καλοῦνται. *Nam tria hominum genera apud Iudaeos philoſophantur, & unius quidem generis aſſeclae ſunt Phariſaei: alterius vero Sadducaei: tertium vero, quod ſane vitam ſeveriorem exercere videtur, Eſſeni adpellantur.* Nec aliter accipiendum eſt quod *Photius Eclog. CIV.* teſtatur, Philonem ſcilicet ſcripſiſse βίους τῶν παρὰ Ιουδαίοις φιλοσοφησάντων τήντε θεωρητικὴν καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν. ..ic *Euſebius Lib. VIII.* Προπαρ. Εὐαγγελ. eclogam ad u.erat ex Philonis libro περὶ τῆς κατὰ τὸν βίον ἀρετῆς τῶν παρὰ Ιουδαίοις τὸ παλαιὸν φιλοσοφούντων. Hunc patrium in Iudaeis philoſophandi morem videtur adgnoviſse etiam *Porphyrius Lib IV.* περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς, ubi de tribus memoratis ſectis loquens ait: τῶντε παρ' αὐτοῖς φιλοσοφιῶν τριτταὶ ἰδέαι ἦσαν. *Apud illos tria erant philoſophandi genera*: minimeque ſubindicat ſe eas ſectas ex Graecis traductas fuiſſe credere, & propagatas. Noſtra ſententia

con-

confirmatur ex eo, quod hoc intellectu voces φιλοσοφία & φιλοσοφεῖν ad Iudaeorum certe imitationem a Chriſtianis Scriptoribus deinceps uſurpatae fuerunt. *Ioh. Chryſoſtomus Homil. LXIV.* in Matthaeum: τὰ τῆς φιλοσοφίας ἐπετάθη μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν. *Euſebius Lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* XV. primis Aegypti Monachis tribuit ἄσκησιν φιλοσοφωτάτην, & *Lib. XIV. Praepar. Evang.* Διονύσιος, ait, τῆς κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίας ἐπίσκοπος ἀνήρ. In Chronicis vero: Κλήμης ὁ στρωματεὺς πρεσβύτερος Ἀλεξανδρείας ἄριστος διδάσκαλος ἐν τῇ κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίᾳ συντάττων διέλαμπεν. Similem ῥῆσιν repetit paulo poſt de Hippolyto. Ita quoque ἡ τῶν Χριστιανῶν φιλοσοφία dicitur *Gregorio Nyſseno Encomio Gregor. Thaumaturgi*, Chriſtianiſmus, quem *Philoſophiam Religionis* vocavit *Salvianus*, ante quem *Tertullianus Libro De Pallio* ſcripſerat: *Melior iam te Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire coepiſti*. Sic *Auguſtinus Libro De Vita Beata, Sed ne in Philoſophiae gremium*, inquit, *celeriter advolarem, fateor, uxoris honoriſque inlecebris detinebar*. Et *Chryſoſtomus* modo laudatus *Homil.* in illud *I. Timoth. V.* ὀλίγῳ οἴνῳ χρῶ, Chriſtianum dogma nuncupat φιλοσοφίαν τὴν ἄνωτάτω. Apud *Gregorium Nyſſenum* vero *Serm. De Euntibus Hieroſolyma*, ὁ κατὰ φιλοσοφίαν βίος notat vitam ſeveram, & legi divinae congruam, ut φιλοσοφεῖν apud *Chryſoſtomum* loco citato, & alibi. Non me quidem latet *Druſium* etiam, & *Hornium* in ea eſse ſententia, quae vult Philoſophiam in Iudaeam, poſtquam in eam deductae fuerunt Aſſyriorum coloniae, una cum exteris gentibus invectam fuiſse, & Phyſicam inprimis, ac deinde ἐπὶ τῶν Διαδόχων magis eius ſtudium inter Iudaeos invaluiſse: ſed quum nullas certas probationes huiuſmodi rei adferant, & ad ſummum concedi poſſit eiuſmodi ſtudia apud Samaritas haeſiſse, & Samaritas exteros, non autem veros & πανουδαίους, & de temporibus Subceſſorum Alexandri Magni prope nihil, ut vidimus, liqueat, *Fullero* magis, & *Cameroni* adhaerendum eſt, qui in aliam omnino ſententiam non ſine magna ratione diſceſsere.

CAPUT X.

De Iohannis *Evangeliſtae ruſticitate, & imperitia.*

EX iis, quae huc uſque diſſeruimus, conſtat, arbitror, inter Iudaeos generatim Graecarum, & Platonicarum praecipue commentationum ignorantiam eminuiſse. Vix enim Peripateticum *Ariſtobulum* temporibus Ptolemaei Philometoris reperire fuit, & Platonicum Chriſtiani nominis aetate *Philonem*. Quare quid de *Iohanne* Evangeliſta dicendum ſupereſt? Eum enim in confeſſo eſt, Bethſaidae natum, piſcatorem & piſcatoris filium, rudem admodum fuiſſe, lege quidem a pueritia inſtructum, ut mox erat Ebraeis, ceterum nulla tinctum aut Ebraica aut Graeca literatura, quare dicitur *Chryſoſtomo II. in Iohannem* οὐ μόνον ἰδιώτης, ἀλλὰ καὶ ἀγράμματος, quod a *Luca*, qui id *Act. cap.* IV. teſtatur, acceperat. Nihilo tamen minus non LXX. tantum, verum etiam fontem Ebraicum ab eo fuiſſe lectum notat *Euſebius in Pſalmos*. Eius autem literarum imperitiam ſtylus quoque ipſe manifeſtat, quum ſupra ceteros Apoſtolos magna ſit in Iohannis dictione ſimplicitas, & ſermo Graecus quidem, ſed plane ex Syriaco illius ſaeculi adumbratus; unde oratio adeo interciſa, tot copulativae coniunctiones, tot repetitiones vocum, quae per relativa minus frequentata Iudaeis, & alia dicendi compendia vitari ſolent, ut ad *caput* I. *Iohannis Grotius* ὁ πολυμαθέστατος obſervabat. Heinc ea quae *Dionyſius* Alexandrinus apud *Euſebium Lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXII. de eius orationis elegantia & nitore habet, minus forte ſubſiſtere videantur. Eat quis modo & perſuadere conetur *Iohannem* Graecanicae Philoſophiae cognitionem habuiſſe, & ex Platonicis placitis hauſiſſe ſuum λόγον. Scio quidem illum in Aſia, ubi τὸ παλαιὸν, ut *Chryſoſtomus* inquit, ἐφιλοσόφουν τῆς ἑλληνικῆς συμμορίας ἅπαντες, plurimum eſſe commoratum, nam & ibi mortem obiit, Epheſi ſcilicet, ut ſcribit *Polycrates* apud *Euſebium Lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap.* XXIV Sed philoſophari apud *Chryſoſtomum* eſt vitam & mores ad θεοπαραδότου ſapientiae regulas exigere, ut his, qui elo-

eloquentiſſimi Scriptoris lectioni adſuevere, ignotum eſſe non poteſt, & patet, ex iis, quae capite ſuperiore expedivimus.

CAPVT XI.

Apoſtolorum a profanis doctrinis averſio.

SEd Iudaei, quis dicat, aliive, qui forte Philonis opera legerant, τοῦ λόγου notitiam *Iohanni* addere inter differendum potuere; quaedam etiam loca, ubi περὶ τοῦ λόγου ageretur, in Philonis libris ei digito indicare. Multiplici ratione huic obiectioni obcurrere poſſem, eamque diſſolvere; ſed quum id in reliquo huius libri decurſu praeſtiturus ſim, ero in praeſentia contentus ſic ei dilemmate concinnato obviam ire. Vel *Iohannes*, quum Philonis λόγον intellexit, novit eam doctrinam ex Moſis, Prophetarumque oraculis eſſe hauſtam, vel non. Si novit, ut certe videtur, nam eadem ipſe habet ac *Salomon cap.* VIII. *Proverbiorum*, in compendium contracta, iam ſuperfluum eſt pertendere *Iohannis* λόγον e Philonis libris deſumtum eſſe, quum aeque potuerit vir divinitus adflatus illum ex ſacris literis derivare: ſi minus novit, exoticam profanamque eſſe doctrinam plane intellexit, adeoque illam exhorruit ac exſecratus eſt. Nihil enim fuit Apoſtolis antiquius quam omnem doctrinam, quae non e ſcripturarum fontibus flueret, nec a Chriſto domino deſcenderet, nec a Spiritu veritatis adflaretur, reprobare, ac prorſus abiicere. Hoc quidem paſſim oſtendit in ſuis Epiſtolis *Paulus*, quem iam ſuperius vidimus adfirmantem, nihil aliud ſe docere ac praedicare, quam quod ſibi revelaverat Chriſtus. Igitur *Timotheo* ſcribens *Epiſtola I.* ait ſe illum Epheſi reliquiſſe, ut admoneret quoſdam μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει. *Ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quae quaeſtiones praeſtant magis, quam aedificationem Dei, quae eſt in fide*. Atque iterum ex intervallo: εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ, καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, τετύ-

φωται, μηδὲν ἐπιστάμενος, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας. *Siquis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini nostri Ieſu Christi, & ei, quae ſecundum pietatem est doctrinae, ſuperbus est, nihil ſciens, ſed languens circa quaestiones & pugnas verborum.* A philoſophia autem praecipue cavere iubet Coloſſenſibus ſcribens: βλέπετε, inquit, μήτις ὑμᾶς ἔσαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τῦ κόσμου καὶ ὐ κατὰ Χριστόν. *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Christum.* Ebraeos autem *cap.* XIII. ita monet: διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθε. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Quare Titum monet ut fidelis ſermonis doctrinam teneat, ut in ea poſſit exhortari, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ, inquit, ἀνυπότακτοι, καὶ ματαιολόγοι, καὶ φρεναπάται, μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς, οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, οἵτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι, διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ αἰσχροῦ κέρδους χάριν. *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maxime qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, qui univerſas doctrinas ſubvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia*: & eo magis ſi novos Deos, & Angelorum religionem & cultum introducere videantur, unde illa ad Coloſſenſes: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτῦ. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus ſenſu carnis ſuae.* Talis profecto *Philo* viſus eſſet, qui λόγον invehit, & tanquam divinam ὑπόστασιν paſſim deſcribit: qui eum Angelum, & Archangelum adpellat: qui interdum omnes Angelos λόγους indigitat. Tales ſunt Platonici, quos nimis in Daemonas, Angeloſque anili prope ſuperſtitione prolixos fuiſſe quis ignorare non poteſt. Quare ea, quae habet *Philo* Ἰουδαϊκοῖς μύθοις adſcripſiſſet Apoſtolus, ſicut & alia in Epiſtola ad *Titum*.

At quid ſi *Iohannes* non doctrinam, ſed vocem tantum λόγος a Philone mutuam acceperit? Huic quoque difficultati inferius πολυτρόπως ſatisfaciemus, & animadvertemus interim, ſi vox

ſi vox λόγος quo ſenſu in Iohanne uſurpatur, non ex Chriſti Moſiſque doctrina deſcendiſſet, profana vocis novitas in illo ſtatim futurum fuiſſe ut exſiſteret. Has autem novitates quantum exhorruerint Apoſtoli luculenter indicat *Paulus I. ad Timotheum* Epiſtola, ubi ſcribit: ὦ Τιμόθεε, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους καινοφωνίας. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates*, ut legit Vulgata, & antiquorum Patrum plerique, quamquam in quibuſdam Graecis Codicibus κενοφωνίας *vaniloquia* offendere eſt. Immo *Auguſtinus Lib. IV. adverſus Fauſtum Manich.* legit pariter καινοφωνίας in *II.* ad *Thimotheum cap.* II. *verſ.* 16. ubi Vulgata habet *vaniloquia*. Et iure quidem eiuſmodi novitates averſati ſunt Apoſtoli, nam probe noverant ad ſanam doctrinam adnunciandam ſcripturas a Deo inſpiratas ſubficere, abſque eo quod ullam profanarum literarum rationem haberent. Quamobrem Apoſtolus memorato Timotheo ſecundum ſcribens, πᾶσα inquit, γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum praeparatus*. Denique *Iacobus* in ſua Epiſtola diſerte ſcribit, ſapientiam, quae de ſurſum non eſt, eſſe ἐπίγειον, ψυχικὴν, & δαιμονιώδη, *terrenam, animalem, & daemonicam*. Non igitur λόγον *Iohannes* a Philone Platonico accepit.

C A P V T XII.

Apoſtoli, & primi Chriſtiani profanorum librorum lectionem maxime averſati ſunt.

ILlud quoque ſilentio praetereundum non eſt, primos Chriſtianos a profanorum librorum lectione adeo abhorruiſſe; ut *Luca* in *Actis* teſte locupletiſſimo, vix Chriſti Evangelium amplexi fuerant, volumina eiuſmodi omnia, quotquot antea habuerant, flammis darent atque comburerent. Ἱκανοὶ δὲ, inquit *cap.* XIX. τῶν τὰ περίεργα πραξάντων συνενέγκαντες

τὰς βίβλους κατέκαιον ἐνώπιον πάντων, καὶ συνεψήφισαν τὰς τιμὰς αὐτῶν, καὶ εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε. Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Quod ſatis etiam argumento eſſe poteſt nullo modo Chriſtianos in Philonis profanis Ethnicorum Philoſophorum decretis addicti hominis lectionem tunc temporis incubuiſſe, & multo minus *Iohannem*, aut qui *Iohannis* conſuetudine utebantur: quando huiuſmodi homines exemplo aliis, non verbo tantum & exhortatione praeire debuerunt: & illa quidem librorum combuſtio *Epheſi* facta eſt, ubi *Iohannes* morari ac degere conſuevit. Quare illam *Pauli* primum ad Corinthios ſcribentis gloriationem & ceteris Apoſtolis fuiſſe communem non eſt dubitandum. *Ημεῖς δὲ ὐ τὸ πνεῦμα τῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τῦ Θεῦ, ἵνα εἴδωμεν τά ὑπὸ τῦ Θεῦ χαρισθέντα ἡμῖν, ἃ καὶ λαλῦμεν ὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλὰ ἐν διδάκτοις ἁγίου πνεύματος, πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quae a Deo donata ſunt nobis, quae & loquimur non in verbis, quae humana ſapientia docet, ſed in iis quae docet Spiritus Sanctus, ſpiritalibus ſpiritalia comparantes*. Heinc & *Petrus* Apoſtolus *Epiſtola II. cap.* 1. ita ad omnem controverſiam dirimendam diſerte infit: *ὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τῦ κυρίου ἡμῶν Ιησῦ Χριςῦ δύναμιν καὶ παρουσίαν, ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Non enim doctas fabulas ſequuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & praeſentiam: ſed ſpeculatores facti maieſtatis illius*. Si haec verba tum *Pauli*, tum *Petri* decretoria non ſunt, quae eſſe poſſint, nullus video. Iam ſi non verbis vel ſermonibus, quos humana ſapientia docet, Dei myſterium Apoſtoli revelarunt, ſed iis quos ſanctus Spiritus illis adſlavit, quod teſtatur *Paulus*, quomodo vox illa *λόγος*, quae in Iohanne reperitur, Philonis eſſe poteſt? Quod ſi *Paulus* Ethnicorum Poëtarum teſtimoniis interdum abutitur, ut *Epimenidis*, *Arati*, *Menandri*, aut ex Arae cuiuſdam inſcriptione ſuae concionis ad Athenienſes initia deducit: non ad abſcondita & noviſ-

viſſimis temporibus per Dei ſpiritum revelata myſteria explicanda eorum auctoritate & loquutionibus fungitur; ſed vel ad ea, quae ratio ipſa naturalis ſuadet, & omnes noverunt, fortius inſinuanda, vel ad mores alicuius gentis arguendos.

C A P V T XIII.

De Philonis aetate, & doctrina.

SEd & ipſa aetas, qua *Iohannes* & *Philo* floruere, veriſimillimum reddit nihil unquam *Iohannem* de Philone, eiuſque ſcriptis audiviſſe. Eadem enim fuit. Anno ſiquidem Aerae Chriſtianae XL. *Philo* ſuae gentis legatus ad Caium Imperatorem miſſus eſt: quamquam tunc provectiori aetate fuiſſe videtur, ut ex iis, quae habet in Libro *De Legatione*, intelligere eſt. Quamdiu vixerit omnino incertum. Non minus incertum quando ſcribere coeperit. *Euſebius Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XVII. tradit Commentarium περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν multis annis poſtquam Romae ſub Claudio principe fuerat ab eo compoſitum fuiſſe. Quidquid ſit, vix ille, ut videtur, apud ſuos ſcientiae & Philoſophiae laude cenſebatur, tum, quae eſt Iudaeorum indoles, ob exoticam & profanam, qua inſtructus erat, doctrinam: tum ob linguae Ebraicae imperitiam. Hoc & ipſe *Clericus* adfirmat, *Scaligerum* ſequutus, qui *cap.* XVIII. *Elenchi Tribaereſ.* ſcriptum reliquit, Ebraiſmi & Syriaſmi imperitiorem fuiſſe Philonem, *quam ullus Gallus vel Scytha*: & hoc omnia eius ſcripta loqui: quamquam reſiſtit *Ioh. Alb. Fabricius Tom III. Bibliothecae Graecae cap.* IV. Illud autem etiam ex *Ioſepho* Scriptore aetate ſubpari conligere eſt. Is enim Philonem natalibus, & honorum amplitudine apud Iudaeos praeſignem fuiſſe indicat, ob doctrinam vero leviter admodum commendat. Eius verba *Libro Antiquitatum XVIII.* de Legatione ad Caium agentis ſunt quae ſequuntur: Φίλων ὁ προεστὼς τῶν Ἰουδαίων τῆς πρεσβείας, ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ Ἀλαβάρχου ἀδελφὸς ὤν, καὶ φιλοσοφίας οὐκ ἄπειρος, οἷός τε ἦν ἐπ' ἀπολογία

χωρεῖν τῶν κατηγορημένων. Philo qui Legationi praeerat Iudaeorum, vir per omnia clariſſimus, Alexandri Alabarchae frater, Philoſophiae non imperitus, parabat cauſſam ſuae gentis agere. Quare exſiſtere videtur, non ita eius opera potuiſſe ſtatim per remotas etiam regiones divulgari, ut a pluribus lectitarentur. Ipſe quidem crediderim, quamquam de hoc lectorum iudicium liberum eſto, a Chriſtianis primum ſecundo vertente ſaeculo Philonis libros legi & celebrari coepiſſe, atque ita ſenſim per orbem univerſum fuiſſe vulgatos, quod in eis multa animadverterent, quae Chriſtiano dogmati mirifice conſonarent: quare huius Scriptoris auctoritatem ad Iudaeorum pertinaciam revincendam, Ethnicorumque animos ad Chriſtianam religionem diſponendos inprimis idoneam recte ac ſapienter exiſtimarunt.

Non me quidem latet, *Philonem*, quum Caii Caeſaris temporibus Romam veniſſet, & de impietate atque impuritate Caii quamplurima ſcripſiſſet, quibus per ironiam de virtutibus titulum fecerat, & ea Senatui recitaſſet, tanta admiratione habitum fuiſſe, ut Bibliotheca digna eius ſcripta decernerentur *Euſebio Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XVIII. auctore; ſed heinc conligere non eſt Philonis volumina paſſim ea aetate fuiſſe divulgata ac celebria. Romae enim ea a principio exſtitere, quia ipſemet illa ibi vel conſcripſerat, vel detulerat, quemadmodum libris *Ioſephi* de Bello Iudaico contigiſſe refert *Hieronymus in Catalogo*: *Hic Romam veniens*, inquit, *ſeptem libros Iudaicae captivitatis Imperatoribus patri, filioque obtulit, qui Bibliothecae publicae traditi ſunt*, quod ex *Euſebio Lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap.* VII. ſumtum eſt.

Quando ſuum Evangelium *Iohannes* ſcripſerit in ſententiis eſt. Quidam cenſent Epheſi, poſtquam ille ex Patmo rediiſſet, Evangelium ſcripſiſſe, ut *Irenaeus Lib. III. cap.* I. *&* II. *Epiphanius Haereſ. LI. Victor Petavienſ. in Apocalypſin, Auctor Quaeſtion Vet. & novi Teſtam. Quaeſt. LXXII. Syr. Perſ. Copt. in fine Evangelii Iohannis, Theophylactus Prolog.* Alii in inſula Patmo illud exaratum fuiſſe adfirmant, ut *Pſeudo-Athanaſ. in Synopſi, Auctor operis imperfecti Homil. I. Hippolytus, Dorotheus, Theophylact. Eutych. MSS. plures, Suidas.* Recentiores

Chro-

Digitized by Google

Chronologi priori ſententiae inhaeſere, & Iohannem volunt, quum Epheſum ex Patmo poſtliminio rediiſſet, Evangelium ſcripſiſſe, anno Ieſu Chriſti circiter XCVIII. quum ipſe annum ageret circiter XCV,

C A P V T XIV.

De Apoſtolicae Doctrinae unitate ac conſenſione, deque naſcentis Chriſtiani nominis celebritate.

VErum haec eadem aetas, qua *Philo* vixiſſe fertur, in cauſſa eſt cur ſubſpicer *Philonem* ab Apoſtolis & Evangelica praedicatione excitatum fuiſſe ad ea, quae περὶ τῦ λόγου ex Platone perceperat, in Moſaicis oraculis conſectanda & inveſtiganda ſubtiliter, & facta quadam utriuſque doctrinae temperatione, ſuis eadem proponenda confidentius, Id quidem contingere potuiſſe verioribus argumentis probatum ibimus, quam illa ſint, quibus *Clericus* ex illo ad Apoſtolos τὸν λόγον defluxiſſe probare conatur. Sed nullo modo probat: ſemper enim ſuo *potuit* innititur, nec cur id fieri potuerit oſtendit: quum potius e regione conſtet multa eſſe, ut iam demonſtravimus, quae id contingere non potuiſſe probabiliter perſuadeant.

Itaque in dubium revocari non poteſt quin omnibus Apoſtolis omnia noſtrae religionis myſteria divinitus innotuerint, ſive Chriſtus illis revelaverit, ſive eorum notitiam Spiritus veritatis infuderit. Nam Chriſtus Apoſtolis dixit: ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων, ὁ δὲ παράκλητος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου· ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα. *Haec loquutus ſum vobis apud vos manens, Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et Paulus I. ad Corinthios* ait: ἀλλὰ καθὼς γέγραπται. ἃ ὀφθαλμὸς ὐκ εἶδε, καὶ οὖς ὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν. ἡμῖν δὲ ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τῦ πνεύματος αὐτῦ. τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τῦ Θεῦ. *Sed ſicut ſcriptum eſt, quae oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non aſcenderunt, quae prae-*

pa-

paravit Deus his, qui diligunt illum. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum ſuum, Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Iure igitur *Tertullianus* Libro *De Praeſcriptionibus*, *Quis enim integrae mentis*, inquit, *credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos magiſtros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu, quibus obſcura quaeque ſeorſum diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere arcana, quae populo intelligere non liceret . . . . Dixerat plane aliquando: Multa habeo adhuc vobis loqui, ſed non poteſtis modo ea ſuſtinere: tamen adiiciens, quum venerit ille Spiritus veritatis ipſe vos deducet in omnem veritatem, oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſequuturos per Spiritum veritatis repromiſerat.*

Exploratum quoque eſt, quod unus ex Apoſtolis docebat, ab eo, quod alter praedicabat, non fuiſſe diverſum. Lucentiſſima enim ſunt eiuſdem *Pauli* Galatis ſcribentis verba. *θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ, εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς, καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα ὑμῖν ἀνάθεμα ἔστω. ὡς προειρήκαμεν καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴτις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. Miror quod ſic cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt invertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeter id, quod evangelizamus vobis, anathema ſit. Sicut praediximus & nunc iterum dico, ſiquis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Quapropter compertum quoque eſt id, quod *Iohannes περὶ λόγου*, eiuſque divinitate tradidit, eamdem fuiſſe doctrinam atque eam, quam ceteri Evangelii praecones populis adnunciabant: ſecus enim *Pauli* diris obnoxius ille fuiſſet. Ad rem magnus *Auguſtinus Lib. II. contra Fauſtum Manichaeum cap.* 11. *Quod autem erat*, inquit, *Apoſtoli Pauli Evangelium, hoc etiam ceterorum Apoſtolorum, & omnium fidelium diſpenſatorum tanti ſacramenti. Hoc enim alibi dicit, ſive ergo ego, ſive illi, ſic praedicamus, & ſic crediditis.*

Non

Non enim omnes illi Evangelium conſcipſerunt, ſed tamen omnes Evangelium praedicaverunt. Praeclariter quoque *Tertullianus De Praeſcriptionibus* dixerat: *Sed quoniam . . . . ſolent dicere, non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia, qua rurſus convertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe: in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit.*

Quum igitur videamus magnam fuiſſe Apoſtolorum curam & ſolicitudinem ne ulla ſententiae diverſitas in eorum praedicatione deprehenderetur; & omnem religionis noſtrae veritatem, ut *Tertullianus* & *Auguſtinus* animadvertebant, & praecipue quaecumque ad divinam naturam ſpectarent, ex cuius cognitione religio tota dependet, manifeſtaverint: dubium quoque eſſe non poteſt quin Sanctae Trinitatis myſterium, & Chriſti divinitatem aperuerint. Igitur quicumque conciones Apoſtolorum audiebant, ſtatim etiam Chriſtum eſſe filium Dei, *Act. cap.* III. 13. VIII. 37. IX. 20. & rerum univerſarum Dominum *Act. cap.* X. 36. ante omnia tempora ſecundum Divinitatem genitum, per quem coelum & terra, rerumque univerſitas a principio conſtiterit, intelligebant. Si quis autem ab initio probe Chriſtianae ſapientiae documentis inſtructus minime fuerat, poſtea tamen ab aliis plenam myſteriorum cognitionem accipiebat, ut conſtat *ex Actis Apoſtolorum cap.* XVIII. 25. 26. *& cap.* XIX. 2. 3. 4. Recte igitur ac ſapienter doctiſſimus *Bern. Lamius in Praefatione Adparatus Chronologici & Geographici ad Harmoniam Evangelicam Par. II. cap.* VII. ſcriptum reliquit: *Iohannes omnium fere conſenſu deſinente primo Aerae noſtrae ſaeculo* [ſcripſit Evangelium] *quae animadvertiſſe proderit. Etenim quum ante finem primi ſaeculi nondum ſcriptum eſſet, In principio erat Verbum &c. non a ſcripto aliquo, ſed a doctrina, quam Apoſtoli tradebant, acceperant Chriſtiani, Filium Dei eſſe Verbum eius, & hocce Verbum carnem noſtram induiſſe. Iohannes autem haec ſcribens ideo invenit fidem, quia erant traditioni Apoſtolorum conſentanea.*

Haec autem doctrina ſtatim per omnes gentes diffundi coepit. Nam Hieroſolymis, ubi primum promulgata eſt, ver-

Digitized by Google

verſabantur viri, & quidem religioſi, ex omni natione quae ſub coelo eſt, ut *Lucas Act. cap.* II. 10. adteſtatur. Illi igitur ſuos cives & populares literis ſaltem, ut fere uſuvenit, de nova, quae excitabatur, religione, certiores facere potuere. Immo *Iuſtinus* Martyr inclutus *Dialogo cum Triphone* adſeveranter adfirmat communi Iudaeorum conſilio nuncios quoſdam per cunctas orbis terrarum regiones miſſos fuiſſe, qui de nuper excitata Chriſtianorum religione alios omnes certiores facerent, eamdemque calumniis, & criminibus iniuſte, & falſo obiectis infamatam vexarent, atque traducerent. Et quidem naſcentis Chriſtianiſmi notitiam per omnes diſperſionis Iudaeos fuiſſe diffuſam conligitur etiam ex *Actis cap. ultimo verſ.* 22. & de hoc inſuper dubitare non ſinit *Euſebius Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* III. Quod ſi ex una urbe, & remota quidem, de aliis regionibus proximioribus diiudicare eſt, Romae Chriſtianum nomen ſub *Claudio*, & *Nerone* Principibus valde percrebuiſſe, non ex *Pauli* Epiſtolis tantum, & praecipue ex ea *ad Romanos*, ubi ait: ἡ πίςις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ: *Fides veſtra adnunciatur in univerſo mundo*; ſed ex *Suetonio Tranquillo*, & *Tacito* etiam liquet, ut quod *Euſebius Lib. I. ſuae Hiſtoriae cap.* xv habet, ſilentio praeteream. Ille enim de Claudio ſcribit: *Iudaeos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Ethnici enim pro *Chriſtus*, *Chreſtus* dicebant, ut liquet ex *Tertulliano Apolog. cap.* III. & *Lactantio Lib IV. cap.* VII. & Auctore Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, & *Luciano* vulgo tribuitur, primi ſaeculi forſitan Scriptore; quamquam non me latet quoſdam ex recentioribus Criticis, non de Chriſto Servatore, ſed de alio quodam locum illum *Suetonii* intelligere, ut *Antonium Van-Dale*. *Tacitus* autem *Lib. XV. Annalium*, quamquam Chriſtianis iniquior, quum de Romae incendio loqueretur, quod a Nerone iuſſum paſſim credebatur, ita ſcribit: *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quaeſitiſſimis poenis adfecit, quos per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos adpellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio adfectus erat. Repreſſaque in praeſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudaeam ori-*

ginem

ginem eius mali, ſed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt. Sed iam ſub *Tiberio* ipſo Romam Chriſti notitia pervenerat, de quo ad eum Pilatus ſcripſiſſe perhibetur, ſi *Tertulliano Apolog. cap.* v. *& Euſebio II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 11. fides habenda eſt, ut nihil de Actis dicam Romam tranſmiſſis, quae in *Apologia II.* a *Iuſtino* Martyre memorantur. Quod confirmare videtur illud quod diximus, tot diverſarum regionum Iudaeos, qui Hieroſolymis morabantur, popularibus ſuis per epiſtolam, vel alio modo exorientis doctrinae notitiam veroſimiliter dediſſe. Animadvertendum eſt inſuper Iudaeorum, qui Hieroſolymis morabantur, plures Aegyptios fuiſſe, ut laudatus *Lucas* adfirmat, & Alexandrini & Cyrenenſes in eadem urbe Synagogam habebant, qui etiam de religione cum *Stephano* Diacono diſputarunt *Actor. cap.* vi. 9. Imo *Marcus* Evangeliſta, quum Evangelium ante annum Aerae vulgaris xlix. iuxta *Tillemontii* calculos ſcripſiſſet, quamquam alii veteres Scriptores diſſentiunt, hoc eodem anno a *Petro* Apoſtolo in Aegyptum, & Cyrenen ad Evangelium iis populis adnunciandum miſſus eſt, ubi etiam naturae conceſſit, etſi emortualis annus in ſententiis ſit. Illum inſuper Cyrenaeum patria fuiſſe, eius, quae apud *Bollandum* exſtant, acta prodidere. *Apollo* vero, vir eloquentia, & eruditione conſpicuus, cuius in coeleſtibus literis mentio illuſtris habetur, Alexandrinus Iudaeus erat, & Chriſti placitis imbutus; Epheſumque devenit anno Aerae Vulgaris liv. multumque Chriſtianae religionis propagationi contuliſſe non ignoramus. Quid quod ſigna & prodigia paſſim per Apoſtolos patrabantur, quod humanos ſenſus maxime percellit, & quod unum omnium curioſitatem mirabiliter excitat, ita ut ſtatim, qui ſint illi, per quos adeo admiranda & inſolita efficiuntur, diligenter & anxie requiratur, & qua virtute illa fiant, & quae huiuſmodi hominum mores & placita ſint, & unde ea acceperint, & id genus alia. Heinc creſcit uſque rumor, & non tantum ab attonitis mortalibus vera narrantur,

quan-

Digitized by Google

quantum paſſim augentur ; & in dies celebriora redduntur . Qui vero motus & tumultus inter Iudaeos ob novam hanc inſolentemque doctrinam excitati non ſunt? Subficit acta Apoſtolorum evolvere , ut id primore adſpectu comprehendatur .

Hiſce omnibus concurrentibus, quis ſibi perſuadere valeat, *Philonem* , Iudaeum , & Alexandrinum, hoc eſt, a Iudaea non valde remotum ; & Philoſophum , curioſi videlicet ingenii , & omnia nova mirum in modum captantis , non fuiſſe permotum, ut quod novum dogma in ſua gente ſuſcitaretur, inquireret? quaeſitum penſiculate ac diligenter examinaret? examinatum non longe a ſuae ſectae placitis diſtare cognoſceret? Tum potuit vir prudens id , quod ante forte vel non cogitaverat, vel neglexerat , vel non ſatis enucleate expoſuerat, faciendum ſuſcipere , & de quodam Dei Filio, & de altera divina prorſus Hypoſtaſi, cuius & ἀπηχήματα quaedam in ſuorum libris offenderat, & quam in Platonis dialogis manifeſte deprehenderat , verba facere , quum viros & moribus ſpectatos, & doctrinae ſublimitate mirabiles, & prodigiis patratis celeberrimos, & tandem populares ſuos, ut ita dicam, & contribules , ſibi praeire cerneret , & conſenſum paſſim adprobationemque mereri. Quando enim ſcribere, aut commentari coeperit, aut quos primum libros exaraverit, vel ediderit, omnino incertum eſt. Tunc etiam melius quomodo id omne ex Moſe Prophetiſque deflueret, intelligere potuit; nam & ipſi quadrabunt, quae habet *Hieronymus ad Deſiderium* ſcribens, & de LXX. Bibliorum Interpretibus loquens. *Illi interpretati ſunt*, inquit, *ante adventum Chriſti, & quod neſciebant dubiis protulere ſententiis: nos vero poſt paſſionem & reſurrectionem eius non tam prophetiam quam hiſtoriam ſcribimus: aliter enim audita, aliter viſa narrantur: quod melius intelligimus, melius & proferimus*. *Philo* igitur ſecurius ea de cauſa ſententiam ſuam ſcriptis patefacere fortaſſe auſus eſt, quod non profanam, peregrinamque doctrinam ingerere videri poſſet: quare ſe omnia Moſi ſcripturiſque debere confirmat atque perſeverat. Nam ingenue fatendum eſt, quod *Clemens* iam Alexandrinus advertit, Platonicam Philoſophiam ad Evangelicam

fidem

fidem amplectendam viam ſtraviſſe. Quare ſcribit in Libro *De Vera religione cap.* III. *& Epiſt. LVI.* eminentiſſimus *Auguſtinus*, Platonicos ſuis proximiſque temporibus Chriſtianae religionis myſteriis & placitis, omnium adhaeſiſſe facillime. Et heic opportune deridenda eſt putida Sociniani cuiuſdam coniectura, qui Philonis ſcripta ab aliquo huius nominis Chriſtiano ſub ſecundi ſaeculi exitum compoſita fuiſſe ſomniabat, & quem egregie confutavit *Petr. Allixius* in *Iudicio Eccleſiae Iudaicae adverſus Vnitarios cap.* IV.

Haec autem dixi non ut *Philonem* Chriſtianum fuiſſe pertenderem, ſed ut, Platonicus quum eſſet, Chriſtianae Sapientiae cum ſuis decretis ſimilitudine capi ac delectari, atque inde ea, quae περὶ τȣ̃ λόγου ſcripſit, ad literis facilius mandanda adgredi potuiſſe, admodum probabile oſtenderem. Nam & huc ſpectare poſſunt, quae habet laudatus *ὁ πάνυ Lib. II. De Doctrina Chriſt. cap.* XXVIII. & quae referentur inferius. Non me tamen praeterit, Philonem noſtrae Sapientiae myſteriis initiatum fuiſſe a quibuſdam adfirmari, ut *Photio Codice XV.* ubi tamen refert ex indignatione quadam & taedio iterum ad ſuos rediiſſe, quod quidem incredibile videtur. De Chriſtianis quoque agere in Libro, quem inſcripſit περὶ βίου θεωρητικȣ̃ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν. *De vita contemplativa, & Supplicum virtutibus*, omnibus veteribus, & recentiorum pleriſque perſuaſum fuit, & non ſine magna ratione, quod etiam eruditus *Calmetius* obſervat; ſed verius fortaſſe eſt, ubique Iudaeorum genus ab eo deſcribi, & Eſſenos indicari, quod *Photius* adgnovit *Codice CIV.* & cenſuerunt viri noſtrorum temporum eruditiſſimi. Haud etiam ignoro *Euſebium Caeſarienſem Lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap.* XVII. & *Hieronymum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſcripſiſſe, quum ſecunda vice Romam veniſſet *Philo* ad Claudium Imperatorem, cum Petro Apoſtolo conloquutum fuiſſe, & illius habuiſſe amicitias, quod & *Photius* & *Suidas* tradidere. At recentiorum nonnullis, & praeſertim *Sam. Baſnagio Tom. I. Annalium*, *Petrum* ante Claudii fata Romam veniſſe haud facile perſuaſu videtur. Quidquid autem ſit, certe ex his forte deducere eſt, non alieno a Chriſtianis animo Philonem fuiſſe, & eorum percepiſſe doctrinam, atque inde

fa-

famam eius ad Chriſtum converſionis exortam, fidem apud veteres meruiſſe.

C A P V T XV.

De quibuſdam Platonicis, qui poſt Chriſti ortum vixere.

ID quod de *Philone* adſeruimus, eſſe videlicet admodum veriſimile ad ea, quae περὶ τῦ λόγου habet, literis mandanda a naſcente Chriſtiana doctrina eum excitatum fuiſſe, confirmari etiam poteſt animadvertendo, illos Platonicos, qui δογματικῶς, & prolixe, & profunde de arcanis diviniſque rebus, & περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ aureis, ut ita dicam, elucubratis commentariis diſſeruere, poſt Chriſti omnes tempora floruiſſe. Quaſi dogmatum qualiſcumque ſimilitudo iis ſtimulos addiderit, ac neglectam iam atque exoleſcentem apud eos philoſophandi rationem inſtauraverit, quod & ſuperius magni *Auguſtini* verbis in medium prolatis adſtruximus. Sed iſthuc ipſum temporis etiam ratio praeiudicat; & ſervata ab illis ſcribendi methodus indicat; & eorum cum Chriſtianis converſatio ſuadet; & lectio coeleſtium ſcripturarum iiſdem familiaris probat; & phraſes & vocabula ab illis adhibita inſinuant.

Et quod tempus adtinet, iam ex iis, quae ſuperius tempeſtive praeſtruximus, liquido conſtat, veterem Academiam dimidio circiter ſaeculo ante Chriſti ortum ab *Antiocho* Aſcalonita iam ſene reſtitui atque inſtaurari coepiſſe; ſed quum non tantum e nova in veterem Academiam remigrare, quantum ad Stoicorum Porticum divertere videretur, non multum iis primordiis eius conſilia profecere; nam paulo poſt, ut iam notavimus, quaedam novae Academiae reſtitutio facta eſt. Eius diſcipulus *M. Terentius Varro*, Platonicus, & non Academicus fuiſſe perhibetur, quamquam alii eum Stoicis adcenſent; ſed an Platonicam Philoſophiam ſcriptis commentationibuſque tractaverit ignoramus. *Cicero I. Quaeſt. Acad.* ſcribit tantum, eum Philoſophiam multis locis inchoaſſe, ad impellendum ſatis, ad docendum parum: *Brutus* etiam, qui

qui *Antiochum* in admiratione habuerat, & eius fratrem *Ariſtum* audiverat, veteris Academiae placitis inhaerebat, eodem *M. Tullio*, & *Plutarcho* teſtibus aſſiduis. *Lucullus* item. Laudatum quoque Ciceronem veteribus Academicis *Hornius* adnumerat; ſed eum nos cum *Lactantio* Academicum novum adgnoſcimus. *Virgilius* forte, Poëtarum Plato, in illorum album melius mitteretur. *Thraſyllus* item Phliaſius, Mathematicus, qui ſub Tiberio Principe floruit, Platonicus fuit, *Scholiaſte Iuvenalis in Satyr. VI. & Laërtio in Vita Platonis* auctoribus. Anno eiuſdem Aerae XL. *Philo* Iudaeus Alexandrinus, de quo tam multa hactenus, vivebat, & Platonicis dogmatis inſtructus fuiſse cognoſcitur. At quum iam ſub eiuſdem Tiberii, & Auguſti etiam principatu *Potamon*, & ipſe Alexandrinus, novam ſectam inſtituiſſet, quae *Eclectica* dicta eſt, ſuoſque docuiſſet nullius magiſtri in verba iurare, ſed ex omnibus, quae probabiliora & veriſimiliora eſsent, eligere, ut apud *Laërtium* in *Prooemio* videre eſt; haec multis tandem adriſit, ac illa exinde Platonicorum, qui eius veſtigiis inhaeſiſse videntur, ſubceſſio ac ſeries, in quorum ſcriptis multifariae variaeque ſapientiae placita paſſim obcurrunt, ita ut vere Platonem expreſserint, qui omnium doctrinarum praecepta ſuis libris, ut *Aeneas* etiam *Gazaeus* obſervat, inſperſit. Et ecce ut poſt Evangelicam praedicationem aurea illa, ut cum *Damaſcio* loquar, Platonicorum catena contexitur.

Iam non mirum ſi & ea ratio Platonica decreta exponendi iis adriſit, quae Iudaeis fuit Chriſtianiſque communis. Mos divinas Scripturas ἀλληγορικῶς ediſserendi fuit Iudaeorum genti ſolemnis. Id vel liber, qui *Canticum canticorum* a Salomone compoſitus inſcribitur, comprobare poteſt; niſi enim ea, quae continet, ἀλληγορικῶς interpretari conſuevilsent, nunquam profecto illum divinarum Scripturarum canoni inſeruiſsent. Sed inſigne quoque eſt, & luculentum hac de re *Ariſtobuli* apud Caeſarienſem *Euſebium Lib. VIII.* Προπαρασκ. *cap.* X. teſtimonium, & exemplum. Eſsenos quoque ita divinas literas interpretari ſolitos fuiſse diſerte teſtatur *Philo* in *Libro* περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν, cuius luculentiſſima verba etiam apud *Euſebium Lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* XVII.

S ha-

habentur, quaeque his commentariis indere, operae praetium exiſtimavimus. Ἐντυγχάνοντες γὰρ, de illis inquit, τοῖς ἱεροῖς γράμμασι, φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες· ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζουσιν ἀποκεκρυμμένης φύσεως, ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης. ἔστι δ᾽ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται γενόμενοι, πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον· οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι, μιμοῦνται τῆς προαιρέσεως τὸν τρόπον. *Sacra enim volumina lectitantes philoſophantur more patrio, praecepta ſapientiae a maioribus tradita allegorice explicando. Quippe exiſtimant verba ipſa nihil aliud eſſe quam imagines, & ſigna rerum abditarum, quae per allegorias declarandae ſint. Sunt etiam apud eos commentarii veterum quorumdam, qui ſectae illius auctores, quamplurima eis monumenta doctrinae illius, quae in allegoriis poſita eſt, reliquerunt. Quibus iſti tamquam exemplaribus utentes, morem hunc, inſtitutumque imitantur.* Et ex intervallo: Αἱ δ᾽ ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων γίνονται αὐτοῖς δι᾽ ὑπονοιῶν ἐν ἀλληγορίαις. ἅπασα γὰρ ἡ νομοθεσία δοκεῖ τοῖς ἀνδράσι τούτοις, ἐοικέναι ζώῳ. καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς λέξεις, ψυχὴν δὲ τὸν ἐναποκείμενον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν. ὃν ἤρξατο διαφερόντως ἡ θρησκεία αὕτη θεωρεῖν. ὡς διὰ κατόπτρου τῶν ὀνομάτων, ἐξαίσια κάλλη νοημάτων ἐμφαινόμενα κατιδοῦσα. *Expoſitiones autem ſacrorum voluminum ab iis fiunt figurate per allegorias. Univerſam enim legem ſimilem eſſe exiſtimant animali: & verba quidem ipſa corporis inſtar eſſe: occultum autem ſenſum, qui ſub verbis latet, animae ſpeciem quamdam habere: quem quidem ſenſum haec ſecta ſcrutari & contemplari primitus inſtituit, in verbis ipſis veluti in ſpeculo quodam, admirabilem ſententiarum pulcritudinem contuens.*

Hos maioreſque ſuos imitatus eſt ipſe *Philo*: & eamdem Apoſtoli interpretandi ſcripturas rationem ſaepius iniere, ut eorum ſcripta perlegentibus liquet. Heinc *El. Du-Pinus* animadvertit illud fuiſſe Iudaeorum ad Chriſtum converſorum ingenium, ut ſcripturas allegoriis, & myſticis enarrationibus interpretarentur; & ad eorum imitationem Chriſtiani deinceps fere omnes. Primorum ſaeculorum ſpecimen *Clemens* Alexandrinus in primis, & eius diſcipulus *Adamantius Origenes* praebent. Heinc elucet quam vere *Porphyrius* apud *Eu-*

ſe-

ſebium Lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. cap. XIV. adfirmet huiuſmodi explanandi & ediſſerendi Sacras Scripturas rationem initium habuiſse ab *Origene*, qui ab Ethnicis eam Philoſophis acceperit, quum illi, & *Clemens*, & *Philo*, & *Apoſtoli*, & *Eſſeni*, & *Ariſtobulus*, Iudaeique omnes aetate, & exemplo praeceſſerint. Sed quid Chriſtianorum temporum Platonicis antiquius fuit, quam allegoricis interpretamentis Platonis doctrinam evolvere atque enarrare?

Non me quidem fugit apud veteres etiam Graecos moris fuiſſe ad allegorias perſaepe confugere, & Poëtarum fabellas ſimili ratione interpretari. *Heraclitus*, qui vulgo *Heraclides*, Homeri allegorias expoſuit: *Zeno*, *Cleanthes*, *Chryſippus* ſimilia omnino commentati ſunt: Pythagoreorum ſymbola aliter ſe enarrari non patiebantur, ut de Aegyptiis hieroglyphicis nihil dicam. Sed forte Platonici, qui Chriſtianis temporibus floruere, ad iſthuc ipſum etiam Chriſtianorum Sapientum exemplis, quae eorum oculis paſſim obverſabantur, invitari, & fortius impelli potuere. Idem ſubſpicari eſt de inluſtribus Pythagoricis, qui poſt Chriſtum vixere, ut *Numenio*, *Chronio*, *Apollophane*, *Longino*, *Moderato*, *Nicomacho*, & quos lubenter cum Platonicis ipſe confuderim; quamquam eos in hoc Chriſtianis, & *Origeni* praecipue praeluxiſſe mendax, ut diximus, *Porphyrius* adfirmat, *Chaeremonem* etiam, & *Cornutum* Stoicos in medium adducens, eorum, quae contra nos ſcripſit, voluminum III. Verum quoque eſt ab eodem *Porphyrio* hunc exponendi divinas literas modum in Chriſtianis improbari, & contumelioſis dictis impeti apud *Euſeb. Lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XIV. Sed ideo illum vituperat, quod Moſis ſermonem agreſtem & ſimplicem arbitretur, eiuſque ſenſa nullis involuta figuris, & aenigmatibus credat, peſſimus ſcriptorum aeſtimator ac cenſor. Sed quidquid dicendum ſit de *Porphyrio*, ceteri quidem Philoſophi Chriſtianos ut plurimum ſubſpexere, ut patet ex *Numenio* apud eumdem *Porphyr. De Nympharum Antro*, *&* *Origenem I. contra Celſum*, & ex *Amelio*, & *Longino*, aliiſque Platonicis, de quibus videndi *Euſebius*, *Teodoretus*, *Auguſtinus*, *Heſychius*. Et profecto Ethnicos nūnquam illam ſcripturas ediſſerendi viam in Chriſtianis vituperaſſe,

raſſe, teſtis locupletiſſimus eſt laudatus *Auguſtinus Libro XII. contra Fauſtum Manichaeum cap.* XL. Eius verba ſunt: *Nec Pagani nobis in hoc obſtrepunt: neque enim audent contradicere, ne illa non ſolum dicta, ſed etiam facta figurate accepta interpretemur ad Chriſtum intelligendum: praeſertim quia ea, quae praenunciata intelligimus, etiam demonſtramus impleta: quum fabulas ſuas ut aliquo modo commendent, ad neſcio quas Phyſiologias, vel Theologias, ideſt, rationes naturales vel divinas interpretando referre conentur.* Sed Ethnicos, & Platonicos ad allegoricas fabularum interpretationes confugere ab eas etiam ſugillantibus Chriſtianis coactos fuiſſe, conligere eſt ex *Euſebio Lib. II. Praeparat. Evangel. cap.* x. quod notabat etiam *Clericus in Notis ad Philoſophiam Orientalem Stanleii* in Voce *Sol*. Et neſcio quid coniicere ſit circa iſthuc ipſum ex *Eunapio in Porphyrio*.

Noſtrae ſubſpicioni neſcio quid ponderis addere poteſt illud, quod plerique Platonicorum, aut Chriſtiani fuerint, aut Chriſtianorum conſuetudine uſi. *Valentinus* Aegyptius, qui novam haereſim in Eccleſiam invexit, Platonicus erat, teſte *Tertulliano De Praeſcriptionibus*, & anno Aere vulgaris CXLI. vivebat. Non multo poſt *Epiphanes* Carpocratis F. & paternam ſuperſtitionem dilatabat, & Platonicis ſtudiis reperitur addictus. *Ammonius Saccas* Platonicus Alexandrinus, qui anno CCXX. floruit, Chriſtianis ſacris initiatus erat, & tandem ad Ethnicos defeciſſe mendacium eſt *Porphyrii* apud *Euſebium Lib VI. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XIV. Eius itidem auditor *Origenes Adamantius* Chriſtianus fuit, & doctrina quidem celebratiſſimus, quemadmodum eius conterraneus *Heraclas*, & alius eiuſdem praeceptor eruditiſſimus *Clemens*, ut *Du-Pino* quidem, & *Tillemontio* videtur. Ad *Origenem* autem audiendum clariſſimos illius aetatis Philoſophos confluere ſolitos fuiſſe conſtat ex eodem *Euſebio* Libri laudati *cap.* XVIII. *&* XIX. Sed & *Iuſtinum* Martyrem, hiſce omnibus vetuſtiorem, nam anno CXL. claruit, Platonicis adcenſere eſt, e quorum catalogo cur *Tatianum* Aſsyrium, qui *Iuſtini* diſcipulus fuit, excluſerim nullus video. *Tryphonem* quoque, Origenis auditorem, Platonicum exiſtimaverim, non tamen
ſta-

ſtatim cum alio *Tryphone*, qui Stoicus fuerat, Platonicuſque, confuderim; Ethnicus enim fuiſſe videatur, quamquam ratio temporum congruit. *Gregorius* item Neocaeſarienſis Epiſcopus, & eius frater *Athenodorus* Platonici fuerant, Origeniſque diſcipuli, & Chriſti Sapientiam ſectati ſunt. *Dionyſius Longinus*, qui ſub Aureliano Principe floruit, Chriſtianus fuiſse eſt cui videatur, ſed probabiliter fallitur. *Macrobium* etiam, qui anno CCCLXXXIV. claruiſse fertur, noſtris forte adnumerandum eſſe ſubſpicentur nonnulli. *Iulianus* autem Auguſtus ὁ παραβάτης, niſi Chriſtianam religionem eiuraſset, noſter Platonicus fuiſset. Paſſim vero Platonici Chriſtianam Religionem, eius placitis mirabiliter delectati, facillime amplectebantur, uti teſtatur *Auguſtinus Libro De vera Religione cap.* II.. *&* *Epiſt. LVI.* Nolo ad Platonicos poſterioris aevi deſcendere, quorum agmen ducere poſset Cyrenaeus *Syneſius*, qui deinde Ptolemaidis Epiſcopus ceratus eſt, anno CCCCX. iam nobilis. Sed ſi minus alii Chriſtiani fuere, inter Chriſtianos paſſim verſabantur, aut eorum conſuetudine & familiaritate utebantur. *Plotinus*, *Eremnius*, & *Origenes* ab *Adamantio* diverſus, & *Olympus* Alexandrinus Ammonium Saccam audiverunt, *Heraclae*, atque *Adamantii* condiſcipuli. *Eunapius* Plutarchum quoque Ammonii Aegyptii diſcipulum fuiſſe dicit, ſed alius hic a Sacca eſt, ut aetas etiam oſtendit. *M. Aurelius Antoninus Lib. XI.* τῶν εἰς ἑαυτὸν Chriſtianos ſe probe noviſse manifeſte indicat, quos iam miraculorum effectores in Marcomannica expeditione ſubſpexerat, & pro quibus reſcriptum ad Aſianos favorabile miſerat, quae quidem apud *Tertullianum*, & *Euſebium*, & *Xiphilinum* videre eſt. *Hierocles* adverſus eoſdem ſcripſit, quemadmodum & *Porphyrius*, quamquam *M. Aurelius*, *&* *Hierocles* Stoicis potius adcenſendi. Quid autem de *Plotino* & *Amelio* dicam, qui adverſus Gnoſticos Eccleſiae hoſtes doctiſſima volumina elucubrarunt? *Sopater* Apamienſis Conſtantino Magno percarus fuit, & in eiuſdem Imperatoris aula verſatus eſt, quemadmodum & Cappadox *Euſtathius*. *Maximus* Byzantinus vel Epirota Iulianum Auguſtum erudivit. *Iamblichus* fuit eiuſdem Auguſti familiaris: *Aedeſius* pariter, *Chryſanthius* Sardianus, *Priſcus* Theſprotius, & *Euſebius* Myndius, ut tradidit *Eunapius*: *Longinia-*

ginianus tandem cum *Aurel. Auguſtino* Hipponenſi Antiſtite literarum invicem miſsarum commercium habuit, *Epiſt. X. XXI. XXII.*

Sed & coeleſtes Chriſtianorum literas lectitare conſueverunt. Nihil de Caeſare *Iuliano* dicam, qui in eo, quod apud Cyrillum Alexandrinum partim exſtat, adverſus nos ſcripto volumine, quantam noſtrarum ſcripturarum notitiam habuerit, oſtendit, utpote qui Chriſtianus, & in Eccleſia fuerat ἀναγνώςης. *Porphyrius* Plotini auditor nonniſi poſt ſedulam divinorum eloquiorum lectionem Chriſtianam Sapientiam impugnare adgreſsus eſt. Sed, ut ad antiquiores adſcendam, *Numenius* Apamienſis ſeu Platonicus, ſeu Pythagoreus dicendus eſt, ſe ſacros libros legiſse apud *Porphyrium De Nympharum Antro* evidenter oſtendit, quemadmodum *Lib. III.* περὶ τἀγαθȢ. Imo de eo haec habet *Origenes I. contra Celſum*: *Is*, inquit, *in Libro I.* περὶ τἀγαθȢ, *ubi enumerat gentes exiſtimantes Deum incorporeum, inter eas & Iudaeos recenſet, nec piguit eum ſuis commentariis verba Prophetarum inſerere, eorumque interpretari figuras.* Heinc potuit, ut *Heſychius Illuſtrius* ſcribit, Platonis ingenium nota perſtringere ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν βιβλίων τὰ περὶ ΘεȢ καὶ κόσμου ἀποσυλήσαντος. *Quod veluti plagio ſubripuerit e Moſaicis libris, quae de Deo, & Mundo prodidit.* *Plutarchus* in Libro *De Induſtria Animalium* hiſtoriam columbae a Noacho ex arca emiſsae, & olivae ramum referentis; & *IV. Simpoſiacon cap.* v. Iudaeorum ritus & ſacra ſibi nota fuiſse demonſtrat, ut non ſine cauſsa *Theodoretus Serm. II.* Θεραπευτ. eum vel legiſse, vel aliquo ſaltem pacto intellexiſse coeleſtes literas adſeveret; in eademque ſententia de *Plotino* eſt. *Dionyſ.* autem *Longinus* ſe divina eloquia evolviſse manifeſte prodit in Libro, quem *De Sublimitate orationis* inſcripſit. Plotini item auditor *Amelius Tuſcus*, alio nomine *Gentilianus*, Iohannis Evangelium perlegerat, ut conſtat ex eius verbis apud *Euſebium Lib. XI. Praepar. Evang. cap.* x. *Chalcidius* autem [huius heic memini, nam mihi eius in Timaeum commentarium legenti Ethnicus potius viſus eſt] in Ebraicarum ſcripturarum lectione ſe exercitatiſſimum prodit, quod & generaliter notatum *Baſilio Magno Homil. XVI. Tom. I.*

Id

Id autem paſſim feciſse Platonicos liquet ex iis, quae habet *Auguſtinus Lib. X. De Civit. Dei cap.* xxix. *& Lib. VII. Confeſſionum cap.* ix. Facit quod ait *Chryſoſtomus Homil. III. in I. ad Corinthios*, apud Ethnicos ſcilicet diſceptatum fuiſse an Paulus eſſet Platoni praeferendus: ut nihil dicam de aliis Philoſophis, & Sophiſtis, quibus coeleſtes noſtras literas lectitari ſolitas temporibus Chriſtianis fuiſſe vetuſtiſſimus Dialogi, qui inſcribitur *Philopatris*, Auctor argumento eſſe poteſt, & *Celſus* Epicureus, & Gentiles, qui ex lectione ſanctarum ſcripturarum ad fidem converſi ſunt, ut *Iuſtinus* Martyr, *Tatianus* Aſſyrius, *Theophilus* Antiochenus, *Victorinus* Rhetor, aliique.

Non ſacras autem tantum ſcripturas Platonici legebant, verum etiam Eccleſiaſticorum Scriptorum evolvebant commentarios. Chriſtianorum in ſacras literas explanationes, & *Origenis* praeſertim, a Porphyrio lectas fuiſse teſtatur *Euſebius Lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap.* xiv. & ipſe ſuis verbis apud eumdem Hiſtoricum ſatis indicat. Ille pariter *Ioſephi* Iudaei hiſtorias percurrerat, ut ex *IV. Libro* περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς §. xi. perſpicue intelligitur. Pluria quoque citat ex Babylonio *Bardeſane*, qui idem eſſe cum Syrio cognoſcitur. Iam non mirum ſi non ſententiae quaedam tantum, ſed & Chriſtianorum Scriptorum loquutiones, & dicendi formulae in Platonicorum commentarios transfuſae ſunt, ut eos legentibus ſtatim, & primore adſpectu innoteſcit. Quare & Angelorum, & Archangelorum, aliaque id genus nomina apud eos, ut *Iamblichum*, *Porphyrium*, *Chalcidium*, *Proclum* paſſim obcurrunt, quae curioſe colligere non omitterem, ſi per otium liceret. Ex quibus omnibus liquet, arbitror, non temere & inconſulte phraſes quaſdam a noſtris mutuas accipere potuiſſe Platonicos, a me adfirmatum fuiſſe in ea Diſſertatione, cui *De Recta Patrum Nicaenorum fide* titulum fecimus. In ea, inquam, Diſſertatione, quae ſi minus aliud, illud certe, de quo perpetuum & magnifice glorietur, habet, quod Principis maximae & munificentiſſimae, cuius numini, veluti anathema quoddam, conſecrata fuit, auguſtum nomen, & immortale praeſeferat.

Ex his omnibus igitur, quae memoria ſubgerente bre-

Digitized by Google

viter & compendiaria oratione perſtrinximus, perſpicue & evidenter elucet multum Chriſtianae Sapientiae conſultis Platonicae doctrinae inſtaurationem progreſſumque debuiſſe. Quod quidem omne confirmare iterum videtur magnus *Auguſtinus Epiſt. LVI.* his verbis uſus: *Platonici vero, qui falſorum Philoſophorum erroribus illo tempore circumlatrantibus, non habentes divinam perſonam, qua imperarent fidem, ſententiam ſuam tegere quaerendam* [novae ſcilicet Academiae, quam inſtituerant, ritu] *quam polluendam proferre maluerunt, quum iam Chriſti nomen terrenis regnis admirantibus perturbatiſque crebreſceret, emergere coeperant ad proferendum atque aperiendum quid Plato ſenſiſſet. Tunc Plotini ſchola Romae floruit, habuitque condiſcipulos multos acutiſſimos, & ſolertiſſimos viros.* Quae quidem *Auguſtini* verba eodem ſenſu, ac nos fecimus, accipiuntur a *Tillemontio* in *Ammonio Sacca*, & ſunt quidem luculentiſſima. Et Platonicos tandem Chriſtianae Sapientiae rationem habuiſse conligitur etiam ex eodem *Auguſtino Lib. VIII. De Civitate Dei cap.* XIV. & *Lib. XII. cap.* XX. Quare non ſine cauſa Ethnicos Philoſophos ex Chriſtiana Sapientia profeciſſe notabat etiam *Georg. Hornius Lib. V. Hiſtor. Philoſoph. cap.* VIII.

C A P V T XVI.

De voce λόγος ab Apoſtolis uſurpata.

CVr autem *Philo* divinam illam ſaepe memoratam Hypoſtaſin λόγον adpellaverit, ex iis, quae ſuperius diſputavimus, intelligere eſt, & noſtram opinionem paulo inferius enucleatius aperiemus. At num ita Chriſtum adpellatum fuiſſe ab Apoſtolis, etiam antequam Iohannes Evangelium ſcriberet, dicendum eſt? Dicendum profecto. Secus enim ex nominis novitate & inſolentia, ne doctrinae quoque novitas argueretur, timuiſſet *Iohannes*. Silentio tranſeunda non ſunt verba viri adprime docti *Bern. Lamii*, quae *Libro II. Adparat. Biblici cap.* IV. ita ſe habent. *Indubitatum eſt Iohannem non ſcripſiſſe Evangelium ſuum multo tempore ante finem Sae-*

culi

culi I. Vſque autem ad aetatem illam caruit Eccleſia Evangelio eius. In quo ergo ſcripto exaratum erat: In principio erat Verbum, alibi quam in cordibus Chriſtianorum, qui ideo adſenſere Iohanni haec ſcribenti, quia ipſe conſentiret doctrinae, quam illi, vel patres eorum a Chriſto acceperant?

Iſthuc ipſum aliis etiam argumentis confirmari poteſt. Et primum obſervandum eſt, non eſſe mirandum ſi Chriſtus λόγος ab Apoſtolis adpellatus eſt, quum non minus ſplendidis & magnificis nominibus ab iiſdem indigitatus fuerit. Nam & σοφία, & Θεȣ̃ σοφία, & Θεȣ̃ δύναμις, & ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Dei, & Θεὸς, & εἰκὼν τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτου, *Sapientia, & Dei ſapientia, & Dei virtus, & ſplendor gloriae, & character ſubſtantiae Dei, & Deus, & imago Dei inviſibilis* dictus eſt ab Apoſtolo ad Corinthios, ad Coloſſenſes, ad Romanos, & ad Ebraeos ſcribente. Deinde animadvertendum eſt Iohannem non in Evangelio tantum vocem λόγος uſurpare, ubi aeternam Chriſti generationem explicare inſtituerat, & Platonicos, ſi Deo placet, refutare, ut *Clericus* argumentis omnibus deſtitutus adfirmat; ſed in Apocalypſi quoque, & in Epiſtola I. quae forte ante Evangelium ſcripta fuit, ut indicat *Calmetius* in *Praefatione*. In his autem nulla Platonicorum, aut Philonis confutatio componitur. Sed Apocalypſeos, quae proculdubio ante Evangelium ſcripta videtur, ut ex *Euſebio Lib. III. Hiſtor. Eccleſ cap.* XVIII. *& Hieronymo in Catalogo, & Epiphanio Haereſ. LI.* conligere eſt, locum primum proferamus, & penſiculatius examinemus. Ille *cap.* XIX. ita ſe habet: καὶ εἶδον τὸν ȣ̓ρανὸν ἀνεῳγμένον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκὸς, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν καλούμενος πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει καὶ πολεμεῖ. οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτȣ̃ ὡς φλὸξ πυρὸς, καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃ διαδήματα πολλά· ἔχων ὄνομα γεγραμμένον, ὃ ȣ̓δεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτὸς· καὶ περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι· καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτȣ̃ Ο ΛΟΓΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ. *Et vidi coelum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte adſperſa ſanguine: & vocatur nomen eius* VER-

Digitized by Google

VERBVM DEI. Heic agi de Filio Dei non eſt dubium. Nam & in veſtimento, & in femore ſuo nomen ſcriptum habuiſſe dicitur βασιλεὺς βασιλέων καὶ κύριος κυρίων. *Rex Regum & Dominus Dominorum*. Dicitur etiam nomen eius vocari ὁ λόγος τῦ Θεῦ. Heic inquirendum a quibus, & ubi ita vocetur? Num ab Angelis? Num in coelo? Sed tum quid Platonis, aut Philonis λόγῳ fiet? Quid Angelis, & Platoni? Quid coelo, & Academiae? Num ita vocatur in terra ab hominibus? Sed quos indicet heic *Iohannes*? Num Ethnicos, & profanos? Num Iudaeos incredulos? Sed id vel cogitare nefas eſt. Ergo divinae Sapientiae myſteriis initiatos: ergo Apoſtolos, viroſque Apoſtolicos.

Duo alii loci ſunt in eiuſdem *Iohan. Epiſt. I.* Vnus eſt a Criticis controverſus, & ex eo quod in aliquibus exemplaribus MSS. & typis excuſis non reperiatur, vel ſecus aliterque legatur, ὑποβολιμαῖος creditur, ſed fruſtra, ut patet conſulenti *Calmetium* in Diſſertatione περὶ γνησιότητος eiuſdem loci. Hic autem eſt, qui ſequitur: τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυρῦντες ἐν τῷ ἐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Alter autem exſtat ipſo eiuſdem Epiſtolae initio. Ὃ ἦν, inquit, ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τῦ λόγου τῆς ζωῆς, καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrae contrectaverunt de Verbo vitae, & vita manifeſtata eſt*. Haec *Iohannis* verba verum intellectum nobis ſubgerere videntur eorum, quae a *Luca* Evangeliſta in ſui Evangelii prooemio adhibentur. Ibi enim ait literis mandare ſe ea, quae tradiderunt, qui a principio oculati teſtes, & miniſtri fuere ipſius Sermonis, τῦ λόγου. Καθὼς, inquit, παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τῦ λόγου. *Sicut tradiderunt nobis, qui a principio oculati teſtes, & miniſtri fuere ipſius Sermonis*. Vbi quidem vox λόγος ad Chriſtum ſignificandum adpoſita eſt, ut viris doctiſſimis videtur *Budaeo*, *Hammondo*, *Capello*, *Vallae*, *Vatablo*, aliiſque recentioribus: & ex antiquis *Origeni Homil. I. in Lucam*, *Ambroſio & Euthymio* ad hunc locum, & *Hieronymo*

mo Praefat. in Matthaeum, ubi ita vertit hunc locum: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt Sermonem, & miniſtraverunt ei*. Sed in eadem ſententia videtur fuiſſe etiam *Ioh. Chryſoſtomus*, ut ex eius verbis, quae in Catena Graeca Toloſae edita habentur, coniicere eſt: ad primum enim *Matthaei* caput ſcribit: τὸ εὐαγγέλιον ὔτε δι' ἐνυπνίων γέγονε τοῖς θείοις ἀποςόλοις καταληπτὸν, ὔτε δι' ἐκςάσεως, ἀλλ' ὡς μαθηταῖς τῦ λόγου, καὶ τῶν θαυμάτων αὐτόπταις. *Evangelium neque per inſomnia a divinis Apoſtolis perceptum fuit, neque per exſtaſin, ſed ut ab ipſius Sermonis diſcipulis, & teſtibus miraculorum oculatis*. Et quidem *Petrus Epiſtola II.* non multo aliter de ſe ſociiſque ait: ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. *Speculatores facti maieſtatis illius*. Quae quidem ſi vera ſunt atque ſubſiſtunt, animadvertendum eſt *Lucam* ſuum Evangelium in Achaia probabiliter ſcripſiſſe anno Chriſti circiter LIII. multo ante ſcilicet quam *Iohannes* ad ſuum ſcribundum adgrederetur. Sunt etiam qui τὸν λόγον ad Chriſtum ſignificandum adhibitum fuiſſe a Petro credant quum Centurioni concionaretur *Actor. cap.* x. 36. quem λόγον etiam *omnium Dominum* adpellat. Quod ſi aliquid ex apocryphis libris, ſaltem antiquiſſimis, deducere eſſet, certe in *Praedicatione Petri* apud *Clementem* Alexandrinum *I.* Στρωματ. Dominus vocatur lex, & ratio λόγος.

Sed ſi contrariae ſententiae, ut aliquibus videtur, inhaerendum eſt, cur ſolus *Iohannes*, quis dicat, voce λόγος ad Chriſtum ſignificandum uſus eſt? An quia haec vox λόγος altiorem quamdam, & reconditiorem doctrinam continebat, parum adcommoda viſa eſt ſcribentibus ea, quae Chriſtus uti homo fecerat, & docuerat? Quare *Iohannes* ipſe, quum initio Evangelii de Chriſti divinitate ſcribere adgreſſus, quater illa uſus eſſet, vix ad Chriſti humana deſcendit, ita eius obliviſcitur, ut nuſquam amplius in toto eiuſdem Evangelii decurſu illam reperire ſit.

Iam vero, ut ad *Philonem* revertamur, eum ab Apoſtolis τὸν λόγον accepiſſe haud quidem dixerim, ſed ex Platone illum deduxiſſe magis autumaverim ad id excitatum praeſertim, quod ab Apoſtolis, Iudaeis quidem hominibus, Apoſtoliciſque viris, ſimilem doctrinam inferri videret. Et eum quidem

Digitized by Google

dem ex Apoſtolica praedicatione aliquatenus profeciſſe etiam perſuadere poſſit, quod multa περὶ τȣ̃ λόγου habet, quae fruſtra in Platone quaeras, in Apoſtolorum autem commentariis reperire eſt. Nam ut unum, aut alterum exemplum proferam, in Vita Moſis τὸν λόγον noſtrum apud Deum *patronum & advocatum* adpellat; *Iohannes* autem *Epiſtola I.* ſcribit: καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ιησȣ̃ν Χριστὸν δίκαιον. *Et ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum*. In Libro *De ſomniis* τὸν λόγον dicit mediatorem, quo Deus hominibus ſubcurrerit; & *Paulus I. ad Timotheum* ſcribit: εἷς γὰρ Θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης Θεȣ̃ καὶ ἀνθρώπων ἄνθρωπος, Χριστὸς Ιησȣ̃ς. *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo, Chriſtus Ieſus*. In Libro *De Confuſione linguarum* nominat τὸν πρωτόγονον Θεȣ̃ λόγον, *primogenitum Dei Sermonem, ſeu Rationem*: & Apoſtolus Epiſtola ad Coloſſenſes, πρωτότοκον πάσης κτίσεως *primogenitum omnis creaturae* Chriſtum adpellat. *Philo* τὸν λόγον pluries *ſummum Sacerdotem*, ſeu *Pontificem* nuncupavit: & *Paulus* ad Ebraeos ſcribens Ἀρχιερέα μέγαν quoque dixerat. Quod ſi Apoſtolus laudatae Epiſtolae *cap.* VII. de Chriſto loquens, & eum Pontificem dicens ſcribit: τοιȣ̃τος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν ȣ̓ρανῶν γενόμενος, ὃς ȣ̓κ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τȣ̃ λαȣ̃. *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior coelis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Pontifices, prius pro ſuis delictis hoſtias obferre, deinde pro populi. Philo* quoque eo volumine, quod *De Profugis* inſcripſit, περὶ τȣ̃ λόγου ita verba facit: λέγομεν γὰρ τὸν ἀρχιερέα ȣ̓κ ἄνθρωπον, ἀλλὰ λόγον θεῖον εἶναι, πάντων ȣ̓κ ἑκουσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον. *Dicimus enim Pontificem hunc non hominem, ſed Dei Verbum eſſe, quod expers eſt peccatorum omnium non ſolum ſpontaneorum, verum etiam involuntariorum*. Hic etiam in *Libris De Cherubim, & Confuſione Linguarum* τὸν λόγον vocat *Angelum & Archangelum*: *Paulus* autem Epiſtola ſepius laudata *cap.* III. non multum diverſum Chriſto nomen adtribuit, *Apoſtolum* nominans

nans

nans. *Philo* eum dicit Divinae naturae ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα: *Paulus* pariter ad *Ebraeos* ἀπαύγασμα τῆς δόξης, κὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ illum nuncupat. Nihil dixerim de eo, quod *Philoni* ὁ λόγος, Θεοῦ σοφία *Lib. I. Allegoriarum*, & Θεοῦ εἰκὼν Libro *De Opificio Mundi*, & ἀΐδιος Θεοῦ εἰκὼν Libro *De confuſione linguarum* dictus eſt: & iiſdem nominibus *Chriſtus* a *Paulo*, ut alias obſervavimus, ad Corinthios primum, & ad Coloſſenſes ſcribente praedicatur. Non praetermittam paſſim a *Philone* divinum Verbum vocatum *Manna*, *&* *Panem*, ut *Lib. II. Allegor. & Lib. De Profugis*; *Panem* autem *vitae*, & *Panem vivum* ſe dicit *Ieſus* apud *Iohannem cap.* VI. *Oriens* item a *Philone* adpellatur, ſaepius laudato Libro *De confuſione linguarum*, ſicut etiam nominatur a *Zacharia* Sacerdote apud *Lucam cap.* I. *verſ.* 78. Sed ab alio quoque *Zacharia* Propheta *cap.* III. ſcriptum fuerat: *Adducam ſervum meum Orientem.* Minus etiam *Plato* huc ſe intrudet, ſi memoria recolamus, quae ex Philone de Verbo Divino *cap.* VIII. *Lib. III.* huius retractatus adtulimus. Alia id genus quamplurima, quae ſuadere poſſint *Philonem* multa ex Apoſtolicis documentis in ſuum uſum tranſtuliſſe, brevitati conſulentes omittimus.

Nec quis dixerit Apoſtolos a *Philone* ea accepiſſe: nam quae ſuperius opportune praeſtruximus, ut id ſubſpicemur, haudquaquam patiuntur. Evangelicam praedicationem per omnes Terrae tractus divulgatam fuiſſe certiſſima hiſtoriae fide cognoſcimus; an *Philonis* opera unquam in Apoſtolorum venerint manus & incertum, & dubium, & vero etiam abſimile. Ad rem contra Celſum ſcribens *Origenes Lib. I. Per totum orbem*, inquit, *notior eſt Chriſtianorum praedicatio*, *quam Philoſophorum placita*. Quare iure optimo *Iohanni* diſcipulo quoad Philonem adplicari poſſunt, quae de Chriſto praeceptore quoad Platonem habet *Auguſtinus Lib. II. De doctr. Chriſtiana, cap.* XXVIII. *Ita*, inquit, *conſideratis temporibus ſit multo credibilius iſtos potius* [Platonem ſcilicet & Pythagoram] *de literis noſtris habuiſſe quaecumque bona & vera dixerunt: quam de Platonis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quod dementiſſimum eſt credere.*

CA-

C A P V T XVII.

Iohannes *Evangelium ſcripſit ut quaedam ſuppleret, quae alii Evangeliſtae praeterierant.*

QVod ſi ad cauſſas, quae *Iohannem* ad Evangelium ſcribendum impulere, mentem intendimus, & heinc probabile argumentum exſiſtet, quo illum nullam *Philonis* rationem habuiſſe facile evincamus. Primum enim ex Veterum adteſtatione conſtat, quum *Iohannes* vidiſſet multa ab aliis Evangeliſtis, quae Chriſtus fecerat & docuerat, omiſſa fuiſſe, & ea praeſertim, quae illius Divinitatem adtinent; ſuorum familiarium rogatu animum ſcriptioni adplicuiſſe, ab aliis praetermiſſa, quatenus ſatis eſſe videretur, ſuppleturum. Audiatur *Clemens* in Libris ὑποτυπώσεων apud *Euſebium Lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* XIV. ſcribens, τὸν μέντοι Ἰωάννην ἔσχατον συνιδόντα ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδήλωται· προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων πνεύματι θεοφορηθέντα, πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον. Quae ſic interpretatur erudititiſſimus *Henr. Valeſius*. *At Iohannes omnium poſtremus, quum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad corpus Chriſti pertinent, tradita eſſe, ipſe divino ſpiritu adflatus, ſpiritale Evangelium familiarium ſuorum rogatu conſcripſit*. Non omittenda item *Hieronymi* verba in *Catalogo*, quae ita habent: *Noviſſimum omnium ſcripſit Evangelium* [Iohannes] *rogatus ab Aſiae Epiſcopis adverſus Cerinthum alioſque Haereticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui adſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Vnde & compulſus eſt divinam eius nativitatem edicere. Sed & aliam cauſſam huius ſcripturae ferunt: quod quum legiſſet Matthaei, Marci, & Lucae volumina, probaverit quidem textum hiſtoriae, & vera eos dixiſſe firmaverit; ſed unius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Iohannis hiſtoriam texuiſſe. Praetermiſſo itaque anno, cuius acta a tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis antequam Iohannes clauderetur in carcerem, geſta narravit, ſicut manifeſtum eſſe poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint*. Eadem habet *Euſebius L. III. Hi-*

Digitized by Google

Hiſtor. Eccleſ. cap. XVIII. His adnectere lubet, quae ſimilia admodum *Theodorus* Mopſueſtenus apud Auctorem Catenae tradit, Iohannem ſcilicet Evangeliſtam, quum trium, qui ante ſc Evangelium ſcripſerant, fidem laudaſſet, confirmaſſetque, ea, quae illi omiſiſſent, pauca adiuncturum ſe ſpopondiſſe. *ὁ δὲ ἐπῄνεσε μὲν τῆς ἀληθείας τοὺς γεγραφότας, ἔφησε δὲ βραχέα μὲν αὐτοῖς παραλελεῖφθαι καὶ τῶν μάλιςα ἀναγκαίων λεχθῆναι θαυμάτων τὰ διδασκαλικὰ ἅπαντα μικροῦ Εἶτα καὶ δεῖν ἔφασκε τοὺς περὶ τῆς ἐν σαρκὶ παρουσίας τοῦ Χριςοῦ διαλεγομένους, μηδὲ τοὺς περὶ τῆς θεότητος λόγους παραλιπεῖν, ὥςε μὴ τοῦ χρόνου προβαίνοντος τούτοις ἐνεθισθέντας τοῖς λόγοις τοὺς ἀνθρώπους τοῦτο μόνον αὐτὸν νομίζειν ὅπερ ἐφαίνετο Επὶ τούτοις παράκλησις τῶν ἀδελφῶν ἐγένετο, ταῦτα ἃ μάλιςα ἀναγκαῖα μὲν κρίνει πρὸς διδασκαλίαν, παραλελειμμένα δὲ ὁρᾷ τοῖς λοιποῖς, γράψαι μετὰ σπουδῆς. ἃ δὲ καὶ πεποίηκε. Quum autem extantem in iis, qui iam ſcripſerant, veritatem laudaſſet, pauca quaedam ab ipſis praetermiſſa fuiſſe dixit, & miraculorum quidem, quae narrari maxime opus eſſet, non minus quam alia omnia, quae ad doctrinam pertinerent. Deinde adſirmavit non oportere eos, qui de Chriſti in carne adventu diſſeruiſſent, de Divinitate narrationem omittere, ne temporis progreſſu homines his ſermonibus adſueti id tantum eum eſſe arbitrarentur, quod ab illis deſcriptus fuiſſet. His acceſſit fratrum exhortatio, ut ea quae maxime neceſſaria ad doctrinam iudicaret, praeterita vero ab reliquis cerneret, quam primum & diligenter ſcriberet, quod etiam fecit.* Iam ex hac cauſa nihil *Iohanni* cum *Philone*.

Heic obiter notandum & *Marco* curae fuiſſe quaedam ſuo Evangelio inſerere, quae a *Matthaeo* praetermiſſa fuerant, quamquam huius Evangelium, tamquam exemplar quoddam, ſibi imitandum propoſuiſſet. Subficit, ut de hoc liqueat, conſulere eius capita I. II. V. IX. XVI. Idem & quoad *Lucam* dicendum eſſet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Iohannes *Evangelium ſcripſit ut ſui temporis Haereticos confutaret.*

ALia autem cauſſa, qua *Iohannes* excitatus eſt ad Evangelium conſcribendum, fuit, ut iam ex *Hieronymo* intelleximus, errorum, quos *Cerinthus*, & *Ebion*, & *Gnoſtici* diſſeminabant, confutatio. Et quidem *Irenaeus*, Scriptor vetuſtiſſimus, & *Polycarpi* Smyrnaei, qui ipſum *Iohannem* Theologum audiverat, diſcipulus & familiaris *Lib. III. Adverſ. Haereſ. cap.* IX. X. XI. quum luculenter oſtendiſſet Evangeliſtas nihil aliud in animo habuiſſe, quam eam veritatem tradere, quam olim Prophetae praedixerant, atque id ſingillatim ac diligenter de *Matthaeo*, *Marco*, *&* *Luca* demonſtraſſet, tandem ad omnium poſtremum *Iohannem* deveniens, ita ſcribit: *Hanc fidem adnuncians Iohannes Domini diſcipulus, volens per Evangelii adnunciationem auferre eum, qui a Cerintho inſeminatus erat, hominibus errorem, & multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae, qui ſunt vulſio eius, qui falſo cognominatur ſcientia, ut confunderet eos, & ſuaderet eos, quoniam unus Deus, qui omnia fecit per verbum ſuum, & non quemadmodum illi dicunt, alterum quidem Fabricatorem, alterum autem patrem Domini; & alium quidem Fabricatoris filium, alterum vero de ſuperioribus Chriſtum, quem & impaſſibilem perſeveraſſe, deſcendentem in Ieſum filium Fabricatoris, & iterum revolaſſe in ſuum Pleroma: & initium quidem eſſe Monogeni: Logon autem verum filium Vnigeniti.* Ex quibus Irenaei verbis liquido conſtat *Cerinthi*, & *Gnoſticorum* haereſes confutandas ſuſcepiſſe *Iohannem*.

Indicat item *Irenaeus* Nicolaitas haereticos *Cerintho* vetuſtiores fuiſſe: *Cerinthus* autem anno Aerae vulgaris LXXX. florebat. Haec non animadverto, quaſi ignoraverim *Nicolaitarum* haereſin Apoſtolorum temporibus fuiſſe coaevam, quum *Iohannes* ipſe *cap.* II. *Apocalypſeos* eorum meminerit, ſed quia, quum *Gnoſticorum* errores quoſdam illis tribuat *Irenaeus*, & illis

illis quidem qui multo ante *Cerinthum* fuere, minus ſubſiſtere forte videatur, quod ſcribit *Graveſonius Tom. I. Hiſtor. Eccleſiaſt. Colloq.* IV. Nicolaitas ſcilicet, qui Gnoſticorum deliramentis inhaeſerant, poſt Haereſiarchas *Saturninum* & *Carpocratem* ſecundo ſaeculo prodiiſſe. Quum igitur hi *Nicolaitae* a *Nicolao*, qui Diaconus ab Apoſtolis anno Chriſti XXXIII. electus fuerat, ſuum, iure an iniuria modo non quaerimus, nomen traxerint, & *Cerintho* antiquiores ſint, forte circa dimidium primi ſaeculi emergere coeperunt. Quum autem indicet *Irenaeus* Gnoſticos aetate praeſtitiſſe Nicolaitis, qui illorum erant veluti portio, & avulſio; eos omnium haereticorum antiquiſſimos arbitrari oportet, qui cum naſcente Eccleſia noxiae & infelices herbae creverint, & cum *Simonianis* etiam confundere. Sed non ex hoc tantum Gnoſticorum (Gnoſticorum nomine modo non veniunt, qui *κυρίως* Gnoſtici dicti ſunt, & qui ſub Hadriano principe ſuae ſectae initia iecere: ſed ita adpellantur etiam lato modo diverſae haereticorum ſectae, quae ante illos exſtitere, ut ſuperius quoque opportune monuimus *Epiphanio* Salaminio laudato) antiquitatem arguere eſt. Nam & ad eos, eorumque genealogias reſpexiſſe Apoſtolum *Paulum* cum ad Timotheum & Titum, tum ad Coloſſenſes ſcribentem ex eius verbis ſuperius Capite huius voluminis XI. tempeſtive in medium prolatis opinari eſſet. Et Epiſtola quidem ad Coloſſenſes anno LXII. prima vero ad Timotheum LXIV. vel LXV. ſcripta fuiſſe videtur. In hac autem alio etiam loco haereticos illos forte deſignat, Capite enim VI. *verſ.* 20. haec habet: *ὦ Τιμόθεε, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους καινοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως· ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν.* *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates & obpoſitiones falſi nominis ſcientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* In Epiſtola autem ad Coloſſenſes, de iiſdem loquens, eorumque adrogantiam in nomen ſibi a ſcientia vindicando latenter perſtringens, ita, ut vidimus, ſcripſerat: *μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ, καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.* *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, &*

religione Angelorum, quae non vidit, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuae. Heic eodem tempore, & eorum ſomnia & deliramenta coarguit, & ſacrilegum, quem Angelis praeſtabant, cultum improbat prohibetque. Nam *Simon* Magus Gnoſticis praeluſerat, & coeli mundique fabricatores Angelos adſeruerat, ſacrificiiſque placandos edixerat. Immo octo Aeones iam excogitaſſe dicitur a *Gregorio Nazianzeno Oratione XLIV.*

Clericus tamen vult heic ab Apoſtolo ſpectari Iudaeos Philoſophia Platonica imbutos. Sed oportebat ut prius certis documentis eviciſſet, *Pauli* aetate Iudaeos fuiſſe Platonis ſtudiis addictos, & ea propter Angelorum cultum, & religionem induxiſſe. Ex iis profecto, quae mature ſuperius diſſeruimus, eiuſmodi ſtudia inter Iudaeos viguiſſe fruſtra contendi patuit: immo e regione Platonis ſtudia per ea tempora admodum fuiſſe neglecta, ſatis veriſimile oſtendimus.

Et heic quam languide & frigidiuſcule adfirmetur *Iohannem* Platonicos etiam ac Stoicos ſibi confutandos propoſuiſſe, animadvertendum eſt. Nulla enim habemus Veterum teſtimonia, quibus innixi id perſuaſum habeamus. At de Stoicis quidem vel ridiculum eſt id adſerere, ſi ea de cauſſa adfirmetur, quaſi illi plures divinas naturas conſtituerent; plures enim in Divinitate hypoſtaſes nunquam admiſere, ut iam a nobis alibi perſpicue demonſtratum eſt. Quid autem opus erat confutare Platonicos, qui tum temporis tales non erant niſi Academici, qui nihil certi adfirmabant; ſed ſi quid ab iis unquam proponeretur, mox contraria diſputatione deſtruebatur. Optime eorum indolem expreſſit novae Academiae *Carneades* inſtitutor (novam nunc lubet ab *Arceſilae* media diſtinguere) de quo ita *Lactantius Lib. V. Divin. Inſtitut. cap.* xv. *Carneades*, inquit. *Academicae ſectae Philoſophus, cuius in diſſerendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui neſcit, is ex praedicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilii, apud quem diſſerens Neptunus de re difficillima, oſtendit non poſſe id explicari, nec ſi Carneadem ipſum Orcus remittat. Is quum legatus ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, diſputavit de iuſtitia copioſe, audiente Galba & Catone cenſo-*

rio,

Digitized by Google

rio, maximis tunc Oratoribus. Sed idem diſputationem ſuam poſtridie contraria diſputatione ſubvertit, & iuſtitiam, quam pridie laudaverat, ſuſtulit &c. Et mox: *Carneades autem ut Ariſtotelem refelleret ac Platonem, iuſtitiae patronos, prima illa diſputatione conlegit ea omnia, quae pro iuſtitia dicebantur, ut poſſet illa, ſicut fecit, evertere*. Haec ille. Iam quales erant Platonici, qui Platonem impugnabant? Iam quales Philoſophi, qui ſe quidquam explorati aut percepti habere negabant? Quid opus habent refutatione eiuſmodi homines? Verum quidem eſt ab Antiocho iam ſene veterem Academiam inſtaurari coepiſſe, ſed non multum ille profeciſſe videtur, ut alibi iam obſervavimus. Nam fuit Alexandriae eodem tempore *Heraclitus* Tyrius, qui Clitomachum multos annos & Philonem audierat, quique Antiochi conatibus omnino adverſabatur, ut elucet ex *Cicerone* in *Lucullo*. Quare nonniſi poſt Apoſtolorum aetatem veri Platonici, & qui *δογματικῶς* ſcriberent, emergere in Graecia coeperunt, ut ſuperius adſtruximus, & certis *Auguſtini* teſtimoniis confirmavimus; aut ſaltem non eo numero ac copia fuerunt, ut *Platonis* doctrinam maxime celebrem poſſent efficere, & praeiudicium, quod ex Academicorum ratione ac methodo oriebatur, de medio tollere. Quare nullus video cur *Iohannes* eſſe debuerit ex Platonica doctrina ſolicitus, eique illam confutandi opera ſuſcipienda eſſet, quae per ea tempora aut ignorabatur, aut ſeſe ipſa deſtruebat.

Sed ut redeat, unde huc defluxit oratio, *Hug. Grotii* & *Dionyſ. Petavii* ſententiae potius adhaerendum eſſet, qui adductum *Pauli* Apoſtoli locum de Gnoſticis intelligunt: certo enim ſcimus ſaevos illos lupos per ea tempora in dominicum gregem graſſatos eſſe, & ſomniatarum *δυνάμεων* Mileſias venditaſſe: & veroſimile videtur, *Paulum* in ea Epiſtola ſimul de pluribus loqui, Philoſophis ſcilicet, Gnoſticis, & Iudaeis. Quod ſi *Pauli* locus de Iudaeis intelligendus eſſet, ut vult *Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam Q. X.* & *Theodoretus*, quod & *Tillemontius* probabilius exiſtimat; quid ſtatim Iudaeos Platonicos obgerere, de quibus nihil exploratum habemus, & quidquid dicitur, gratis adſeritur; quum e contra certum per-

ſpectumque ſit Iudaeos in Angelorum cultum vana ſuperſtitione intentos fuiſſe? *Ioſephus* enim *Lib. II. De Bello Iudaico cap.* VII. ab Eſſenis ſcribit Angelorum nomina conſervata fuiſſe diligenter. Auctor vero apocryphus *Praedicationis Sancti Petri* apud *Clementem Alexandrinum Lib.* Στρωμα7. *VI.* inducit memoratum Apoſtolum adſerentem Angelos & Archangelos a Iudaeis adorari. Heinc *Celſus* apud *Origenem Lib. V.* eos accuſat, quod Angelos, & coelum colant: & *Origenes* nonniſi coelum ab eis adorari negat, qui propterea *Commentario in Iohannem* Angelos ab iis obſervatos & cultos fuiſſe explicate adfirmat. Sed audiatur doctiſſimus *Euſeb. Hieronymus* laudata *Epiſt. ad Algaſiam Q. X.* ubi hunc *D. Pauli* locum enarrat: *Quod plenius*, inquit, *in concione Iudaica Stephanus Martyr exponens & revolvens hiſtoriam veterem, ſic loquutus eſt: Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtias Idolo, & laetabantur in operibus manuum ſuarum. Converſus autem Deus, tradidit eos ut colerent militiam coeli ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum. Militia autem coeli non tantum Sol adpellatur, & Luna, & Aſtra rutilantia, ſed & omnis Angelica multitudo, eorumque exercitus, qui Ebraice adpellantur* צבאות *ſabaoth, ideſt, virtutum, ſive exercituum. Vnde & in Evangelio iuxta Lucam legimus: Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiae coeleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo &c.*

Haec quidem Iudaeorum ſuperſtitio ex perverſa maiorum ſuorum imitatione profluxit. Multa enim in divinis ſcripturis exempla ſanctorum virorum habentur, qui Angelos magno honore proſequuti ſunt. *Moſes & Ioſue* pedes nudant, & proni coram Angelis in terram cadunt, *Exod. III. 5. Ioſue V. 15. Abrahamus* eos ad ſe venientes adoravit, quod fecit & *Lotus, Geneſ. XVIII. 2. & XIX. Daniel* humi proſternitur ante eum, qui illi ſuper Tigrim adparuit, *Daniel. X. Iacobus* ab Angelo, cum quo luctatus fuerat, benedictionem implorat, *Geneſ. XXXII. Oſee XII.*

Igitur, ut ad *Iohannem* revertamur, ſi contra Cerinthum ille, & Ebionitas ſtylum ſtrinxit, ut Ieſu divinitatem adſtrueret, ludibrium iis impendio debuiſſet, ſi pro coeleſtium literarum documentis, pro Salutificatoris Chriſti ſapientia exoticum

Digitized by Google

ticum profanumque, & a Philoſopho Philone mutuatum vocabulum λόγος inſonaſſet. Semper eadem haereticorum indoles. Quemadmodum noſtrorum temporum Ebionitae, dum λόγον Iohannis a Philone acceptum fuiſſe dictitant, Apoſtoli Evangelium elevare conantur: ita & ii, qui primis illis temporibus exſtitere, commentarios illos tamquam Philoſophia Platonica adſperſos proculdubio riſiſſent, atque exſibilaſſent. Quod quidem prudens *Iohannis* ſolertia praeſentiens, etſi Philonem legiſſet, tamen a voce illa abſtinuiſſet: niſi noviſſet iam λόγος non Philonis, Platonicorumque ſolum eſſe dictionem, ſed Apoſtolorum proprium, & ex ſacris literis deductum ad Chriſti myſteria revelanda vocabulum.

Quum autem conſtiterit Gnoſticos ipſis Eccleſiae initiis coaevos fuiſſe, & multo ante etiam quam *Iohannes* ſcriberet, ſuos errores diſſeminaſſe, ex hoc quoque intelligere eſt, τὸν λόγον & ante Iohannis Evangelium in Eccleſia celebrem fuiſſe. Gnoſtici enim τὸν λόγον paſſim praedicabant: & ex Apoſtolica certe doctrina derivaverant. De hoc etiam nos dubitare non ſinit inſana Simonis Magi doctrina, quae τὸν λόγον inter Aeones ſuos in quincto ordine conſtituebat, *Niceta* in *Gregor. Nazianzeni Orat.* XLIV. auctore. Et quidem niſi ea, quae illi τῷ λόγῳ adfingebant, minime Apoſtolico λόγῳ convenire cognoviſſet *Iohannes*, atque ita Chriſtianam ab eis ſapientiam inverti, ac deformari; nihil profecto erat in cauſſa cur contra eorum περὶ τοῦ λόγου doctrinam ſcriberet, & eorum λόγον ad Chriſtum etiam in ſacris literis ſignificandum transferret. Immo eos quod nova ignotaque nomina, & Apoſtolicis praeconibus minime uſitata inferrent, contemſiſſet, & ab iis uſurpandis prorſus abhorruiſſet. Praeclariter, & ad rem *Irenaeus Lib. III. cap.* v. *Qui ad inventionem*, inquit, *miſſi erant errantium Apoſtoli, & ad viſionem eorum, qui non videbant, & ad medicinam languentium, utique non ſecundum praeſentem opinionem conloquebantur eis, ſed ſecundum veritatis manifeſtationem.* *Iohannem* autem Theologum adverſus Gnoſticos ſcripſiſſe, praeter *Irenaei* teſtimonium, ex *Paulo* etiam coniici videtur, dum *Epiſtola I. ad Timotheum*, illum ſe Epheſi reliquiſſe ſcribit, ut ſerpenti eorum haereſis contagioni obcurreret, atque reſiſteret. καθὼς

παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς μακεδονίαν, ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις. *Sicut rogavi te, ut maneres Ephesi, quum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis.* Vnde intelligitur Gnoſticos Epheſi praeſertim ſua peſtifera dogmata diſſeminare ſtuduiſſe, quibus pro virili portione, & velis, ut aiunt, remiſque voluiſſe *Iohannem* obſiſtere non eſt dubitandum; in ea enim urbe plurimum verſatum eſſe exploratae fidei eſt. Non igitur λόγον a Philone accepit *Iohannes*: immo ne dubitemus quin una omnium Apoſtolorum fuerit doctrina, & divina myſteria tradendi ratio, & quin conſtanter eadem, quam nunc habemus de Chriſti divinitate credulitas iiſdem loquutionibus & phraſibus expreſſa a primis exordiis naſcentis Eccleſiae defluxerit, efficit etiam Ethnici Scriptoris auctoritas, qui dum veritatem inridere ſacrilego auſu non veretur, de eadem illuſtre teſtimonium perhibere deprehenditur, Auctoris videlicet Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, Auctoris certe, ut alibi diximus, perantiqui, & primi, ut videtur, ſaeculi, apud quem eadem eſt de Chriſto Deo, & Trinitate ſententia, quam nunc tenemus, modo enim ita iurat: Νὴ τὸν υἱὸν τὸν ἐκ πατρός: *Ita per Filium ex Patre*: modo Deum indicaturus ait: Ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία· ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ Θεόν. *Deum alte regnantem, magnum, aeternum, aetherium, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria, haec Iovem puta, hunc exiſtima Deum*: modo de Deo repetit: ἓν τρία, τρία ἕν. *Vnum tria, tria unum.* Verba quidem, ex quibus luculente patet, ſemper eaſdem loquutiones, quum de Chriſti divinitate actum eſt, in Eccleſia obtinuiſſe, ideoque etiam inter Apoſtolos.

CA-

CAPVT XIX.

Quomodo ad ſcribendum Evangelium ſeſe Iohannes *adcinxerit.*

SI autem quomodo ad Evangelicam ſcriptionem ſeſe *Iohannes* adcinxerit conſideramus, & heinc facile percipiemus nihil humani, profani nihil animo illum verſaſſe dum ſcriberet; ſed quae illi Dei Spiritus, quo adflatus fuerat, ſubgeſſiſſet, literis mandata memoriae noſtrae tranſmiſiſſe. Nam *Hieronymus* Praefatione *Commentariorum in Matthaeum* de Iohanne loquens ſic ait: *Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, quum a fratribus cogeretur ut ſcriberet, ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, revelatione ſaturatus, illud prooemium e coelo veniens eructavit.* Quod & *Chryſoſtomus Homil. LXVII. Tom. VI.* confirmat.

CAPVT XX.

Clericus *confutatur.*

EX hactenus proditis atque diſputatis liquet, arbitror, quam nulla veriſimilitudine innitatur illud a *Clerico* saepius repetitum, *Potuit Iohannes accipere quae eſſent dogmata Philonis: Potuit nonnulla Philonis ſibi indicata legiſſe.* Non enim omnia quae fieri potuere, facta eſſe praecipitanter adfirmandum eſt, ſed certis cauſſis tantum, probabilibuſque rationibus ſuadentibus, quod copioſe ac vehementer exaggeratur etiam a *Q. Septimio* eo, quod adverſus *Praxean* exaravit, volumine.

Sed alia iam *Clerici* dicta expendamus. *Ex hiſce*, inquit, *intelligere eſt periculoſam fuiſſe non Philoſophorum tantum Ethnicorum, ſed Philonis etiam lectionem;* [nihil minus intelligitur] *hanc incautis eo periculoſiorem, quod multis in rebus inſtar Chriſtianorum loquatur* [cur id contigerit iam pro-

Digitized by Google

babiliter demonſtravimus] *& a Polytheiſmo abhorrere, utpote Iudaeus, cenſeatur* [Et recte quidem: nam Polytheiſmum in Philone quaerere, eſt quaerere nodum in ſcirpo: ſi τὸν λόγον inducit, aut eum Deo inferiorem facit, & excludit Polytheiſmum: aut Deo aequalem, & Chriſtianiſmum iuvat atque confirmat: non enim Deo aequalem faceret, niſi eos ad unum quoad exſiſtentem naturam reduceret: non capit enim duos dici, nec eſſe duos Deos aequales, ac ſummos: quod quidem Philoſophus ille non ignorabat, & ſubſicit eius *De Monarchia* libros evolviſſe. Reſponſionem noſtram ad miraculum confirmat doctiſſimus *Iſidorus Peluſiota Lib. II. Epiſt.* CXLIII. de Philone enim loquens, & de Verbi, quam ille habuit, cognitione, ita infit: τὸ, Θεὸς καὶ κύριος, ἑρμηνεῦσαι πειρώμενος, τῆς βασιλικωτάτης Τριάδος, τὸ τῶν μὲν πάντη διαιρετῶν ἑνικώτερον, τῶν δὲ ὄντως μοναδικῶν ἀφθονώτερον. καὶ οὕτως κατὰ κράτος εἷλεν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν, ὡς ἀναγκασθῆναι τοῦτο διαῤῥήδην καὶ εἰπεῖν, καὶ ἐν συγγράμμασι καταλεῖψαι. *Quum illa verba, Deus & Dominus, exponere conatur, regiam Trinitatem hoc habere dixit, ut & ea quae omnino diviſioni ſubiiciuntur unitate ac ſingularitate ſuperet, & ea quae vere ſingularia ſunt, copia vincat. Atque uſque adeo animum veritas ſubegit, ut id aperte & dicere, & literarum monumentis conſignatum relinquere coactus ſit.* Atque ita quidem ille] *Non modo Clemens, & Origenes, ut animadvertit Huetius* [doctus quidem Epiſcopus *Pet. Dan. Huetius*, ſed *Petavio* nimis in hoc detulit, & eius auctoritatem potius ſequutus eſt, quam Patrum dicta penſiculate diſcuſſerit] *eius loquutionibus decepti ſunt* [addere potuiſſet *Athenagoram, Iuſtinum Martyrem, Tatianum, Theophilum Antiochenum, Dionyſium Alexandrinum, Theognoſtum, Tertullianum, Novatianum, Lactantium*, qui omnes ſatis oſtendunt ſe de Filio Dei loquutos eſſe ea ſcribendi ratione, ac phraſibus, quas eorum aetas ferebat: quando ſcilicet haeretici qui in dies excitabantur, potius Trinitatis veritatem impugnabant, quam divinam unitatem diſcinderent atque ſepararent. Heinc magis Patribus neceſſarium fuit Perſonarum diſtinctionem inculcare, quam unitatem conſubſtantialitatemque defendere: inde phraſes quaedam liberiores, & ad iuſtam normam minus exactae] *Sed & Euſebius, qui homi-*

minis Platonici Tritheiſmum [Sed ubi Tritheiſmus in Philone? Iam hanc adſertionem evertimus, & conſuli poſſunt viri eruditiſſimi *Iſidorus* modo laudatus, *Bullus*, *Thomaſſinus*, *Nourrius*, *Caveus*] *cum Chriſtiana Trinitate miſcuit* [non miſcuit, ſed ita eius loca in medium produxit, ut inde facilius diſponerentur increduli ad Chriſtianam veritatem amplectendam, quemadmodum in eumdem finem Platonicorum interdum auctoritate functus eſt: minori enim difficultate atque opera divinae Trinitatis myſterium perſuadere eſt iis, qui iam adverterint Iudaeis etiam, & Ethnicis ipſis ſimile neſcio quid adcreditum fuiſſe, quam iis, qui pedibus prorſus illotis ad haec audienda adgrediuntur: eaque propter ſuis libris titulum *De Praeparatione Evangelica* adpoſuit. Ad rem *Auguſtinus Lib. XIII. contra Fauſtum Manichaeum cap* xv. ſcribit: *Sibylla porro, vel Sibyllae, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſiqui alii Vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philoſophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera praedixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur: valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam.* Quod ſi *Euſebii* Arianiſmus in cauſſa eſt cur praeiudicemus Philonis de Verbo Dei ſententiam cum noſtra doctrina confuſam ab eo fuiſſe: certe quum perſpectum habeamus ab aliis etiam Patribus omnino Catholicis ſimiles utriuſque doctrinae comparationes factas eſſe, ut *Clemente Alexandrino*, *Athanaſio*, *Conſtantino Auguſto*, *Gregorio Nazianzeno*, aliiſque; iam ex hoc intelligimus, quod *Clericus* contendit, minime conſectarium exſiſtere; ſed vera omnino eſſe quae nos repoſuimus. Colophonem addat *Tertullianus Lib. De Teſtimonio Animae. Magna curioſitate, & maiore longe memoria opus eſt ad ſtudendum, ſiquis velit ex literis receptiſſimis quibuſque Philoſophorum, vel Poëtarum, vel quorumlibet doctrina ſapientiae ſaecularis magiſtrorum teſtimonia excerpere Chriſtianae veritatis, VT AEMVLI PERSEQVVTORESQVE eius de ſuo proprio inſtrumento & erroris in ſe, & iniquitatis in nos rei revincantur. Nonnulli quidem quibus de priſtina literatura & curioſitatis labor, & memoriae tenor perſeveravit, ad eum modum opuſcula penes nos condiderunt, commemorantes & conteſtificantes IN SVGGILLATIO-*

TIO-

Digitized by Google

TIONEM & originem, & traditionem, & ſententiarum argumenta, per quae recognoſci poſſit, NIHIL NOS AVT NOVVM AVT PORTENTOSVM ſuſcepiſſe, de quo non etiam communes, & publicae literae ad ſuffragium nobis PATROCINENTVR, ſiquid aut erroris eiecimus, aut aequitatis admiſimus. Quare ex illa tantum Chriſtianorum, &. Platonicorum Trinitatis comparatione *Euſebii* Arianiſmum arguere non eſſet: & haec dicta ſint ut veritas ſemper emineat, etiamſi concedendum eſſet a Philone Tritheiſmum induci.] *& alios multos veteres & recentiores fefellit* [Quinam ſunt hi veteres? Patres quos recenſuimus? Sed nunquam perperam de Trinitate ſenſere, ut invictis & certiſſimis argumentis viri longe eruditiſſimi, quos paulo ante memoravimus, aliique demonſtraverunt. Num Ariani? Sed mirum illos nunquam Philonem in ſuae cauſſae patrocinium advocaſſe. Et quidem ratum firmumque eſt neminem Arianorum fuiſſe Platonicum, quod alibi iam oſtendimus: & ſiquis eorum Platonem, Origenemve legiſſet, pro miraculo habebatur ſi in ſua ſecta perſeveraſſet, ut *Socrates* ſuperius a nobis opportune relatus luculenter edicit. Quin maiores noſtri Platonicorum teſtimoniis uſi ſunt ad Arii errorem revincendum, ut vel ex uno *Athanaſio* conſtare poteſt. Quinam vero ſunt recentiores? Num moderni Ariani? At hi non Philonem, ſed alios habent haereticos ſuae ſectae patriarchas. Num qui tres hypoſtaſes in Divinitate conſtituunt? Forte hos ſubindicat *Clericus*, qui ne Philonicum ageret in cunctis ſuis operibus omni conatu divinitatem Chriſto abiudicare contendit.] *Quod quum ita ſit* [immo res haud ita ſe habet] *quid mirum ſi Iohannes Apoſtolus* [quum res ita, ut diximus, haud ſe habeat, mirum forte videri poſſet: nam iuxta multorum ſententiam, & quos quantoſque viros, Deus bone! in Philonis de Verbo Dei doctrina nullus error deprehenditur, & ὀρθοδόξως ille explicari ſe patitur.] *qui multis forte annis poſt Philonis mortem ſcripſit* [incertum omnino] *& videbat quanta in exiſtimatione eſſet* [hoc eſt probandum, gratis enim adſeritur, ut ex iis, quae ſuperius diſſeruimus, liquet] *obiter initio Evangelii ſui oſtenderit, quo ſenſu liceret uti voce λόγος*? [Immo ſi haec vox apud divinos praecones iam in uſu

non

non fuiſſet, & *Iohannes* illam a Philone acceptam ſuo inſeruiſſet Evangelio, faciliorem erroribus aditum patefeciſſet: in Philone enim obſcura & ignobilis delituiſſet, ut in Scriptore non Chriſtiano: ubi ex Iohannis Evangelio celebris & nobiliſſima facta eſt, quam propterea quis & in Iudaeo illo Scriptore ſuſpicit ac demiratur, atque adeo ſtudioſius & adtentius eius evolvuntur libri, & ediſcuntur conſulta. Nec verum eſt *Iohannem* oſtendiſſe, quo ſenſu liceret uti voce λόγος, ne cum Philone erraremus: nam ſubobſcura, & conciſa Evangeliſtae verba talem etiam interpretationem recipiunt, quae ſententiae Philonis optime congruat. Teſtes ſunto omnes trium primorum ſaeculorum Patres, qui Iohannis doctrinae perpetuo inſiſtentes, & eius verba ediſſerentes, tamen non aliis formulis & loquutionibus de Chriſti divinitate loquuti ſunt, quam *Philo* ipſe uſus ſit. Id res manifeſta docet, & *Clericus* ipſe confirmat. Sed videamus e contra ut clare, & evidenter Gnoſticorum & Cerinthi fabulamenta, & implexas inanium genealogiarum tricas, mirabilis & divinus Scriptor evertit atque praecidit, quod ſupra iam latius expedivimus: ut Ebionem profligat. Non me quidem latet ex intimis *Iohannis* reconditiſque ſenſibus illam veritatem erui, qua & Philonis errores, ſiqui eſſent, facile redargui poſſent: ſed qui Scriptorem aliquem directe refellendum ſuſcipit, liquide & enodate eius errores, & vel ipſa verborum ſuperficie & cortice, demonſtrat ac deſtruit: alios autem quos prae oculis non habet, oblique tantum, & ſubobſcure, & veluti per quoddam conſectarium: veritas enim omnibus cuiuſvis generis erroribus contraria eſt. Ex quibus patet ſincere ne *Clericus*, an verius ἐρωτικῶς deinde ſubiiciat] *docueritque Chriſtianos ἐνυπόστατον λόγον non eſſe alterius naturae, non tantum ſpecie, ſed etiam numero* [ſed qua ratione id docuit? certe ea, quam elicere eſt per quamdam ratiocinationem. Vt exempli gratia: Verbum mundum ex nihilo creavit: ſed ex nihilo creare naturae tantum omnipotentis eſt: ergo Verbum eſt omnipotens. Omnipotentia ſoli Deo proprie dicto convenit, nec cum creatura communicari poteſt: ergo Verbum eſt verus Deus, & a Iohanne proprie dicitur Deus. Inde ex alia conlectione Deum & Verbum
eſſe

Digitized by Google

eſſe natura numero eâdem praeditos deducere eſt. Nam verus Deus non poteſt eſſe niſi unus & ſingularis. Iſthuc ipſum non potuit non intelligere etiam ὁ πάνυ *Auguſtinus*, quare & ſi hanc veritatem in Iohannis Evangelio confirmatam ſapienter adgnovit, ex eo tamen illam nonniſi per quamdam ratiocinationem eruit & exponit, atque ita *Lib. I. De Trinit. cap.* v. diſſertat: *In eo autem declarat*, [ſcilicet *Iohannes*] *non tantum Deum eſſe, ſed etiam eiuſdem cum Patre ſubſtantiae quia quum dixiſſet, Deus erat Verbum, hoc erat*, inquit, *in principio apud Deum; omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Neque enim dicit omnia, niſi quae facta ſunt, ideſt omnem creaturam. Vnde liquido adparet ipſum factum non eſſe, per quem facta ſunt omnia. Et ſi factus non eſt, creatura non eſt. Si autem creatura non eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiae eſt. Omnis enim ſubſtantia, quae Deus non eſt, creatura eſt: & quae creatura non eſt, Deus eſt. Et ſi non eſt Filius eiuſdem ſubſtantiae cuius Pater, ergo facta ſubſtantia eſt. Si facta ſubſtantia eſt, non omnia per ipſum facta ſunt: At ſi omnia per ipſum facta ſunt, unius igitur eiuſdemque cum Patre ſubſtantiae eſt: & ideo non tantum Deus, ſed & verus Deus.* At ſimiles conlectiones etiam iuxta *Philonis* placita fieri poſſunt, apud quem ὁ λόγος, ut ipſius verbis utar, ἐκοσμοποίησε. Sed ut magis eluceat eorum, quae diximus, veritas, *Iohannis*, *Philonis*, *Cerinthi*, *Gnoſticorum*, & *Ebionis* doctrinam & placita inter ſe conferamus, & quorum ſententia aperte ab Apoſtolo deſtruatur, perſpicue intelligamus.

Iohan-

Iohannes	*Philo.*	*Gnoſtici, & Cerinthus.*	*Ebion.*
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum erat Deus. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et mox: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti a patre, plenum gratiae, & veritatis.*	In Libro *De Profugis* περὶ τοῦ λόγου loquens: *Ipſe imago Dei, antiquiſſimus omnium intelligibilium, & ſummo proximus, quandoquidem nihil medium eſt inter ipſum, & ens illud veriſſimum.* Libro *De Abrahamo* eum dicit adſtare Deo, & eſſe Deum. *Lib. I. Allegoriar.* coelum & terram facta fuiſſe a Deo, inquit, illuſtriſſimo, & ſplendidiſſimo ſuo Verbo, uno edicto. Et ſimilia paſſim pronuntiat.	De his *Irenaeus* ſcribit: *Illi dicunt alterum quidem fabricatorem, alterum autem patrem Domini: & alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de ſuperioribus Chriſtum, quem & impaſſibilem perſeveraſſe, deſcendentem in Ieſum filium fabricatoris, & iterum revolaſſe in ſuum pleroma: & initium quidem eſſe monogeni: logon autem verum filium unigeniti.*	*Hieronymus* adverſus quos Iohannes ſcripſerit notans ait: *Adverſus Cerinthum, alioſque Haereticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui adſeruit Chriſtum ante Mariam non fuiſſe.* Eadem habet *Tertullian. Euſebius, Epiphanius*, aliiſque.

Subdit *Clericus*: *Ita ut*, ὁ Θεὸς, & ὁ λόγος *ſint unus idemque Deus proprie dictus* [ſententia quidem vera, ſed in ore hominis Sociniani neſcio quid ſonet] *certe Spiritus Divini, quo Iohannes agebatur, providentia indignum non fuit* [multa quidem Dei providentia non indigna eſſe videntur, quae tamen inſcrutabili ſuae providentiae conſilio fieri non permittit] *tam periculoſum errorem antevertere* [quam vere haec effutiantur ex hactenus adnotatis conſtat: & certe ſi omnes Scriptores viam erroribus ſtraviſſent ut *Philo*, nulla unquam forſan haereſis Eccleſiam infeſtam habuiſſet. Quis unquam totis Eccleſiaſticae hiſtoriae, & ſanctorum Patrum voluminibus evolutis dictum aut ſcriptum offendit: *Ex Philonis libris haereſis iſta defluxit: Haeretici illi Philonis auctoritate & doctrina decepti ſunt?* Num quis dixerit, id non contigiſſe, quia Spiritus Sancti providentia per Iohannis Evangelium tam periculoſum errorem anteverterat. At Arianiſmum obponam: at Spiritus

ritus, regeram, Divini providentia per Prophetarum voces, per Evangeliſtarum commentarios, per Apoſtolorum documenta alias etiam haereſes anteverterat: cur illae igitur exſtitere? *Servetianos* etiam & *Socinianos* fore praeſenſerat, & ſuam Eccleſiam contrariis opportune documentis inſtruxerat; cur igitur hi nonnullam Europae regionem ſui veneni contagione, inimici veritatis, inficiunt? Reſtat igitur ut *Clerici* nugis eiectis & exſibilatis, candidae atque indubitatae veritati, quam Deo adiuvante manifeſtavimus, conſtanter inhaereamus.

L I-

Digitized by Google

DE RECTA CHRISTIANORVM
IN EO QVOD MYSTERIVM
DIVINAE TRINITATIS
ADTINET SENTENTIA.

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

Philoſophi mundanam animam naturali quadam ratiocinatione inducere potuere.

SED iam tempus eſt ut illuc redeat, unde huc per longos, & obliquos diſputationum anfractus defluxit oratio, & ea *Clerici* argumenta, quibus Ethnicos Philoſophos de mundana anima opinionem ex ſacrarum ſcripturarum oraculis, vel Ebraeorum traditione non probe intellectis haurire ac deducere minime potuiſſe contendit, ad trutinam revocemus. Modo non adfirmo Gentiles Sapientes in eiuſmodi ſententiam naturali quadam ratiocinatione, qualiſcumque illa fuerit, ire non potuiſſe: fortaſſe enim videantur certis argumentis, & probabilibus

Digitized by Google

libus conie&ctuturis, quas ratio humana ſuppeditat, ad generalem quamdam animam univerſitati tribuendam adductos fuiſſe. Subficit in memoriam revocare, quae apud Platonem, & Xenophontem diſſerit *Socrates*: quae in ſuo libello, & apud laudatum etiam Platonem *Timaeus* diſputat: quae acute & ſubtiliter *Zeno, & Lucilius Balbus* apud M. Tullium *II. De Natura Deorum* commentantur. Attamen id ex Ebraica etiam doctrina profluere potuiſſe inficiandum non videtur. Non quidem quod contendam ſimilem de mundi anima opinionem apud Iudaeos olim fuiſſe: ſed quod ex ea, quae apud illos primis temporibus obtinebat de Spiritu Divino credulitas, facta quadam diſſipatae per hominum ora veritatis corruptione, conflari haec ſententia potuerit. Ipſe quidem *Clericus* in *Notis ad Oracula Chaldaica*, ubi verſu ſecundo dicitur:

Ταναή ἐςι Μονὰς ἣ δύο γεννᾷ.

Porrecta eſt Vnitas quae duo generat,

quod quidem oraculum, qualecumque ſit, apud *Damaſcium* reperitur, haec habet: *Hoc eſt Mentem, & Animam* Νοῦν καὶ Ψυχὴν, *de quibus Plotinus Lib. IX. Ennead. II. Haec quum nihil adſine habeant Graecae Mythologiae, admodum veriſimile eſt ab iis populis, qui ſublimius de Deo philoſophabantur, eumque* ἀνθρωτοφυῆ *eſſe negabant, ad Platonem, eiuſque diſcipulos manaſſe*.

C A P V T II.

De Spiritus Sancti apud Iudaeos notitia.

IAm ſuperius opportune confirmavimus antiquos Iudaeorum Patriarchis integra diſtinctaque ſanctae Trinitatis cognitione inſtructos fuiſſe, quam & *Auguſtini*, & *Epiphanii*, & *Cyrilli* Alexandrini, & *Gregorii Magni*, aliorumque ſententiam eſſe diximus. Heinc notitiam illam & in alios vulgatam dimanaſſe, & ex iis, quae tempeſtive diſputavimus, deducere eſt, & vero quamſimillimum eſſe deprehenditur. Eapropter apud Iudaeos paſſim de Spiritu Sancto ſermo erat non ſecus ac de Meſſia. Id non temere dictum eſt: nam vel ex ipſis novi Teſtamenti ta-

bulis manifeſte deducitur, in quibus de Spiritu Sancto, tamquam de re notiſſima, mentio Iudaeis facta frequenter obcurrit. Adeoque in illis nemo ſatagit quidnam ſit Spiritus Sanctus vel interrogare, vel exponere, utpote qui ſatis cognitus. Sic, exempli gratia, Angelus Gabriel Mariae tamquam probe inſtructae *Luc. I.* ait: Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. Ioſepho* autem *Matth. I.* Ἰωσὴφ υἱὸς Δαβὶδ, μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. *Ioſeph fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Haec expendens *Bernar. Lamius Harmon. Evang. Lib. I. cap.* VIII. *n.* 20. ſcribit: *Qui animum ſuum credere induxerunt, Sanctiſſimam Trinitatem ignotam prorſus fuiſſe hominibus veteris foederis, iterum animadvertant, Deum Patrem, Dei Filium, Spiritum Sanctum, res fuiſſe notiſſimas inter veteres Iudaeos; niſi enim hanc Sanctiſſimam Trinitatem notam habuiſſet Maria, ut iam vidimus, non dixiſſet ei Angelus, quo dubitatione ſolveret, & pavore: Deſcendet in te Spiritus Sanctus; ſi, quid eſſet Spiritus Sanctus, non habuiſſet bene compertum; neque idem Angelus dixiſſet adloquens Ioſephum, quod in Maria eſt, de Spiritu Sancto eſt; ſi & ipſe quid eſſet Spiritus Sanctus omnino ignoraſſet.* Sic *Ieſus* ipſe Iudaeos docet, ſiquis blaſphemiam dixerit adverſus Spiritum Sanctum, ei non remiſſum iri, neque in hoc ſaeculo, neque in futuro, *Matth. XII. Marc. III. Luc. XII.* Sic Diaconus *Stephanus* eoſdem increpans *Act. VII.* ait: ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Et Spiritum Sanctum eſſe aliquid exiſtens videtur iiſdem innuere *Iohannes Baptiſta*, dum *Iohan. I.* proclamat: τεθέαμαι τὸ πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de coelo, & requievit ſuper ipſum.*

Sexcenta id genus exempla adducere eſſet, quae omnia liquide evincunt, nil prope apud Iudaeos notius & celebrius fuiſſe, quam Spiritum Sanctum: atque iis ipſis temporibus, quibus integra & recta Iudaeorum ſcientia prope defecerat, reſque eorum in peius labſae divinorum etiam

 my-

myſteriorum notitiam ſuis paene ruinis obruerant. Nam *Maimonides* ipſe, ut etiam alibi advertimus, in *More Nevochim Par. I. cap.* LXXI. tradit, multas rerum divinarum, & coeleſtium arcanorum cognitiones apud Iudaeos deperditas atque oblitas interiiſſe, ſive temporis & vetuſtatis iniuria; ſive Barbarorum populorum in ipſos dominatione & tyrannide: ſive oblivionem inducente cautione illa, ac regula, quae ab eis religioſe obſervata ita ſe habebat: *Verba, quae ore tibi dixi, non licet tibi ſcripto divulgare:* ne divina ſcilicet myſteria cunctis manifeſtata, vilia & contemta proſtarent, & ne margaritae, ut ipſe ait, porcis obiicerentur.

Hac de cauſa haud difficulter conceſſerim, Chriſti aetate Spiritus Sancti nomine munus Dei quoddam, ut plurimum, coeleſtemque inluſtrationem & prophetiam apud Iudaeos intelligi conſueviſſe: quod & ipſe *Maimonides* ſatis indicat, & ex hoc explicatur locus ille *Actorum cap.* XIX. ubi, quum Paulus Epheſi quoſdam diſcipulos interrogaſſet, an Spiritum Sanctum accepiſſent, illi reſponderunt: οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐςιν ἠκούσαμεν. *Neque an Spiritus Sanctus ſit audivimus*. Nam paulo poſt Babylonicam captivitatem, a morte ſcilicet *Eſdrae, Aggaei, Zachariae, & Malachiae* a Iudaeis diſceſſiſſe Spiritum Sanctum, hoc eſt, prophetiam ceſſaviſſe vulgo credebatur. Haec quoque lucem foenerantur iis, quae ſcribit *Iohannes cap.* VII. 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus*. Quod tamen *Iohannis* dictum ita accipiendum videtur, ut intelligatur prophetiam, & Spiritus Sancti gratiam antecedentibus ſaeculis non adeo communem, abundantemque fuiſſe, quemadmodum poſtquam Ieſus glorificatus eſt, fuit, ut ex *Actis* conſtat, & praecipue ex *cap.* II. *&* XIX. quamquam vulgata interpretatio minus obſcuritatis involvit, ita enim habet: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*

Nec mirum videri debet ſi ſequioribus ſaeculis minus recte de Spiritu Sancto Iudaei ſentiebant, quum & maiorum de Meſſia traditiones, & oracula Prophetarum ad falſum interdum ſenſum detorquerent, & crederent merum Davidis

filium

Digitized by Google

filium Chriſtum fore, ut ex *Matth.* XXII. *&* *Luc.* XX. manifeſtum eſt. Et tamen tam multa de Meſſia a Prophetis dicta fuerant ab ipſo uſque mundi initio *Luc. I.* 70. *Actor. III.* 21. ex quibus certe eum auguſtiorem, & praeſtantiorem, quam Davidis filium, futurum fuiſſe comprehendere poterant.

Quod ſiquis ulla veſtigia eiuſmodi cognitionis in Veteri Teſtamento exſtare neget, profecto fallitur: nec clariſſima indicia quaerere aut exigere debet, quum conſtet tam multa volumina Ebraicarum ſcripturarum eſſe deperdita, quod alibi iam mature comprobavimus.

C A P V T III.

An de Mundana Anima opinio ex Iudaica doctrina derivari potuerit.

Negat igitur *Clericus*, ea, quae *Plato* de Mundi anima docet, Spiritui Sancto convenire poſſe. Ipſe quoque haud difficulter, ſed aequo animo conceſſerim, quamvis *Cyrillus Lib. VIII. contra Iulianum* certe repugnaret. Ergo, inquit, hanc notitiam non deſumſit ex ſacris literis. At quanti facienda ſit haec ratiocinatio iam ex iis, arbitror, luculenter exſiſtit, quae alias iure optimo, & tempeſtive ſuperius ingeſſimus, puram videlicet ſinceramque ſacrorum voluminum, aut Iudaicarum traditionum doctrinam fuiſſe, ut plurimum, ab Ethnicis Sapientibus interpolatam atque corruptam, quod iam & *Tertullianus*, & *Clemens* Alexandrinus, & *Euſebius*, & *Lactantius Firmianus*, aliique prudenter animadverterant.

At ex quibuſnam, quis interroget, arcanarum literarum locis cognitionem iſtam haurire illi potuere? Ipſe quidem non video cur, ſi illud Moſis initio Geneſeos: *Terram autem erat inanis & vacua, vel inviſibilis & incompoſita, & tenebrae erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, aut legere, aut ab aliis lectum, & enarratum intellexere, vel quocumque modo ad eos huiuſmodi notitia pervenit, ſtatim & primore adſpectu percipere, aut ſaltem

Digitized by Google

ſubſpicari non potuerint, agi heic de natura & vi quadam efficaci ac genitabili, quae motum, formam, & vitam rebus adhuc rudibus & indigeſtis potenter infunderet, quod quidem Platonem feciſſe adſeveranter ait *Iuſtinus Apologia II.* Et profecto Platonicus *Virgilius* non multo aliter in eodem ſenſu, & argumento ſeſe explicat, Libro enim *Aeneidos VI.* ita ait:

> *Principio coelum, ac terras, campoſque liquentes,*
> *Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra*
> *Spiritus intus alit, totoſque infuſa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Si enim Spiritus Dei nomine, grammaticali ſenſu, Iudaiciſque idiotiſmis inhaerentes, *Ventum Dei*, hoc eſt, *Ventum vehementem* intellexere, ut & *Onkeloſus*, & *Ionathanus*, & Targum Hieroſolymitanum in ſua Paraphraſi interpretati ſunt, & *Samaritanus* interpres in ſua Translatione, *Arabſque* confirmat, & *Theodoreto* ipſi in *Quaeſtionibus ſuper Geneſim*, *Severianoque* Gabalorum Epiſcopo omnium maxime adridet; illico in vis, ac naturae cuiuſdam, ut diximus, omnia foecundantis comprehenſionem venire potuerunt. A *Chryſoſtomo* etiam *Homil. III. in Geneſim* heic *Spiritus Dei* nomine ἐνέργεια ζωτικὴ intelligitur.

Et certe nihil Ethnicis Philoſophis fuit uſitatius quam vel venti & aurae nomine animam denotare, vel vim quamdam genitabilem, & ζωογόνον ventorum eſſe concipere. Nam non alia de cauſa Veteres *Animam* ψυχὴν adpellavere, quam quod eam nonniſi aërem quemdam frigefactum, qui ore ducitur ac reſpiratur, eſſe putarent, *Platone in Cratylo, & Ariſtotele I. De Anima, & Plutarcho De Contrarietat. Stoicor.* auctoribus, & ipſa vocabuli Etymologia indice. Id eo facilius perſuaſum habere poterant, ſi noviſſent apud eumdem pariter Moſen humanam animam nonniſi venti & ſpiraculi nomine indicatam, ubi dicitur in hominis faciem a Deo ſpiraculum vitae inflatum fuiſſe, atque ita factum eſſe hominem in animam viventem. Et quidem apud Iudaeos anima *halitûs*, *flatûs*, *venti* vocabulis paſſim ſignificabatur, ut apud *Eſaiam cap.* XLII. *Haec dicit Dominus Deus creans coelos, & extendens*

eos:

Digitized by Google

eos: firmans terram & quae germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam. Et *cap.* LVII. *Spiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam.* LXX. vertunt: καὶ πνοὴν πᾶσαν ἐγὼ ἐποίησα. *Et omnem flatum ego feci*, quod & *Auguſtinus Lib. XIII. De Civit. Dei cap.* XX.V. & *Epiſtola CLVII.* notaverat. *Iobi* vero *cap.* VII. habetur: *Ventus eſt vita mea*. Sed luculentus & inſignis eſt *Ezechielis* locus *cap.* XXXVII. *Et dixit Dominus ad me: Vaticinare ad ſpiritum, vaticinare Fili hominis, & dices ad ſpiritum. Haec dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant.* Sic apud Scriptorem Sapientiae *cap.* II. quidam tamquam de molli aëre de anima loquuntur, qui licet, ut ita dicam, Epicurei ſint, ſuam tamen opinionem adſtruere conantur ex illo Moſis: *Et inſufflavit in faciem eius ſpiraculum vitae.* Aiunt enim: ὅτι αὐτοὶ σχεδίως ἐγεννήθημεν, καὶ μετὰ τοῦτο ἐσόμεθα ὡς οὐχ ὑπάρξαντες, ὅτι καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν. *Quia fortuito nati ſumus, & poſt haec erimus tamquam non fuerimus, quoniam fumus eſt, vel flatus in naribus noſtris.* Et mox: καὶ τὸ πνεῦμα διαχυθήσεται ὡς χαῦνος ἀήρ: *Et ſpiritus diffundetur tamquam mollis aër*, poſt ſeparationem videlicet a corpore. Ad τοῦ vero πνοὴ ἐν ῥισὶν inluſtrationem animadvertendum eſt illud, *& inſufflavit in faciem eius ſpiraculum vitae*, in Paraphraſi, quae *Ionathano* tribuitur, verti: *Et inſufflavit in nares eius animam vitae.* Et libro *Iobi cap.* XXVII. legitur: *Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis.*

Sed & illud quod Moſes de vento illo ait, mobilem ſcilicet ac moventem latum fuiſſe, ſeu ut *Onkeloſus* παραφράζει, *flaviſſe ſuper aquas*, ſeu ut fons Ebraeus exprimit, *motaviſſe ſuper facies aquarum*, veteribus Ethnicorum Sapientibus animam illum quamdam ζωοποιοῦσαν fuiſſe magis atque magis inſinuare poterat. Illorum enim multi maxime & primo animam eſſe id quod movet exiſtimarunt, ut ſcribit *Ariſtoteles I. De Anima cap.* II. φασὶ γὰρ ἔνιοι καὶ μάλιστα καὶ πρώτως ψυχὴν εἶναι τὸ κινοῦν. οἰηθέντες δὲ τὸ μὴ κινούμενον αὐτὸ μὴ ἐνδέχεσθαι κινεῖν ἕτερον τῶν κινουμένων, τὶ τὴν ψυχὴν οὕτως ὑπέλαβον εἶναι. *Dicunt enim quidam & maxime & primo animam eſſe id quod movet*

Exiſtimantes autem quod non movetur, ipſum non contingere movere alterum eorum, quae moventur, aliquid animam ſic arbitrati ſunt eſſe: Et ex intervallo: ἐπὶ ταὐτὸ δὲ φέρονται καὶ ὅσοι λέγουσι τὴν ψυχὴν τὸ αὐτὸ κινοῦν· ἐοίκασι γὰρ οὗτοι πάντες ὑπειληφέναι τὴν κίνησιν οἰκειότατον εἶναι τῇ ψυχῇ καὶ τὰ μὲν ἄλλα πάντα κινεῖσθαι διὰ τὴν ψυχήν· ταύτην δ' ὑφ' ἑαυτῆς διὰ τὸ μηδὲν ὁρᾶν κινῦν, ὃ μὴ καὶ αὐτὸ κινεῖται. *In idem autem feruntur & quicumque dicunt animam eſſe, quod ſeipſum movet. Videntur enim hi omnes exiſtimaſſe motum maxime proprium eſſe animae, & alia quidem omnia moveri propter animam, ipſam autem a ſeipſa: propterea quod nihil videbant moveri, quod non & ipſum moveatur*. In hac ſententia, ait idem *Ariſtoteles*, fuiſſe Democritum, Leucippum, Pythagoreos, Anaxagoram, Diogenem, Heraclitum, Thaletem ipſum, qui quidem ſunt Graecorum Philoſophorum vetuſtiſſimi. Ad rem profecto *Chryſoſtomus Homil. III. in Geneſ.* ad hunc Moſis locum: *Mihi videtur hoc ſignificare, quod adfuerit efficax quaedam & vitalis operatio aquis, & non fuerit ſimpliciter aqua ſtans & immobilis; ſed mobilis & vitalem quamdam vim habens. Nam quod immobile, omnino inutile eſt: quod vero movetur ad multa conducit: Vt igitur doceret nos beatus ille Propheta, aquam illam magnam habere vim, & vitalem quamdam, dicit: Et ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas*. Hanc Chryſoſtomi ſententiam ſuo calculo adprobat magnus *Auguſtinus Libro De Geneſi ad literam imperfecto cap.* IV. *Poteſt autem*, inquit, *& aliter intelligi, ut Spiritum Dei vitalem creaturam, qua univerſus viſibilis mundus atque omnia corporea continentur & moventur, intelligamus: cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam ſibi ſerviendi ad operandum in iis, quae gignuntur*.

CA-

CAPVT IV.

Ventum eſſe animam a multis exiſtimatum.

LAtini etiam, qui vocabula bene multa a Graecis mutuati ſunt, aërem ventumque *animae* vocabulo a Graeco, ut videtur, ἄνεμος adpellavere. Heinc *Cicero Lib. De Vniverſitate*: *Inter ignem & terram*, inquit, *aquam Deus animamque poſuit*. Et *Lucretius Lib I.*

Et qui quattuor ex rebus poſſe omnia rentur
Ex igni, terra, atque anima procreſcere, & imbri.

Virgilius autem *Aeneidos VIII.*

Quantum ignes, animaeque valent.

Ecloga vero ſexta cecinerat

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animaeque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis.

Forte non alio ſenſu *Ovidius* dixit:

Elidunt fauces, & reſpiramen, iterque
Eripiunt animae.

Seneca Oedip. Act. II.

. . . . . . *Non animae capax*
In parte dextra pulmo ſanguineus iacet.

Exinde oris etiam halitum *animam* nuncupaverunt *Plautus in Aſinaria:*

An foetet anima uxoris tuae?

& *Virgilius III. Georgicon:*

. . . . . . *animas, & olentia Medi*
Ora fovent illo.

Et quia ſonus fit in aëre, animam *Varro* pro ſono poſuit:

Et Phrygias audire animas.

Heinc factum eſt, ut vim etiam illam, naturamque, qua homines, pecudeſque vivunt ac ſentiunt, *Animam*, quod & *Lactantius De Opificio Dei cap.* XVII. animadvertit, nominarent; quam propterea & *Spiritum* dictitarunt, unde illud *Virgilii*:

Spiritus intus alit.

ad quem locum *Servius*: *Eſt unum, ſive mentem dicat, ſive animum, ſive ſpiritum*. *Manilius II. Aſtronomicων* Virgilium imitatus:

. . . . quum ſpiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque inriget orbem
Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret.

& *Lib. V.*

Quae tua tunc fuerat facies? ut fugit in auras
Spiritus, ut toto caruerunt ſanguine membra!

Statius autem *VI. Thebaidos*:

. . . . Quis ſidera ducat
Spiritus.

Nam & ventum ſpiritum dicere conſuevere, ut ex Poëta nobiliſſimo liquet:

Ac velut Edoni Boreae cum ſpiritus alto
Inſonat Aegaeo.

Sic quoque *Columella* deinde dixit *placidi ſpiritus diem* eodem intellectu: immo aërem ipſum non uno loco *ſpiritus* nomine *Plinius* adpellavit, & *Libro II. cap.* v. praeſertim: *Proximum ſpiritus, quem Graeci noſtrique eodem vocabulo aërem adpellant*. Et ſpiritum quidem & aërem unum atque idem eſſe iam notaverat Mileſius *Anaximenes* apud *Plutarchum De Placitis I. cap.* III. quare & a Graecis Scriptoribus τὸ πνεῦμα ad ventum ſignificandum uſurpatur. Auctor libri *De Mundo*, quem nec *Ariſtotelis* nec *Philonis* foetum eſſe cenſuerim, ſed potius cum *Menagio* ex Philonis dictis & Placitis coagmentatum fuiſſe exiſtimaverim, ſcribit: Ανεμος ὐδέν ἐϛι πλὴν ἀὴρ πολὺς ῥέων καὶ ἀθρόος, ὅϛις ἅμα καὶ πνεῦμα λέγεται. *Ventus nihil eſt aliud quam aër multus fluctuans & coactus, qui etiam ſpiritus adpellatur*. Hac de cauſa iidem Graeci τὸ πνεῦμα ad animam quoque deſignandam adhibuere, quare laudatus ſcriptor ſtatim ſubdit: λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα ἥ ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος ὐσία. *Aliter etiam ſpiritus appellatur ſubſtantia animalis & genitalis in ſtirpibus & animantibus exſiſtens, & omnia pervadens*. *Et Xenophanes* quidem explicate adſeruit, *Diogene Laërtio in vita* auctore locupletiſſimo, animam nihil aliud eſſe quam ſpiritum.

Grae-

Graecorum enim & Latinorum Philoſophorum multi ita de animae natura ſenſere, ut eam aërem tenuiſſimum, variis quilibet qualitatibus adfectum, arbitrati ſint. *Anaximenes* quidem & *Diogenes* aërem illam eſſe ſine ullis ambagibus adſeverarunt, & cum eorum opinione conſentire videtur quod in Orphicis carminibus legitur, animam ſcilicet ex toto ingredi reſpirantibus, latam a ventis: adeantur *Ariſtoteles I. De Anima*, & *Macrobius I. in Somn. Scipion. cap.* XIV. Anaxagorei aëris ſaltem illam eſſe inſtar dixerunt, *Plutarcho Lib. IV. De Placitis cap.* III. auctore; *Zeno*, & Stoici, concretum corpori ſpiritum & fervidum, ut videre eſt apud laudatum *Plutarchum De primo frigido, & De Contrarietatibus Stoicor. & De Commun. Notion. adverſus Stoic. & De Placit. Lib. IV cap.* III. *& apud Macrobium loco citato, & Tertullianum de Anima. Boethos* illam ex aëre & igne conflavit, ut idem *Macrobius* tradit; & *Panaetius* dixit animam ex inflammata anima conſtare, quod ſcribit *Cicero I. Quaeſt. Tuſcul.* Non multo aliter *Epicurus*, apud *Macrobium*, eam facit ſpeciem ex igne, & aëre, & ſpiritu miſtam, ideoque *Lucretius Lib. III.* canit:

Eſt igitur calor, & ventus vitalis in ipſo
Corpore, quod nobis moribundos deſerit artus.

Democritus tamen eam autumaverat, ſpiritum inſertum atomis, hac facilitate motus, ut corpus illi omne ſit pervium. *Hippocrates*, ſpiritum tenuem per corpus omne diſperſum. *Varro* autem apud *Lactantium De Opificio Dei cap.* XVII. animam definit, aërem conceptum ore, defervefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffuſum in corpore. Si autem ad antiquiſſima tempora adſcendere lubet, *Homerus* ipſe non aliam opinionem habuiſſe videtur, dum *Iliad.* ψ canit:

. . . . . Ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
ᾤχετο τετριγυία.
Ast anima ut tenuis ſub terras fumus abivit
Stridens.

Et, ut Poëtas adhuc audiamus, *Virgilius Lib. VI. Aeneidos* Stoicum agens animam vocavit,

Aetherium ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem

Splendidius autem, & verius *Horatius*, *divinae particulam aurae*

rae. Ab his omnibus non abludunt quae ſcribit *Porphyrius* ἐν τῷ περὶ τοῦ ἐν Ὀδυσσείᾳ τῶν νυμφῶν ἄντρου· ψυχαῖς δ', inquit, εἰς γένεσιν ἰούσαις, καὶ ἀπὸ γενέσεως χωριζομέναις εἰκότως ἔταξαν ἀνέμους· διὰ τὸ ἐφέλκεσθαι καὶ αὐτὰς πνεῦμα ὥς τινες ᾠήθησαν, καὶ τὴν οὐσίαν ἔχειν τοιαύτην. ἀλλὰ βορέας μὲν ὁ οἰκεῖος εἰς γένεσιν ἰούσαις. διὸ καὶ τοὺς θνήσκειν μέλλοντας ἡ βορέου πνοὴ ζωγρεῖ ἐπιπνείουσα κακῶς κεκαφηότας θυμόν· ἡ δὴ τοῦ νότου διαλύει. ἡ μὲν πήγνυσι ψυχροτέρα οὖσα, καὶ ἐν τῷ ψυχρῷ τῆς χθονίου γενέσεως διακρατεῖ· ἡ δὲ διαλύει, θερμοτέρα οὖσα καὶ πρὸς τὸ θερμὸν τοῦ Θεοῦ ἀναπέμπουσα. Et mox: εἰς γένεσιν δὲ ἀπὸ βορέου πύλης τῶν ψυχῶν ἐρχομένων, ἐρωτικὸν διὰ τοῦτο ὑπεστήσαντο τὸν ἄνεμον. καὶ γὰρ

Ἵππῳ εἰσάμενος παρελέξατο κυανοχαίτῃ·
Αἳ δ' ὑποκυσάμεναι ἔτεκον δυοκαίδεκα πώλους.

καὶ τὴν Ὠρείθειαν αὐτὸν ἁρπάσαι φασίν· ἐτέκνωσε τε Ζήτην καὶ Κάλαϊν. Hoc eſt: *Ceterum animabus in generationem progredientibus, & a generatione redeuntibus non ſine ratione ventos adiungebant: eo quod & ipſae ex quorumdam ſententia, ſpiritum adtrahant, & ſubſtantiam ſpiritalem obtineant. Sed Boreas quidem proprius iis, quae in generationem progrediuntur: ideoque moribundos Boreae aura adflans refocillat, aegre animam trahentes: contra Auſtri flatus diſſolvit. Illius enim aura congelat conſtringitque, eo quod frigidior ſit, & in terrenae generationis frigiditate dominetur: huius vero diſſolvit, quia calidior eſt, & ad divinum calorem remittit*. Et mox: *Praeterea quum animae a porta Boreae generationem ingrediantur, ideo amatorium hunc ventum finxerunt. Heinc apud Poëtam:*

Adſimilatus equo ſe miſcuit biſce iubato:
Aſt illae gravidae bis ſex pullos genuerunt:

Et Orithian eum rapuiſſe ferunt: ex qua Zeten, Calainque progenuit. Sed de hiſce capite inſequenti latius agemus.

Horum ſententiam ſequuti ſunt plures Eccleſiaſtici Scriptores, veluti *Tatianus*, *Clemens* Alexandrinus, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Hilarius Pictavienſis*, *Vincentius Victor*, *Prudentius*, *Iohannes Caſſianus*, *Paſchaſius Diaconus*, *Fauſtus Regienſis*, *Iohannes Theſſalonicenſis*, *Rupertus Abbas*, *Raimundus Lullus*, aliique.

De-

Demum animadvertendum eſt *Spiritus* nomine animam etiam in ſacris literis interdum ſignificari, ut quum in *Eccleſiaſte* dicitur: *Quis novit an ſpiritus filiorum Adam adſcendat ſurſum, aut ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?*

C A P V T V.

Vento gignendi & foecundandi virtutem Veteres tribuere.

VEnto autem gignendi ac foecundandi virtutem a Veteribus tributam fuiſſe, res exploratiſſima eſt. *Homerus* Ὀδυσ. ή. de hortis Alcinoi, & floribus pomiſque, quae in iis erant, loquens canit:

. . . . . ἀλλὰ μάλ' αἰεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.
. . . . . *Sed iugiter illic*
Haec Zephyrus gignit ſpirans, & decutit illa.

Heinc *Lucretio* dicitur *genitabilis aura Favonj*, & *Plinius* de eiuſdem venti ζωογόνῳ efficientia *Lib. XVI. cap.* XXVI. haec habet: *Ordo autem naturae annuus ita ſe habet. Primus eſt conceptus flare incipiente Favonio vento circiter fere VI. Id. Feb Hoc enim maritantur viviſcentia e terra, quum etiam Equae in Hiſpania, ut diximus. Hic eſt genitalis ſpiritus mundi, a fovendo dictus, ut quidam exiſtimavere. Flat ab Occaſu aequinoctiali, ver inchoans, Catlitionem ruſtici vocant, geſtiente natura ſemina accipere, eo animam inferente omnibus ſatis.* Quod *Plinius* de equabus Hiſpaniae ait, Luſitaniae equabus ſpeciatim adſerunt *Iuſtinus Lib. XLIV.* & *Solinus* πολυΐστορος *cap.* XXVI. omnibus autem vindicare videtur *Virgilius Lib. III. Georgic.* his verſibus:

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum,
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumſere quadrigae.
Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium, ſuperant montes & flumina tranant;
Continuoque avidis ubi ſubdita flamma medullis
Vere magis [quia vere calor redit oſſibus] illae

Ore

Ore omnes verſae in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leves auras: & ſaepe ſine ullis
Coniugiis vento gravidae, mirabile dictu,
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas convalles
Diffugiunt.

Hic idem Poëta Zephyri vim genitabilem etiam inſinuat *Lib. IV. Georg.* dum *Zephyris primum impellentibus undas* docet interemtarum apium examina ex mactato & iam putreſcente iuvenco reparari. De Zephyro quoque intelligi poſſet quod habet *Plutarchus VIII. Sympoſiac.* ex quodam vate petitum.

Πλήθουσι γάρ τοι καὶ ἀνέμων διέξοδοι
Θήλειαν ὄρνιν.
Namque & volucrem foeminam perflans ſolet
Implere ventus.

Idem tamen *Plutarchus in Problematis* ſcribit ab Aegyptiis putari omnes vultures eſſe feminas, & Euro gravidas fieri. Eiuſmodi placitis adſtipulari videtur *Lucianus* qui *Libro I. Verae Hiſtoriae*, dum de Lunae populis multa lepide comminiſcitur, venti foecunditatem luculenter inſinuat; eum enim dicit vivificare foetum, qui e praegnantibus cruribus portentoſo more illis hominibus extrahuntur: non alia enim ibidem pariendi ratio. καὶ χρόνῳ ὕστερον ἀνατεμόντες ἐξάγουσι νεκρὰ, ἐκθέντες δ' αὐτὰ πρὸς τὸν ἄνεμον κεχηνότα, ζωοποιοῦσι. *Symphoſius* autem de Trigide *Aenigmate* XXXVIII. ſcribit:

Et mibi dat ventus natos, nec quaero maritum.

Quod autem *Plinius* dixit Favonium eſſe genitalem ſpiritum Mundi illuſtrari poteſt iis, quae ſcribit *Diodorus Lib. I.* ab Aegypriis videlicet Iovem πνεῦμα *ſpiritum* adpellari ὃν αἴτιον ὄντα τοῦ ψυχικοῦ τοῖς ζώοις ἐνόμισαν ὑπάρχειν πάντων οἱονεὶ πατέρα. *Quod vis animalis in viventibus ab eo tamquam auctore proficiſcatur, ideoque omnium quaſi parens exiſtimetur*, id quod a *Plutarcho De Iſide & Oſiride* confirmatur.

Verum & in divinis eloquiis venti foecunditas, viſque genitabilis aperte diſerteque indicatur, ut quum *Pſalm.* XXXII. dicitur: *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terrae.* Et *Iudith XVI.* dicitur Deo: *Quia dixiſti & fa-*

cta

Digitized by Google

cta ſunt; miſiſti ſpiritum tuum & creata ſunt: ſeu ut Graecus contextus habet: ὅτι εἶπας, καὶ ἐγενήθησαν· ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου, καὶ ᾠκοδόμησε. *Quia dixiſti & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & aedificavit.*

Quamobrem quum natura prope comparatum ſit, ut unuſquiſque dicta ſubobſcura, & ambigua documenta ſecundum opiniones & praeiudicia, quibus praeoccupatus eſt, ediſſerat atque interpretetur, quod & peſſimo exemplo apud noſtros in Scripturis exponendis invaluit, Platonici enim, Platonice; Ariſtotelei, iuxta Ariſtotelis placita; nunc autem Carteſiani & νεώτεριкοὶ ſecundum recens excogitatas doctrinas enarrant: cui dubium eſſe poſſit a vetuſtiſſimis etiam Sapientibus coeleſtia ſcripturarum oracula ſecundum praeceptas opiniones intelligi potuiſſe? atque ita ſententiam illam inducere, quam Vates nobiliſſimus *Lib. VI. Aeneidos* ita eleganter exponit:

> *Principio coelum, ac terras, campoſque liquentes,*
> *Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra*
> *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

C A P V T VI.

An alio quoque ſenſu Moſis verbis acceptis in Animae cuiuſdam generalis ſubſpicionem Ethnici venire potuerint.

QVod ſi Moſis verba eo ſenſu potius Ethnici Sapientes intellexiſſent, quem *Hieronymus* in *Ebraicis Quaeſtionibus* tradit, facilius atque expeditius ſpiritum illum eſſe foecundantem & ζωοποιοῦντα comprehendere poterant, atque animam inde quamdam Vniverſitatis arguere, quod & noſtrorum aliquos feciſſe *Hieronymus* ipſe teſtatur. Doctiſſimi Scriptoris verba ſunt: *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Pro eo quod in noſtris Codicibus ſcriptum eſt ferebatur, in Ebraeo habet* מרחפת *Merahephet: quod nos adpellare poſſumus incubabat, ſive confovebat, in ſimilitudinem volucris, ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de ſpiritu Mundi dici, ut nonnulli*

nulli arbitrantur, ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe vivificator a principio dicitur. Iſthuc ipſum *Auguſtinus Libro I. De Geneſi ad Literam cap.* XVIII. animadvertebat, quamquam *D. Ambroſius Lib. I. Hexaemer. cap.* VIII. & *Richar. Simonius Lib. III. Hiſt. Crit. V. T. cap.* III. notant hanc Hieronymi ſententiam magis ſecundum Syriacae linguae proprietatem, quam ſecundum Ebraicum idioma ſubſiſtere, ſuper quo tamen conſulatur etiam *Martianaeus in ſua nova editione Operum D. Hieronymi*.

Et quidem ita illum Moſis locum, vel, quae eo continetur, doctrinam ab antiquis Sapientibus intellectum fuiſſe, duo forte in cauſſa ſint cur quis ſubſpicetur. Vnum quod ſub ovi imagine mundi generationem ſignificarunt: alterum, quod amorem, qui omnia foecundat ac gignit, chaos & materiam ſuis alis ſupervolitantem induxere. Et quod primum adtinet, ovum in *Orphicis* ἀρχὴ γενέσεως, *initium generationis* eſſe dicitur, memorante *Plutarcho Sympoſiacon II cap.* III. & *Athenagora*. *Pſeudo-Sanchuniathon* vero apud *Euſebium Lib. I.* Προπαρασκ. *cap.* X. ait in limo animantia, ideſt, ſidera, velut in ovo fuiſſe, quod quidem probabile eſt *Philonem* Byblium a Phoenicibus accepiſſe, nam & ipſe Phoenix. *Plutarchus* vero docet Oromaſden iuxta Perſica dogmata feciſſe ſtellas, & bonos deos, inque ovo poſuiſſe. Heinc Thebaidos incolae Deum Mundi opificem repraeſentare volentes efformabant eum ovum ore effundentem: ἑρμηνεύουσι δὲ τὸ ᾠὸν τὸν κόσμον, *ovum autem interpretantur mundum*, ut *Porphyrius* ait. Et de ortu rerum ex ovo philoſophicam quamdam archaeologiam apud Sinenſes etiam exſiſtere notat *Burnettus Par. I. Archaeolog. Philoſ. cap.* III. Hac de cauſſa Deorum paſſim apud Syros ex ovis generatio, aſtrorum ſcilicet: unde *Arnobius*: *Ovorum progenies dii Syrii*. *Nigidius* autem apud Scholiaſten Germanici haec habet. *Ibi ovum inveniſſe mirae magnitudinis; quod volventes eiecerunt in terram, atque ita columbam inſediſſe, & poſt aliquot dies excluſiſſe Deam Syriae, quae vocatur Venus*. Similia habet *Lucius Ampelius* Libro ad Macrinum: *Dicitur & in Euphratis fluvio ovum piſcis columba adſediſſe dies plurimos, & excluſiſſe deam benignam & miſericordem hominibus*

nibus ad bonam vitam. Ovum quoque Mundi ſimulacrum eſt *Macrobio Lib.* VII. *Saturn. cap.* XVI. Et *Proclus* in *Timaeum* eadem eſſe ait, τὸ Ορφικὸν ὠὸν, καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ὄν, *Orphei ovum, & Platonis Quod eſt*. Cum ovo Mundum etiam *Varro* comparat in *Logiſtorico*, qui *Tubero*, ſive *De Origine humana* inſcribitur, apud *Probum* in *Eclog. VI. Coelum eſt teſta*, inquit, *item vitellum, terra; inter illa duo humor, quaſi ilcinus* (in ſinum) *cluſus aëri, in quo calor*. Sed referamus quae *Plutarchus* loco laudato his verbis uſus ait: Ορφικὸς καὶ ἱερὸς λόγος ὐκ ὄρνιθος μόνον τὸ ὠὸν ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ συλλαβῶν ἅπασαν αὐτῷ τὴν ἁπάντων ὁμῦ πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι. *Orphica & ſacra oratio, non modo gallina antiquius facit ovum; ſed & ei omnium in univerſum rerum principium ac ortum adtribuit*. Amorem autem Deorum omnium antiquiſſimum, quod ſecundo loco obſervandum fuit, & veluti rudem & indigeſtam rerum materiam formantem induxere Phoenices, & cum eis *Heſiodus* in Theogonia, & *Parmenides*, & *Auctor* Argonauticorum, quae ſub Orphei nomine circumferuntur, & *Ariſtophanes* in *Avibus* conſervatus a *Luciano* in *Philopatride*, & *Suida*, cuius quidem verſus operae pretium duxi heic exſcribere:

Χάος ἦν καὶ νὺξ Ερεβός τε μέλας πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς·
Γῆ δ' ὐδ' ἀὴρ, ὐδ' ὐρανὸς ἦν Ερέβου δ' ἐν ἀπείρασι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠὸν.
Εξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ερως ὁ ποθεινὸς.
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώδεσι δίναις.
Οὗτος δὲ χάει πτερόεντι μιχθεὶς νυχίῳ, κατὰ Τάρταρον εὐρὺν,
Ενεόττευσεν γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς·
Πρότερον δ' ὐκ ἦν γένος ἀθανάτων πρὶν Ερως συνέμιξεν ἅπαντα.
Συμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις γένετ' ὐρανὸς ὠκεανός τε
Καὶ γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον.

Chaos, & nox primum erat atque Erebus nigricans, &
Tartarus ingens:
Nec humus, nec coelum erat, aut aër, tunc ceu vi flaminis ovum
Gremium ſuper infinitum Erebi peperit nox decolor alis:
Ex quo bonus inde emerſit Amor circumvolventibus horis,
Ra-

Radians tergo aureolis pennis, par magni turbinis aurae:
Qui deinde volans miſtuſque Chao, ſtabat qua Tartarus, atro.
Noſtrum genus edit, & in dias producit luminis oras.
Neque enim Divûm genus ante fuit, quam iunxit cuncta Cupido:
Simul atque haec ſunt aliis commiſta alia, aether prodit, & aequor,
Et terra, beatorumque Deum genus immortale.

Imo ab hac eadem ſententia non diſcrepaſſe Aegyptios arbitratur *Plutarchus Lib. De Iſide & Oſiride.*

Sed utro ſenſu Moſis verba & doctrinam intelligere potuerint Antiqui, prope certum eſſe videtur ex eiuſmodi placito de Mundi anima opinionem defluxiſſe. Id enim multiplici ratione inſinuatur. Et primum ex Phoenicum Theologia deducimus, qui animum in illam Moſis ſententiam, quum de principiis agerent, intendiſſe ſe produnt apud *Euſebium Lib. I. Praepar. Evang. cap.* x. Eorum enim Theologia *τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν, καὶ ἐρεβῶδες. ταῦτα δὲ εἶναι ἄπειρα καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας. ὅτι δέ, φασιν, ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκείνη ἐκλήθη πόθος. αὕτη δὲ ἀρχὴ κτίσεως ἁπάντων. Principium huius Univerſi ponit aërem tenebroſum & ſpiritalem, ſive ſpiritum aëris tenebroſi, & Chaos turbidum ac involutum. Haec porro infinita fuiſſe, multoque tempore ignara termini. At ubi ſpiritus amore principiorum ſuorum tactus eſt, factaque eſt inde mixtio, huic nexui nomen factum Cupidinis. Tale fuit initium procreationis rerum omnium.* Etſi vero *περὶ γνησιότητος* hiſtoriarum *Sanchuniathonis* a Philone Byblio in Graecam linguam converſarum dubitare lubeat; tamen iis, qualeſcumque illae eſſent, Phoenicum res, & opiniones contentas fuiſſe admodum veriſimile eſt. Heic autem videmus Spiritum quemdam invehi, qui formam materiae infinitae & inordinatae induxerit, & nonniſi veluti anima quaedam conſiderari poſſit; quemadmodum & apud Platonicos anima ſemper fuit cum indigeſta materia commiſta etiam antequam mundus procreatus eſſet, ut apud *Plutar-*

tarchum de Procreat. Anim. videre eſt. Secundum argumentum exſiſtit ex *Heracliti* opinione. Ille enim cenſuit mundi animam ex aquae vaporibus conſtitiſſe, auctore laudato *Plutarcho Lib. IV. De Placitis*: Ἡράκλειτος, inquit, τὴν μὲν τοῦ κόσμου ψυχὴν ἀναθυμίασιν ἐκ τῶν ἐν αὐτῷ ὑγρῶν, τὴν δὲ ἐν τοῖς ζώοις, ἀπὸ τῆς ἐκτὸς καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀναθυμιάσεως ὁμογενῆ. *Heraclitus mundi animam vaporem ex humoribus, qui in eo ſunt, exhalantem eſſe cenſuit; eam vero, quae eſt in animantibus ex extrinſeco, & ex iis intrinſeco vapore, eiuſdem cum illa generis conſtare. Ariſtoteles* vero *Libro I. De Anima* ita de eodem Philoſopho ſcribit: Ἡράκλειτος δὲ τὴν ἀρχὴν εἶναί φησι τὴν ψυχὴν, εἴπερ ἀναθυμίασιν, ἐξ ἧς τἄλλα συνίστησι. καὶ γὰρ ἀσωματώτατον δὴ καὶ ῥέον ἀεί. τὸ δὲ κινούμενον κινουμένῳ γινώσκεσθαι. ἐν κινήσει δ' εἶναι τὰ ὄντα, κἀκεῖνος ᾤετο καὶ οἱ πολλοί. *Heraclitus autem animam principium eſſe dicit, ſiquidem vaporem, ex quo alia conſtituit: & maxime etiam incorporeum & fluens ſemper: quod autem movetur, eo quod movetur, cognoſci: in motu autem eſſe quae ſunt, & ille arbitrabatur, & multi*. Quare illud Heracliti apud *Porphyrium De Nympharum Antro* legitur: Ψυχῇσι φάναι τέρψιν μὴ θάνατον ὑγρῇσι γενέσθαι. *Animabus videri oblectamentum, non mortem, quum humidae naſcuntur*. Sic *Pythagoras* vapore ſenſum, animamque conſtare dixit apud *Laërtium* in *Vita*. Sed multo ante *Homerus* animam vaporem adpellaverat *Iliad. κ'*.

. . . . . ἄσθ' ἀϋτμὴ
Ἐν στήθεσσι μένῃ.
. . . . . *Donec vapor intus in altis*
Pectoribus maneat.

Vapor autem, & ſpiritus fere idem apud Antiquos. Sic Stoici definiebant animam, ſpiritum cognatum, & exhalationem ſenſibus praeditam, quae ex humore corporis accendatur, ut videre eſt apud *Plutarchum De Homero:* Veteribus enim adcreditum fuerat aërem eſſe veluti aquae exhalationem quamdam, atque vaporem, unde *Ariſtoteles Lib. IV. Phyſic. cap.* v. aquam dicit aëris materiam, τὸ μὲν ὕδωρ ὕλη ἀέρος, idque animadvertebat etiam *Galenus* περὶ χυμῶν. Sic *Cicero II. De Natura Deorum*: *Ex aqua, oritur aër*; & *Ovidius Lib. Metamorphoſ. XV.*

Digitized by Google

. . . . . . tenuatus in auras,
Aëraque humor abit.

Manilius autem *I. Aſtronomicon:*

Aequora profudit toto naſcentia ponto,
Vt liquor exhalet tenuis, atque evomat auras,
Aëraque ex ipſa ducentem ſemina paſcat.

Non alia de cauſſa, ut *Plutarchus* exiſtimat, *Homerus Odyſſ. δ'.* vim humidam ventorum dicit:

Τὴν μὲν ἄρ' οὔτ' ἀνέμων διάει μένος ὑγρὸν ἀέντων.
Hanc neque ventorum penetrat vis humida flantum.

Quae quidem quum vera ſint, quam facile intelligitur mundi anima, ubi Moſes dicit: *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas!* Tertium argumentum ex eo elicitur, quod *Numenius* Apameenſis apud *Porphyrium De Nympharum Antro* ad confirmandam de aquarum foecunditate, & vi genitabili, & myſtico animarum per eas ad generationem tranſitu ſententiam hoc ipſum Moſaicum effatum adlegat; eaque de cauſa aquam divino Spiritu fotam θεόπνοον adpellat, quod quidem oſtendit Ethnicos Philoſophos illum Scripturae locum non oſcitanter profecto, nec tralatitie legiſſe, & huiuſmodi placitum, quomodocumque ad eos pervenerit, plurimi feciſſe. Id autem mihi in mentem revocat, quod non parum nos iuvare deprehenditur, *Thaletem* videlicet, qui Moſis, & Phoenicum ſententiam ſequutus eſſe videtur rerum omnium principium aquam conſtituens, animam quoque Mundi invexiſſe, ut luculentus auctor eſt in eius Vita *Diogenes*; & eius poſtea in hoc veſtigiis inſtiterunt omnes, qui ſequuti ſunt Philoſophi, ſi paucos, ut *Democritum, Leucippum, Epicurum, Ariſtotelem* excipias, quod ſcribit *Plutarchus Lib. II. De Placit. cap.* III.

Sed eo proclivius fortaſſe Ethnici Sapientes ſibi perſuadere potuiſſent eo Moſis loco animam quamdam generalem inſinuari, ſi apud eumdem Moſen comperiſſent, Deum terrae & aquis iuſſiſſe, ut herbis arboreſque germinarent, atque omnium animantium ſaecula funderent. Qui enim animantes & viventium genera aquae telluſque emittere ac gignere poterant, niſi in ſe quoque vitam & animam, quam

aliis

aliis impertirent, complecterentur? Ita enim illi ratiocinari conſuevere. Inde eſt quod Socrates apud *Platonem in Philebo*, & apud *Xenophontem* interrogat, quod & *M. Tullius* in Libris *De Natura Deorum* obſervabat, ſi mundus animam non habet, unde nos illam adripuerimus? Quare *Virgilius Lib. IV. Georgicon* canebat:

. . . . . Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, coelumque profundum.
Heinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Quibus ſimilia pariter habet *Lib. VI. Aeneidos*: quomodocumque iſta omnia accipi debere *Plotinus* contendat *Libro De dubiis Animae I.* Faciunt quae diſſerit eloquentiſſimus *Iohannes Homil. III. in Geneſin*, ubi quum Spiritus Dei nomine vitalem & efficacem quamdam operationem in aquis inſiſtentem intellexiſſet, locum illum Moſis ulterius explanando ſubdit: *Et Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas. Idque non abſque ratione ſcriptura divina praeveniendo dicit, eo quod poſtea dictura eſt nobis, quod animalia ex aquis iſtis iuxta praeceptum Dei omnium conditoris producta ſint: propterea auditorem heic nunc docet, quod non ſolum aqua illa ſit condita; ſed & quod moveatur, & diſcurrat, & omnia adluat.*

Heic autem animadverſum velim, iſta omnia, quae diſſeruimus, iuvari quam maxime ex eo quod planum & perſpicuum ſit ea ipſa, quae Moſes habet de Mundi ortu & origine, in omnium fere gentium notitiam, quomodocumque id contigerit, deveniſſe: omneſque veteres Scriptores ei in hoc ad miraculum concinere. Concinunt ei ſiquidem Phoenices, *Homerus*, *Heſiodus*, ut de *Orpheo & Lino* taceam, *Pherecydes*, *Anaximander*, *Thales*, *Indi*, *Aegyptii*, *Anaxagoras*, *Apollonius Rhodius*, *Ennius*, *Virgilius*, *Ovidius*, aliique quamplurimi, a quorum dictis deſcribendis brevitati conſulentes dedita opera abſtinemus.

Non mirum igitur, neque vero abſimile ex eo Moſis loco, & Iudaica de Spiritu Sancto doctrina [Iudaei enim de Spiritu Sancto ita loquebantur, ut animam quamdam generalem inducere viderentur, quemadmodum liquet ex *cap.* 1.

Digitized by Google

Sapientiae: πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hic, qui continet omnia, ſcientiam habet vocis*] Ethnicos Sapientes animam mundi intelligere potuiſſe, quod recte animadvertiſſe etiam videri poteſt *Arnaldus* Abbas Bonaevallis Sermone *De Spiritu Sancto*. *Hic Spiritus Sanctus*, inquit, *ab ipſo mundi initio aquis legitur ſuperfuſus, non materialibus aquis quaſi vehiculo egens, quas potius ipſe ferebat, & complectentibus firmamentum dabat congruum motum, & limitem praefinitum. Huius ſempiterna virtus & divinitas quum in propria natura ab inquiſitoribus mundi antiquis Philoſophis proprie inveſtigari non poſſet, ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt coniecturis compoſitionem mundi, compoſitis & diſtinctis elementorum adfectibus praeſentem omnibus animam adfuiſſe, quae ſecundum genus & ordinem ſingulorum vitam praeberet, & motum, & intranſgreſſibiles figeret metas, & ſtabilitatem adſignaret, & uſum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum eſſentiam animam mundi Philoſophi vocaverunt, putantes coeleſtia corpora, Solem dico, & Lunam, & Stellas, ipſumque firmamentum huius animae virtute moveri, & regi, & aquas, & terram, & aërem huius ſemine impraegnari, qui ſi Spiritum, & dominum, & creatorem, & vivificatorem, & nutritorem crederent omnium, quae ſub ipſo ſunt, convenientem haberent ad fidem acceſſum.* Et quamquam *Arnaldus* a ſententia *Abaëlardi*, qui Spiritum Sanctum mundi eſſe animam perperam adſerebat, quamplurimum abeſſe dignoſcatur, tamen ex intervallo ſubdit. *Hic Spiritus Sanctus omnium viventium anima, ita largitate ſua ſe omnibus abundanter infundit, ut habeant omnia rationabilia & inrationabilia ſecundum genus ſuum ex eo quod ſunt, & quod in ſuo ordine ſuae naturae competentia agunt: non quod ipſe ſit ſubſtantialis anima ſingulis, & in ſe ſingulariter manens: de plenitudine ſua diſtributor magnificus, proprias efficientias ſingulis dividit & largitur, & quaſi Sol omnia calefaciens ſubiecta, omnia nutrit, & abſque ulla ſui diminutione integritatem ſuam de inexhauſta abundantia, quod ſatis eſt & ſufficit, omnibus commodat & impartit.*

CA-

Digitized by Google

C A P V T VII.

An mundum eſſe animatum adfirmare, ſit divinis oraculis contrarium.

SEd quis adrepta heinc occaſione fortaſſe nunc quaerat, an mundum anima eſſe praeditum adfirmare, arcanarum literarum oraculis adverſetur? Haudquaquam profecto, ſi magno *Auguſtino* fidem adhibere lubet, qui *Lib. I. Retract. cap.* 11. ita ſcriptum reliquit: *Si autem infima pulcritudo in omnibus corporibus intelligatur, cogit iſta ſententia etiam ipſum mundum animal credere, ut etiam idipſum, quod in illo imitatur conſtantiam, a ſummo Deo per animam traiiciatur: ſed animal eſſe iſtum mundum ſicut Plato ſenſit, aliique Philoſophi quamplurimi, nec ratione certa indagare potui, nec ſcripturarum divinarum auctoritate perſuaderi poſſe cognovi. Vnde tale aliquid a me dictum* [Libro ſcilicet *VI. De Muſica*] *quo id accipi poſſit, etiam in libro de immortalitate animae temere dictum notavi. Non quia hoc falſum eſſe confirmo, ſed quia nec verum eſſe comprehendo quod ſit animal mundus. Hoc ſane inconcuſſe retinendum eſſe non dubito, Deum nobis non eſſe iſtum mundum, ſive anima eius ulla, ſive nulla ſit.* Non tantum autem memoratis libris, ſed etiam eo, quem *De Vera Religione* inſcripſit, eamdem ſententiam inſinuaverat, mundi animam quamdam eſſe ſubindicans, quare & iſte eadem cenſura caſtigatur. Heinc eſt, quod *Severinus Boetius Lib. III. De Conſolat. Philoſ.* mundum anima eſſe praeditum adſeverat; atque iſthuc ipſum non ita pridem *Hieron. Vitalius*, e Clericorum Regularium familia Sacerdos, variis multiplicibuſque rationibus oſtendere adgreſſus eſt.

Nec unquam, quod ſciam, haec ſententia ab Eccleſia reprobata eſt, aut erroris divinis literis adverſantis, vel poſt Auguſtini tempora, revicta. Nam nec Aſtra, & Lunam, & Solem, qui mente exornari adſerebant, Synhodus Conſtantinopolitana II. condemnavit in *Origene*, quamquam *Iuſtinianus* Auguſtus Epiſtola ad Mennam Conſtanti-

nopoleos Patriarcham in illum ob hoc ipſum acerrime invectus eſt: quam Epiſtolam *Vigilio* Romano Pontifici probatam fuiſſe *Liberatus cap* xxiii. auctor eſt. Ceterum quum *Iuſtinianus* in Epiſtola, quam ad Synhodum Conſtantinopolitanam dedit, non efflagitet ut *Origenes* cum aſſeclis condemnetur niſi ob errores, quos *Expoſitio*, quam contra tria Capitula ſubiicit, continet, & in quibus de opinione, quae aſtra animata eſſe cenſet, nulla mentio eſt: & inſuper memorata Synhodus *Can. XI.* ſimul omnes devoveat haereticos illos, *Arium*, *Eunomium*, *Macedonium*, *Apollinarium*, *Neſtorium*, *Eutychen*, & *Origenem* μετὰ τῶν ἀσεβῶν αὐτῶν συγγραμμάτων: non videtur ea, quam diximus, de cauſſa *Origenes* condemnatus fuiſſe, ſed ob falſam tantum doctrinam, quae praedictorum haereticorum placitis concinere & ſuffragari, vel Eccleſiaſticis dogmatis adverſari exiſtimata eſt. Quin & *Photius* de Origenis, & Didymi & Evagrii eius aſſeclarum damnatione agens, quum praeter eos qui divinitatem reſpiciunt, quoſdam alios ipſius errores recenſeat, nullam de anima ſphaeris & ſideribus ab eo adſerta mentionem facit. Hac quidem ſuper re coniecturis innixi diſſeruimus, nam acta laudatae Synhodi, quibus Origenis reprobatio continetur, fuiſſe ab Origeniſtis reciſa ac detruncata ſunt viri docti qui adfirment. Si autem *Nicephori Lib. XVII. cap.* xxvii. fidem ſequi iubet, ut *Chriſt. Lupus* facit, & canonem, qui aſtra mente exornari negat contra Origenem, V. Synhodo adprobatum confirmatumque fuiſſe exiſtimandum eſt, id non alia de cauſſa contigiſſe videtur, quam quia *Origenes* adſeverabat ſidera quoque olim a ſervitute corruptionis in libertatem filiorum Dei vindicatum iri, ut ſcribit *Hieronymus Epiſt. LXI. contra Iohannem Hieroſolymit.* quare in ea ſententia hic tantum error damnatus intelligitur.

Et quidem non videtur veroſimile Eccleſiam improbaſſe dogma, quod quibuſdam clariſſimis Eccleſiae Scriptoribus adriſerat, ut, praeter *Origenem Lib. I.* περὶ ἀρχῶν, *Hieronymo in Commentariis in Eccleſiaſten*, *Fauſto Regienſi* in libello, quo nihil praeter Deum incorporeum eſſe contendit, & *Severino Boetio De Conſolat. Phil. Lib. III.* & quod ſacris ora-

culis

Digitized by Google

culis repugnare manifeſte non deprehenditur: quare magnus *Auguſtinus* ancipitem ſe in hoc perpetuum traduxit, ut videre eſt *Enchiridii cap.* LVI. *Lib. XIII. De Civit. Dei cap.* XVI. *Lib. II. De Geneſ. ad literam cap. ultimo, & Adverſus Origen. ad Oroſium cap.* XI. Immo praeſtantiſſimus *Thomas I. I. Quaeſt. LXX. Art.* III. ſcribit & animadvertit diſſentientes hac ſuper re Philoſophos verbis tantum diſcrepare, re tamen convenire; quum nemo fere Chriſtianorum Sapientum, animis coeleſtes orbes regi ac moveri diffiteatur. De modo enim ac ratione tantum, qua illi ab animis pendeant, & certis converſionibus agitentur, quaeſtiones controverſiaeque excitantur. Eius verba ſunt, quae ſequuntur: *Sic igitur patet, quod corpora coeleſtia non ſunt animata eo modo quo plantae & animalia, ſed aequivoce. Unde inter ponentes ea animata, & ponentes ea inanimata, pauca vel nulla differentia invenitur in re, ſed in voce tantum.* Non abſimilia habet *II. contra Gentes cap.* LXX. Et placitum, quod animas ſideribus tribuit, Catholico dogmati non repugnare adgnoſcunt etiam *Scotus II. Diſt. XIV. Quaeſt. I. Pet. Aureolus in II. Sent. Diſt. XIV. Quaeſt. II. artic.* II. *H. Noriſius Vindic. Auguſtin. cap.* IV. §. II. Quaeri ſolet ab Eruditis an veteribus quoque Ebraeis aſtra eſſe animata viſum fuerit. *Origenes* adfirmat *Lib. De Prece* §. XXIV. at id difficile eſt ſacrarum literarum auctoritate demonſtrare. *Philo* quidem Iudaeus *Lib. I. De Monarchia* Stellas anima & mente praeditas cenſuit, ſed Platoniſſare forte videatur. Eiuſmodi tamen conſultum apud Chaldaeos erat, ut *Stanleius* etiam *Lib. I. Hiſt. Philoſ. Oriental. Sect. II. cap.* XVII. notabat. Apud Arabas quoque, ut conligitur ex *cap.* XV. *Iobi verſ.* 15. *& Auguſtino Lib. ad Oroſ. contra Priſcill. & Origen.* Et καθόλου omnes in ea opinione erant, qui ſtellas Deos eſſe putabant, & divinis honoribus proſequebantur.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Platonem non omnia literis mandaviſſe: eius item ſcripta quaedam intercidiſſe.

SEd ut ad propoſitum revertamur, certum exploratumque eſt antiquis Eccleſiae Patribus viſam eſſe mundi animam, quae a Platone aliiſque inferebatur, tertiae Trinitatis perſonae reſpondere poſſe quodammodo, ut *Iuſtino*, *Clementi Alexandrino*, *Euſebio*, & inter ceteros *Gregorio* Nazianzeno, qui *Oratione XXXVII.* de Spiritu Sancto agens ita ſcribit: Ελλήνων δὲ οἱ θεολογικώτεροι καὶ μᾶλλον ἡμῖν προσεγγίσαντες, ἐφαντάσθησαν μὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, περὶ δὲ τὴν κλῆσιν διηνέχθησαν, νῦν τοῦ παντὸς, καὶ τὸν θύραθεν νοῦν, καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύσαντες. *Qui autem apud Ethnicos Theologiae laude magis excelluerunt, propiuſque ad nos acceſſerunt, per imaginem quamdam, meo quidem iudicio, conceperunt, tametſi in nomine diſſenſerint, univerſitatis nempe mentem, & extrinſecam mentem, aliiſque id genus nominibus eum adpellantes.* Verum non adeo nomina inter ſe diſtant, ut facile convenire non poſſint.

Adde quod *Plotinus* duas mundi animas inducit, unam quidem, quae eſt ὑπερκόσμιος, quam & ſummo Deo conſubſtantiatem dicit, adeoque aeternam, & prope per omnia Sancto Spiritui reſpondentem; alteram vero ἐγκόσμιον. Sed hanc eſſe Platonis ſententiam negat *Clericus*, fidemque Plotino abrogat, qui certe, opinor, melius Platonica decreta noverat, quam, vir alioquin eruditiſſimus, *Clericus*. At ſex totis ſaeculis *Plotinus* a Platonis aetate diſtat: non poterat igitur Platonis ſententiam exploratiorem habere, quam nos. At nos totis viginti & amplius abſumus: quare pro Plotino temporis praerogativa praeiudicat. At in Platonis dialogis animam ὑπερκόσμιον invenire non eſt. Numquid *Plato* omnia quae ſibi placuerant, literarum monumentis commendavit? Sufficit eius epiſtolas ad Dionyſium vel oſcitanter evolviſſe, ut quis primore adſpectu intelligat, quamplurima quae ad divina myſteria pertinent, literis illum mandare noluiſſe, ne cunctis di-

vul-

vulgata vileſcerent, atque oſtentui haberentur. Pythagoreorum in hoc imitator fuit, qui ſilentium arcanorum ſibi cuſtodem elegerant, nec myſteria literis conſignabant, ut videre eſt apud *Iamblichum* in *Vita Pythagorae*.

Sed etſi omnia ſcripſiſſet *Plato*, cuncta ne eius ſcripta aetatem tulerunt? nonne, ut eas praeteream, de quibus *Menagius* dubitat, &, ut videtur, ſine cauſa, epiſtola ad *Seniorem Dionyſium* deſideratur? Nonne aliae eiuſdem epiſtolae interciderunt, ut ex *Archytae* ad Platonem literis, & *Satyro*, & *Laërtio* in *Pythagora*, & *Philolao* conſtat? Nonne quaedam ex Platone citat *Ariſtoteles*, quae hodie apud Platonem non comparent, ut *Iſ Caſaubonus ad Athenaeum Lib. V. cap.* xvii. obſervavit? Sed ex ἀγράφων συνουσιῶν Platonis profecerit Ariſtoteles, ut videtur *Franc. Patricio Tom. III. Diſcuſs. Peripat. Lib IV.* res eodem recidit. *Platonis* quoque inventa Geometrica in eius dialogis fruſtra quaeſieris: & tamen plurima fuiſſe liquet, ut vel *Theonis* Smyrnaei libros evolventi ſtatim elucet. Terram circa Solem moveri ex Pythagoreorum ſententia Plato iam ſenex adſeruit, ut ſcribit *Plutarchus* in *Numa*, & in *Quaeſtionibus Platonicis* ex Theophraſto *Quaeſt. VII.* quod quidem in eius, qui ſuperſunt, libris haud facile fuerit reperire: quamquam id a Platone in *Timaeo* dici, ſed paulo obſcurius, arbitrati ſunt quidam, ut ait *Cicero* in *Lucullo*. *Theophraſtus* tamen apud Plutarchum loco citato diſerte ait Platonem iam natu grandem poenitentia fuiſſe ductum, quod terram in medio univerſi, non ſuo loco conlocaviſſet.

At ſi multa docuit *Plato*, quae ſcripta certe non reliquit, nonne ex eorum, qui eius praelectionibus & conloquiis interfuere, traditione quis potuit illa cognoſcere? Quot libros ſcripſit Ariſtoteles praeter eos, quos habemus, qui omnes interciderunt? Subficit legiſſe eorum catalogum apud *Laërtium*, vel potius apud *Ioh. Albertum Fabricium* in ſua *Bibliotheca Graeca*. Quot Speuſippus? quot Xenocrates? In quibus omnibus multa Platonis conſulta referri poterant, quae nos, voluminibus illis deperditis, prorſus ignoramus. At omnia haec *Platonis*, & Auctorum, quos memoravimus, ſcripta Plotini temporibus integra atque inviolata forte circumfereban-

rebantur, quum nondum Barbarae gentes oras regioneſque Europae cultiſſimas vaſtaſſent, & omnia ferro flammiſque deleviſſent.

Sed quorſum hae orationis ambages? ſi probe & diligenter Platonis dialogi evolvantur, Plotini ſententiam in iis extare atque eminere deprehendetur. *Libro* enim *X. De Legibus* praeſtantiſſimus ille Philoſophus docet non pauciores quam duas animas in Mundo ſtatui debere, unam beneficam, contrariam alteram. Et illam quidem intellectu uſam motuum & converſionum, quae ſemper ſimiles ſunt, & eodem modo ſe habent, eſſe cauſſam, quam & optimam dicit; hanc vero eorum motuum, qui temere & ſine ordine fiunt: illam ideo omni virtute refertam coeleſtibus motionibus praeeſſe; hanc aliis. Id animadvertit etiam *Plutarchus De Iſide & Oſiride*, & faciunt quae habet *Porphyrius De Nympharum Antro*. Πίθου νοουμένης, inquit, *καὶ παρὰ Πλάτωνι ἐν Γοργίᾳ τῆς ψυχῆς. καὶ τῆς μὲν καλοεργέτιδος, τῆς δὲ κακοεργέτιδος· καὶ τῆς μὲν λογικῆς, τῆς δ' ἀλόγου. Sed & apud Platonem in Gorgia per dolium anima intelligitur: quarum alia benefica, alia maligna: alia rationalis, alia vero rationis eſt expers*: quare non video cur *Plotinus* optimam illam animam adpellare non potuerit *ſupermundanam*, utpote quae turbulento mundo, & humilibus infimiſque rebus minime praeſit, & Deo ſit conſubſtantialis. Certe hae ſunt cauſſae cur aliquid *ſupramundanum* adpelletur, ut videre eſt apud *Proclum* citatum a *Simplicio*, & deſcriptum a *Stanleio Lib. I. Philoſ. Oriental. Sect. II. cap.* XI. Illam autem animam eſſe Deo conſubſtantialem explicate ac perſpicue ex Platonis ſententia docet etiam *Plutarchus* in *Quaeſtion. Platonicis Quaeſt. I. Anima autem*, inquit, *mentis, rationis, concentuſque particeps, non opus modo, ſed & pars Dei eſt, neque ab ipſo facta, ſed de ipſo, & ex ipſo exſtitit*. Ἡ δὲ ψυχὴ. *νοῦ μετασχοῦσα καὶ λογισμοῦ καὶ ἁρμονίας, οὐκ ἔργον ἐστὶ τοῦ θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος, οὐδ' ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ γέγονεν*. Quare paulo ante dixerat Deum magnam ſuae divinitatis partem mundo inſeruiſſe, de mundo enim loquens ait: *ἀλλ' ἔστιν αὐτῷ μοῖρα πολλὴ ζωότητος καὶ θεότητος, ἣν ὁ θεὸς ἐγκατέσπειρεν ἀφ' ἑαυτοῦ τῇ ὕλῃ καὶ κατέμιξεν*. Et ut Platonis ſententia probe intel-

telligatur, animadvertendum eſt ideo ab eo in legibus animam quamdam inordinatam dici, & maleficam, quod animae nomine ſignificet vim quamdam mentis expertem, quae incompoſitam, aeſtuantem, & informem rerum omnium materiam temere & inordinate moveret atque agitaret, ut ſolerter obſervat laudatus *Plutarchus Quaeſt. Platon. III. & Lib. De Procreatione Animi*. Illam autem Deus, quum mundum fabricaturus eſſet, mente, & ratione, & harmonia exornavit. Et haec quidem mens & ratio, anima illa eſſe videtur Deo, ſecundum Platonicos, conſubſtantialis.

C A P V T IX.

Clementis Alexandrini quaedam exponuntur.

ISthuc autem ipſum quod *Plotinus* docet, ut id obiter notem, mihi in memoriam revocat *Photii* monumentum *Cod. CIX.* ubi refert *Clementem* Alexandrinum in *Libris ὑποτυπώσεων* duas Dei *Rationes* ſeu *Sermones* induxiſſe, eoſque impares, quorum alter minor, atque deterioris conditionis, naturam humanam adſumſerit. Verba *Photii* ſunt: λόγουστε τῦ πατρὸς δυὸ τερατολογῶν ἀπελέγχεται, ὧν τὸν ἥττονα τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφανῆναι. μᾶλλον δὲ ὐδὲ ἐκεῖνον, φησι γὰρ· λέγεται μὲν καὶ ὁ ὑιὸς λόγος ὁμονύμως τῷ πατρικῷ λόγῳ, ἀλλ' ὐχ οὗτός ἐστι ὁ σὰρξ γενόμενος, ὐδὲ μὴν ὁ πατρῷος λόγος, ἡ δύναμίς τις τῦ Θεῦ οἷον ἀπόῤῥοια τῦ λόγου αὐτῦ, νῦς γενόμενος τὰς τῶν ἀνθρώπων καρδίας διαπεφοίτηκε. Hoc eſt: *Duas autem eſſe rationes Patris abſurde differentem eum deprehendere eſt, quarum minorem vult hominibus conſpicuam eſſe factam. imo ne hanc quidem, ait enim: Dicitur & Filius ratio ambigue cum paterna Ratione, ſed haec non eſt caro facta. Non enim paterna ratio, ſed potentia quaedam Dei, quaſi effluvium rationis eius mens facta, hominum corda pervaſit*. Haec ille. Sed vel Clementem *Photius* non intellexit, vel manifeſte calumniatur. Mentem certe Clementis adſequutus eſſe videtur *Ioh. Clericus*, qui *Epiſtola I num.* VII. caſtigata Photii cenſura recte docet, agere Clementem de λόγῳ triplici modo ſumto, aut pro Dei perfectione & proprietate, aut pro

Dei

Dei filio, aut pro mente ipſa humana, quae animos pervaſit, & corporibus iuncta, caro facta dicitur. Quod mirum non cogitaſſe etiam Vindeſorienſem Canonicum *Guil. Caveum* in *Vita Clementis*, ſed aliam viam eum defendendi, & quidem difficiliorem iniiſſe. Pertendit enim Photium ſequutum eſſe fidem codicum ab Haereticis depravatorum, nam nec Photius ipſe repugnat; quod & *Baronio*, *Natali Alexandro*, *Tillemontio*, *Nourrio* omnium maxime adridet.

C A P V T X.

Plato, *& alii Graeci Scriptores multa ab aliis ſubripuere, neve id profeſſi ſunt.*

VErum ad noſtram controverſiam quod adtinet, urget iterum *Clericus*, aitque: Si Plato, ſi Pythagoras, aliive a Iudaeis aliquid accepere, cur id ingenue non profitentur, ſed ſermones illos, quibus de iis, quae ex Ebraeis derivata eſſe creduntur, agunt, vel ſibi tantum, vel aliis prorſus adtribuunt? Ecce *Timaeus* Locrus ſic librum ſuum περὶ τᾶς ψυχᾶς καὶ κόσμου φύσιος incipit: Τίμαιος ὁ λοκρὸς τάδε ἔφα. *Timaeus Locrus haec dixit*. *Plato* quoque Timaeum tamquam ſua loquentem inducit, & paſſim Interloquutores ſuos Graecos habet, nihil autem unquam Iudaeis acceptum fert.

Sed quam languida & frigidiuſcula haec ſint, quis tam obtuſi pectoris ut non videat? Primum enim animadvertendum eſt moris fuiſſe antiquis, praefixo ſuo ipſis exordiis nomine, libros auſpicari. Huiuſmodi initio *Herodotus*, & *Thucydides* hiſtorias ſuas contexere adgreſſi ſunt: ſic & *Ocellus* Lucanus libellum ſuum, qui tamen videtur ὑποβολιμαῖος, exorditur: ſic *Alcmaeon* Crotoniates apud Laërtium ad ſcribendum adgreditur: Αλκμαίων κροτωνιάτης τάδε ἔλεξε, Περίθου υἱὸς, Βροντίνῳ, καὶ Λέοντι. καὶ Βαθύλλῳ. *Alcmaeon Crotoniates haec ait, Perithi F. Brontino, & Leoni, & Bathyllo*. Et, ut ad antiquiores adſcendam, omnia fere Iudaeorum Prophetarum volumina tale principium praeſeferunt. Id autem non tam ſignificat ea omnia, quae libris continentur, eſſe a Scriptore ipſo exco-

cogitata & inventa, quam literarum monumentis commendata. Quis enim ſibi perſuadeat nulli alii debuiſſe Pythagoricos pleraque eorum, quae ſcripta reliquerunt? Profecto quae de primo Deo, & Mente vel Idea commentati ſunt, Aegyptiis ſaltem vel Chaldaeis debebant, quorum ea fuit Theologia, ut iam tempeſtive demonſtratum eſt, quod *Clericus* ipſe non diffitetur.

Quam multa autem ab aliis clam Philoſophi, aliique Graeci Scriptores ſubripuerint, & ſibi ſubrepta vindicaverint, quicumque cognoſcere expetit, audiat *Porphyrium*, qui *De Erudito Auditu* ſcribens id apud *Euſebium* Caeſarienſem *Lib. X. Praepar. Evang. cap.* 1. late & luculenter oſtendit. Τὰ πλατώνεια, inquit, ἑστιῶν ἡμᾶς Λογγῖνος Ἀθήνησι κέκληκεν ἄλλους τε πολλοὺς καὶ Νικαγόραν τὸν σοφιστὴν, καὶ Μαιόρχν, Ἀπολλωνιόντε τὸν γραμματικὸν, καὶ Δημήτριον τὸν γεωμέτρην. Προσήνηντε τὸν περιπατητικὸν, καὶ τὸν στωικὸν Καλλιέτην. Μεθ' ὧν ἕβδομος αὐτὸς κατακλινθεὶς, τοῦ δείπνου προκόπτοντος καί τινος ζητήσεως περὶ Ἐφόρου ἐν τοῖς ἄλλοις γενομένης· ἀκούσωμεν, ἔφη, τίς ὁ περὶ Ἐφόρου θόρυβος. ἦσαν δὲ οἱ ζητοῦντες Καΰστριόστε, καὶ Μάξιμος· ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ Θεοπόμπου προὐτίθει· ὁ δὲ Καΰστριος κλέπτην ἀπεκάλει καὶ τί γὰρ Ἐφόρου ἴδιον, ἔφη, ἐκ τῶν Δαιμάχου, καὶ Καλλισθένους, καὶ Αναξιμένους αὐταῖς λέξεσιν, ἔστιν ὅτε. τρισχιλίους ὅλους μετατιθέντος στίχους; πρὸς ὃν ὁ γραμματικὸς Ἀπολλώνιος, ἔφη· οὐ γὰρ ἔγνως, ὅτι καὶ τὸν Θεόπομπον, ὃν συ προτιμᾷς κατείληφε τοῦτο τὸ πάθος ἐν μὲν τῇ ἑνδεκάτῃ τῶν περὶ Φιλίππου, ἐκ τοῦ Ἰσοκράτους Ἀρειοπαγιτικοῦ μεταγράψαντα αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐκεῖνα, ὅτι τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν οὐδὲν αὐτὸ κάθ' αὐτὸ παραγίνεται τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὰ ἑξῆς. Et mox: Κἀγὼ, φησὶν ὁ Νικαγόρας, τοῖς Ἑλληνικοῖς ἐντυγχάνων αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Ξενόφωντος πολλὰ τοῦ Ξενόφωντος αὐτὸν μετατιθέντα κατείληφα, καὶ τὸ δεινὸν, ὅτι ἐπὶ τὸ χεῖρον. Et ex intervallo: ταῦτ' εἰπόντος τοῦ Νικαγόρου, ὁ Ἀπολλώνιος καὶ τί θαυμάζομεν, ἔφη, εἰ Θεοπόμπου καὶ Ἐφόρου τὸ τῆς κλοπῆς πάθος ἥψατο, ἀργοτέρων ὄντως ἀνδρῶν; ὅπουγε καὶ Μένανδρος τὸ τῆς ἀῤῥωστίας ταύτης ἐπλήσθη, ὃν ἤρεμα μὲν ἔλεγξε, διὰ τὸ ἄγαν αὐτὸν φιλεῖν, Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς ἐν ταῖς παραλλήλοις αὐτοῦ τε καὶ ἀφ' ὧν ἔκλεψεν ἐκλογαῖς. Λατῖνος δὲ ἓξ βιβλίοις ἃ ἐπέγραψε περὶ τῶν οὐκ ἰδίων Μενάνδρου, τὸ πλῆθος αὐτοῦ τῶν κλοπῶν ἐξέφηνε. Καθάπερ ὁ Ἀλεξανδρεὺς Φιλόστρατος, περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς πραγματείαν κατεβάλετο· Κεκίλιος

δὲ,

δὲ, ὥς τι μέγα πεφωρακὼς, ὅλον δρᾶμα ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος Ἀντιφάνους, τὸν Οἰωνιστὴν, μεταγράψαι φησὶ τὸν Μένανδρον εἰς τὸν Δεισιδαίμονα. ἐπεὶ δὲ τοὺς κλέπτας ἔδοξεν, οὐκ οἶδ' ὅπως, ὑμῖν φησὶν, εἰς τὸ μέσον ἀγαγεῖν, μηνύω κἀυτὸς Ὑπερίδην τὸν καλὸν, πολλὰ παρὰ Δημοσθένους κεκλοφότα ἔν τε τῷ πρὸς Διώνδαν λόγῳ, κἂν τῷ περὶ τῶν Εὐβούλου δωρεῶν· καὶ ὅτι μὲν ὁ ἕτερος παρὰ τοῦ ἑτέρου μετέθηκε, πρόδηλον. Et mox: καὶ τί ὑμῖν λέγω ὡς τὰ βαρβαρικὰ νόμιμα Ἑλλανίκου ἐκ τῶν Ἡροδότου καὶ Δαμάστου συνῆκται; ἢ ὡς Ἡρόδοτος ἐν τῇ δευτέρᾳ, πολλὰ Ἑκαταίου τοῦ Μιλησίου κατὰ λέξιν μετήνεγκεν ἐκ τῆς περιηγήσεως, βραχέα παραποιήσας, τὰ τοῦ φοίνικος ὀρνέου, καὶ περὶ τοῦ ποταμίου ἵππου καὶ τῆς θήρας τῶν κροκοδείλων; ἢ ὡς τὰ περὶ βασάνων εἰρημένα παρ' Ἰσαίῳ ἐν τῷ περὶ τοῦ Κύλωνος κλήρου, καὶ παρ' Ἰσοκράτει ἐν τῷ τραπεζιτικῷ κεῖται, καὶ παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ κατ' Ὀνήτορος ἐξούλης, σχεδὸν διὰ τῶν αὐτῶν εἴρηται; εἰ ὡς Δείναρχος ἐν τῷ πρώτῳ κατὰ Κλεομέδοντος αἰκίας, πολλὰ μετενήνοχεν αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐκ τοῦ Δημοσθένους κατὰ Κόνωνος αἰκίας; Deinde recenſitis *Simonidis*, *Euripidis*, *Theodectis*, *&* *Antimachi* poëtarum furtis, ſubdit: Ἀλλ' ἵνα μὴ καὶ αὐτὸς κλοπῆς ἄλλους αἰτιώμενος, κλέπτης ἁλῶ, τοὺς πραγματευσαμένους τὰ περὶ τούτων μηνύσω. Λυσιμάχου μὲν ἐστὶ δύο, περὶ τῆς Ἐφόρου κλοπῆς. Ἀλκαῖος δὲ ὁ τῶν λοιδορῶν ἰάμβων, καὶ ἐπιγραμμάτων ποιητὴς, παρῴδηκε τὰς Ἐφόρου κλοπὰς ἐξελέγχων. Πολίωνος δὲ ἐπιστολὴ πρὸς Σωτηρίδαν, περὶ τῆς Κτησίου κλοπῆς. τοῦ δ' αὐτοῦ καὶ περὶ τῆς Ἡροδότου κλοπῆς ἐστὶ βιβλίον, καὶ ἐν ἐπιγραφομένῳ, Ἰχνευταὶ, πολλὰ περὶ Θεοπόμπου λέγεται. Ἀρητάδου τέ ἐστι περὶ συνεμπτώσεως πραγματεία, ἐξ ἧς, τοιαῦτα πολλά ἐστι γνῶναι Et paulo poſt: Καὶ ὁ Προσήνης, τοὺς μὲν ἄλλους, ἔφη, κλέπτας ἐφωράσατε· ὅτι δὲ καὶ αὐτὸς οὗτος ὁ ἱερὸς Πλάτων, οὗ τὴν ἐπώνυμον ἑορτὴν σήμερον πανηγυρίζομεν, πολλοῖς καταχρῆται τῶν πρὸ αὐτοῦ. αἰδοῦμαι γὰρ τῷ τῆς κλοπῆς ὀνόματι ἐπὶ τούτο χρῆσθαι, οὐκέτι κατειλήφατε. Τί λέγεις; (ἔφη ὁ Καλλιέτης) οὐ λέγω μόνον, φησὶν, ἀλλὰ καὶ τὴν πίστιν τῷ λόγῳ παρέχω. σπάνια δὲ τὰ τῶν πρὸ τοῦ Πλάτωνος γεγονότων βιβλία. ἐπεὶ ἴσως πλείους ἄν τις ἐφώρασε τοῦ φιλοσόφου κλοπάς. ἐγὼ δὲ οὖν τισὶ κατὰ τυχὴν ἐμπέπτωκα. Πρωταγόρου γὰρ τὸν περὶ τοῦ ὄντος ἀναγινώσκων πρὸς τοὺς ἓν τὸ ὂν εἰσάγοντας, τοιαύταις αὐτὸν εὑρίσκω χρώμενον ἀπαντήσεσιν Hoc eſt. *Athenis ad celebrandam Platonis memoriam convivio nos Longinus exceperat; interque complures alios Nicagoram Sophiſtam, Maeoram, Apollonium Grammaticum, Demetrium Geometram, Proſenen Peripateticum, & Callietem*

Stoi-

Stoicum invitârat. Quibuſcum ſeptimus ipſe adcumbebat: qui fervente iam convivio, motaque inter alios de Ephoro quaeſtione, audiamus, inquit, de Ephoro quid turbarum excitetur. Contendebant Cayſtrius, & Maximus: Ephorum quippe ipſi etiam Theopompo Maximus anteponebat; eumdem Cayſtrius plagiarium vocabat. Quid enim, inquiebat, Ephori ſingulare ac proprium eſt, qui ex Daimachi, Calliſthenis, & Anaximenis operibus tria nonnunquam ipſa verſuum millia totidem verbis in ſua transtulerit? Cui Apollonius Grammaticus, Enimvero neſcis, inquit, Theopompum illum, quem ei praeferre geſtis, eodem quoque morbo laborare, qui libro de Philippi rebus undecimo, ex Iſocratis Areopagitica locum illum ad verbum tranſcripſerit, Boni malique nihil per ſeſe hominibus evenire, & quae ſequuntur. Et mox: *Ego vero, excepit Nicagoras, in eorum quae cum ipſe, tum Xenophon de rebus Graecorum memoriae prodidit, lectione verſans eum etiam ex Xenophonte permulta ſuam in hiſtoriam traduxiſſe deprehendi: quodque gravius eſt, deteriora feciſſe.* Et ex intervallo: *Quibus a Nicagora dictis, quorſum vero miremur, inquit Apollonius, Ephorum ac Theopompum hoc plagii vitio laboraſſe, inertes ſane ac ſomnolentos homines, quum ipſum quoque Menandrum lues iſta pervaſerit? Quem Ariſtophanes Grammaticus, quod eum nimium amaret, in excerptis illis, quibus ipſum cum aliis, unde furatus eſt, componit, nonniſi leviter blandeque perſtringit. At vero Latinus ſex omnino libris, quos de ſcriptis haud Menandri propriis edidit, furtorum eius multitudinem patefecit: quemadmodum Philoſtratus Alexandrinus de Sophoclis Poëtae furtis iuſtum confecit opus. Imo Cecilius quaſi magnum aliquid deprehenderit, fabulam Antiphanis, quam Augurem inſcripſerat, a Menandro totam a capite ad calcem in Superſtitioſum ſuum tranſcriptam eſſe teſtatur. Et quoniam, inquit, neſcio quo pacto, fures ſemel prodere viſum eſt, boni etiam Hyperidis nomen ecce defero; is enim quum adverſus Diondam ſcriberet in ea, quam de Eubuli donationibus reliquit, oratione ex Demoſthene multa quoque furatus eſt: Enimvero alterutrum ſaepe alterius plagiarium fuiſſe conſtat &c.* Et deinceps: *Quid attinet, inquit, dicere aut Hellanici de Moribus Barbarorum opus ex Herodoti Damaſique ſcriptis eſſe conflatum?*

aut

Digitized by Google

aut Herodotum in ſecundo ex hiſtorica Hecataei Mileſii narratione quamplurima verbis totidem exſcripſiſſe? pauca quaedam leviter ementitum, cuiuſmodi ſunt quae de Phoenice ave, deque fluviatili equo, & crocodilorum venatione commemorat: aut quae de quaeſtionibus in ea de Cylonis haereditate diſputat Iſaeus, eadem apud Iſocratem in Trapezitica reperiri? Imo Demoſthenem etiam in ea, quam adverſus Onetorem Vnde vi, habuit, oratione, eadem prope ſententia diſſerere? Aut Dinarchum in primam adverſus Cleomedontem plagarum ab ſe poſtulatum multa ex Demoſthenis in Cononem ſimilis iniuriae reum oratione verbis ipſiſſimis tranſtuliſſe? Et poſt quaedam: *At enim vero ne dum furti alios inſimulo, furti crimen ſubeam ipſe quoque, qui nam furta iſta patefecerint indicabo. Lyſimachi exſtant de furtis Ephori libri duo. Eadem Alcaeus contumelioſorum Iamborum Epigrammatumque ſcriptor faceto carminis genere coarguit. Polionis ad Soterindam epiſtolam de Cteſiae, itemque librum de Herodoti furtis habemus. In eo ſimiliter, cui titulus eſt, Indagatores, de Theopompo multa leguntur. Exſtat etiam Aretadis de fortuita convenientia opus aliquod, unde huiuſcemodi pleraque haurire liceat.* Et mox: *Plagiarios, inquit Proſenes, alios prodidiſtis. At Platonem illum divinum, cuius e nomine feſtum hunc diem celebramus, eorum ſcriptis qui ante ſe vixerunt permultis abuti [furem enim talem virum adpellare non audeo] veſtrum adhuc nemo deprehendit. Quid tu ais? inquit Callietes: ille autem, Enimvero non tantum aio, ſed etiam verbis reipſa fidem adiungo. Libri quidem eorum, qui aetate Platonem anteceſſerint, exſtant ſane perpauci, quorum ſi copia foret, plura fortaſſis huius Philoſophi furta deprehenſa forent. Caſu vero mihi obcurrere nonnulla. Quum enim Protagorae librum de Ente perlegerem, his illum ego rationibus eos, qui Ens dumtaxat unum eſſe volunt refellere comperi &c.*

Et quidem Platonis Rempublicam fere totam in Protagorae Ἀντιλογικοῖς inveniri idonei auctores ſunt *Ariſtoxenus* & *Phavorinus Lib. II.* παντοδαπῆς ἱστορίας. *Theopompus* inſuper Chius ἐν τῷ κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς generatim ſcribit, plures quidem Platonis dialogos alienos eſſe, ex Ariſtippi conloquiis & diſſertationibus ſubreptos; quoſdam ex Antiſthenis congreſſu

greſſu & confabulatione; nonnullos etiam ex Bryſonis Heracleotae dialogis coagmentatos, ut videre eſt apud *Athenaeum Lib. XI. cap.* xv. Et tamen id ingenue *Plato* non profitetur; qui inſuper, quum tam multa ex Comico Epicharmo furatus fuerit, ut oſtendit *Alcimus* apud *Laërtium*, & *Heſychium*, nunquam tamen id vel aliquantiſper inſinuat. Vt autem & de quibuſdam aliis antiquis Scriptoribus aliquid dicatur, *Democritus* Anaxagoram furti accuſavit, dixitque ea, quae de Sole & Luna, & mundi generatione, & Mente ſcriptis mandaverat, ſententias antiquas fuiſſe, ut *Diogenes Laërtius* memoriae prodidit. *Empedocles* etiam in cuiuſdam orationis Pythagoricae furto deprehenſus eſt. *Aeſchines* Socraticus ab Ariſtippo plagiarius audiit, quod Socratis dialogos pro ſuis ingerens, ex eis lucrum faceret, quod & *Menedemus* apud *Laërtium* illi exprobrat. Timoſthenis decem de Inſulis libros, quos poſtea & in Epitomen unius libri redegerat, *Eratoſthenes* Cyrenenſis, Beta literatorum ſui aevi, tranſcripſerat, ne prooemio quidem Auctori ſuo relicto, quod *Marciano Heracleotae* notatum eſt. *Eudorus* vero & *Ariſto*, ut apud *Strabonem Lib. XVII.* videre eſt, de Nilo ambo commentarium emiſerant, adeo per omnia ſententiis verbiſque comparem atque conſimilem, ut alter alterius partum ſibi ſubpoſuiſſe, veriſſime dici poſſet, uter vero ab altero accepiſſet, ſtatui non poſſet. Sic dubitarunt antiqui Critici de Luciani Aſino, & de Lucii Patrenſis Metamorphoſeon libris uter alterum compilaſſet; ut tradit in *Bibliotheca* eruditiſſimus *Photius*. Sed de mutuis Graecorum furtis videndus eſt πολυμαθέςατος *Clemens VI.* eorum librorum, quos ςρωματέας inſcripſit, & interim audiendus *Salmaſius Prolegom. in Solinum* ita diſſertans: *Licentiam hanc furtorum ſaepe miratus ſum, quantopere ſibi permiſerint ex veteribus tam Graeci quam Latini Scriptores, ut etiam aliena opera tota tranſcribere ſoliti ſint, ac ſine ulla immutatione pro ſuis edere. Nec e plebe tantum, & ex trivio Auctores, ſed etiam, quos fama nobis celebres tranſmiſit, quoſque in ore habuit ac manibus antiquitas, huic crimini fuiſſe obnoxios video, & indignor. De quo & Plinius olim conqueſtus eſt in Praefatione ſua.* Scito, *inquit*, conferentem Auctores me deprehendiſſe

a iuratiſſimis & proximis veteres tranſcriptos ad verbum, neque nominatos, non illa Virgiliana virtute ut certarent, non Ciceroniana ſimplicitate, qui in libris de Republica Platonis ſe comitem profitetur &c. Haec ille.

Verum, etſi haec omnia certa & indubitata ſint, tamen licet minus ſubſiſterent, mirari non debemus quod *Plato* nihil unquam Iudaeis acceptum referat: non enim adſeveramus, tamquam ratum perſpectumque ſit, *Platonem* aut Scripturas Iudaicas legiſſe, aut cum Iudaeis congreſſum & conloquutum fuiſſe. Sed illud unum adfirmamus, quaedam Iudaeorum placita ad eum uſque pervenire potuiſſe, ſive ea ex illorum literis, & converſatione deducendo, ſive illa accipiendo ab Ethnicis aliis, ad quos quibuſcumque traditionum tramitibus qualiſcumque eiuſmodi doctrinae notitia defluxerit. Quare *Plato* & Iudaicam potuit ſapientiam ingerere, & eam eſſe Iudaicam ignorare: atque ita nihil nationi illi acceptum ferre. Quae quidem dicta ſint, non ut quae toto huius operis decurſu diſſeruimus, labefactare, aut extenuare velimus; ſed ut obpugnanti Adverſario, quando haec nobis contraria eſſe non deprehenduntur, omnimodis obcurramus.

C A P V T XI.

De Platonicorum Dialogorum Interloquutoribus.

FAlſum autem eſt a *Platone* Timaeum induci tamquam ſua dicentem, non ab aliis accepta: nam apud eumdem *Timaeus* adfirmat ſe, quae dicit, viris antiquiſſimis aliquando debere. De Daemonum enim ortu acturus, *Priſcis*, inquit, *viris hac in re credendum eſt, qui Dîs geniti, ut ipſi dicebant, parentes ſuos optime noverant*. Πιστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν θεῶν οὖσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τοὺς αὐτῶν προγόνους εἰδόσιν. Diis genitorum autem nomine, priſcos Theologos intelligit, ut notat *Proclus* in *Theolog. L. I. cap.* v.

Ex Platonis autem Interloquutoribus quidquam conligere velle, plane ridiculum eſt. Non enim ratione ducitur *Plato* in

to in Interloquutorum delectu, ſed temere prorſus & inconſiderate eos producit: eaque viris adſingit, quae vel nunquam animo verſaverant, ſed ipſe ab aliis accepta illis tribuit. Ideo *Socrates*, audito Platonis Lyſide, exclamaſſe fertur: Ἡράκλεις, ὡς πολλά μου καταψεύδεται ὁ νεανίσκος. *Divum fidem, quam multa de me mentitur hic adoleſcens!* Quare & alias Platoni dixit, ut eſt apud *Athenaeum Lib. XI. cap.* xv. δοκῶ οὖν σε πλάτων πολλὰ κατὰ τῆς ἐμῆς ψεύδεσθαι κεφαλῆς· *Itaque hoc Plato fore proſpicio, ut multa de capite meo tu mentiaris*. Et quidem *Xenophon* in Epiſtola ad Aeſchinem diſerte negat Socratem unquam de coelo, cauſſiſque naturalibus diſſeruiſſe, neque de aliis diſciplinis, quae μαθημάτων nomine Graecis veniunt; quae tamen omnia *Plato* facit a Socrate fuiſſe diſputata, quo forte reſpiciebat *Xenophon* eum latenter perſtringens, quod & *Agellio* obſervatum eſt. Huius tamen rei rationem adfert *Auguſtinus Lib. VIII. De Civit. Dei cap.* iv. *Et quia magiſtrum*, inquit, *Socratem ſingulariter diligebat, eum loquentem fere in omnibus ſermonibus ſuis faciens, etiam illa, quae vel ab aliis didicerat, vel ipſe quanta potuerat intelligentia viderat cum illius lepore, & moralibus diſputationibus temperavit*. Perhibent etiam *Gorgiam*, ut eſt apud *Athenaeum* libro laudato, quum Platonis dialogum legiſſet, iis dixiſſe, qui aderant, nihil eiuſmodi ſe vel audiviſſe a Platone, vel apud Platonem loquutum unquam fuiſſe. Eadem quoque *Phaedonem* dixiſſe memorant, quum dialogum, in quo de Anima diſputatur, perlegiſſet. Itaque feſtive de illo *Timon* cecinit:

Ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.
Vt Plato fingebat, miracula ficta ſequutus.

Non vacat modo Platonis anachroniſmos in medium adducere, quos & *Athenaeus Lib. V. & Ariſtides Orat. II. Platon. & Macrobius Lib. I. Saturn. cap. I.* notaverunt, dum Interloquutores quoslibet intrudere quicquam penſi non habet. Recte autem *Cicero*, quod & in Platonis defenſionem proferimus, ita Varroni ſcribit: *Puto fore ut, quum legeris, mirere id nos loquutos eſſe inter nos, quod nunquam loquuti ſumus, ſed noſti morem dialogorum*. Iam conſtat igitur quam floccifacienda ſint ea, quae obiicit *Clericus*.

Digitized by Google

C A P V T XII.

De Veritatis corruptione, & an Chriſtus venturus aliquo modo antiquis Ethnicis innotuerit.

RAtum igitur firmumque eſto, quod *Proculus* ipſe faſſus eſt, totam de illa Platonis Trinitate θεοπαράδοτον eſſe θεολογίαν, quod ex Iudaicis oraculis & traditionibus quomodocumque defluxerit. Quod ſi minus recta eſt Platonis, aliorumque Ethnicorum ſententia, nimium proclive eſt longinqui temporis intervallo diſſipatam per ora hominum veritatem corrumpi atque interpolari, &, ut *Plato* ipſe fatetur, multa ἐκ τῶν πάλαι λεχθέντων *ex olim antiquituſque narratis* διὰ χρόνου πλῆθος τὰ μὲν αὐτῶν ἀπέσβηκε, τὰ δὲ διεσπαρμένα εἴρηται χωρὶς ἕκαστα ἀπ' ἀλλήλων. *Longinquitate temporis alia eorum extincta ſunt, alia diſperſa dicta ſeiunctim ab aliis*. Sed de his pluria iam a nobis libris ſuperioribus tempeſtive diſputata ſunt. Ait inſuper *Auguſtinus Lib. II. De Civit. Dei cap.* VII. *Quidam eorum* [ſcilicet Philoſophorum] *quaedam magna quantum divinitus adiuti ſunt, invenerunt: quantum autem humanitus impediti ſunt, erraverunt: maxime quum eorum ſuperbiae iuſte providentia divina reſiſteret, ut viam pietatis ab humilitate in ſuperna ſurgentem etiam illorum comparatione monſtraret*.

Quapropter ſi quis & revelationem aliquam de iis, quae ad Divinitatem pertinent, divinitus Ethnicis factam fuiſſe opinaretur, cum laudatum *Auguſtinum*, tum Alexandrinum *Clementem*, *Euſebiumque* Caeſarienſem adſtipulatores haberet. Hipponenſis enim Antiſtes *Lib. XVIII. De Civ. Dei cap.* XLVII. ita ſcribit: *Divinitus autem fuiſſe proviſum non dubito, ut ex hoc uno* [ſcilicet, Iobo] *ſciremus etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Hieroſolymam. Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui divinitus revelatus eſt unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui venturus in carne ſic antiquis Sanctis praenunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe*

nun-

nunciatus eſt, ut una eademque fides per ipſum omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum praedeſtinatos perducat ad Deum. Quamquam contraria ſentit *Chryſoſt. Homil. XXXVII.* in *Matth.* adfirmans ante Chriſti adventum Ethnicis morum innocentiam, & unius Dei cultum ſine praevia Chriſti venturi cognitione ad aeternam ſalutem conſequendam ſubfeciſſe. At ſi tutior ac probabilior *Auguſtini* ſententia eſt, impoſſibile tamen fuerit aliquem eorum, qui Ethnici fuere & cum Idololatris verſati ſunt, & coeleſtibus tandem Hieroſolymis recepti, adſignare: nullus enim eorum, qui noti ſunt, Sapientum ita vixiſſe deprehenditur, ut ad Dei Civitatem pertinere potuiſſe videatur.

Si quis autem dicat, modo de aeterna quorumdam Ethnicorum ſalute non quaeri, ſed an Deus eorum ulli ſua myſteria revelaverit, atque ita per adumbratas quaſdam coeleſtium arcanorum notitias Gentilium animos ad Chriſtianam veritatem olim amplectendam diſpoſuerit, ut Ethnico quidem *Balaamo* feciſſe compertum eſt: *Clementem* certe, ut dixi, & *Euſebium*, &, alios fortaſſis id adſeverantes invenerit, quamvis oracula, quae circumferuntur, & Sybillae, & Hyſtaſpes, & Triſmegiſtus recipiendi non ſint. Ipſe interim ἐπέχω καὶ οὐδὲν ὁρίζω: tantum adfirmare non dubito, nonniſi magnis rationibus ſubfultos *Clementem* Alexandrinum, *Euſebium*, *Cyrillum* item Alexandrinum, *Claudianum Mamercum*, Patreſque alios Eccleſiae quamplurimos, quaedam Divinae Trinitatis lineamenta, & qualemcumque imaginem in Platonis libris inveniri dixiſſe, quod quidem ex iis, quae huc uſque late fuſeque diſſeruimus, liquido iam conſtitiſſe arbitramur.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX.

LIB. I. Cap. V. pag. 14. *Protoplaſtus Adamus &c.*] Quum tam multa de primo homine, priuſquam Dei mandatum tranſgrederetur, magnifice a noſtris, ſplendideque dicantur, & nuper in evolvendis MSS. Codicibus Bibliothecae Riccardianae Codicem quemdam Graecum, qui pluteo K. ordine I. habetur, in manus ſumſiſſem, & quatuordecim Michaelis Glycae epiſtolas, quae in aliquibus Codicibus, *Bonav. Vulcanio*, & *Car. Dufreſnio* teſtibus locupletiſſimis, Iohanni Zonarae tribuuntur, inſperato offendiſſem; iſtarum tertiam, in qua tam multa de Adami gloria & amplitudine praedicantur, Latine vertere, & hiſce notis inſerere decrevi, non enim abs re fore arbitratus ſum. Eo autem lubentius iſthuc ipſum, quamquam αὐτοσχεδιάζων, perfeci, quod eodem tempore ſpecimen quoddam praebeam editionis Anecdotorum, quam meditor: inſtructiſſima enim Dynaſtarum Riccardiorum Bibliotheca multa eiuſmodi, & omnia quidem egregia ſuppeditabit.

Epiſtolae Michaelis Glycae, quae ſuperſunt, LXIV. numerum non excedunt, ut apud *Petrum Lambecium* in *Bibliotheca Caeſarea* videre eſt *Codicibus Theologic. CLIX. CLX. CCXXXII. CCXXXIII.* & *CCCXXXIII.* Duae priores a *Iacobo Pontano* Latine tantum editae fuere; tres autem Graece a laudato *Bonav. Vulcanio*, decima ſcilicet, tertiadecima, & trigeſimaſecunda, ſed ſub Iohannis Zonarae nomine.

Digitized by Google

Τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου
Κυροῦ

ΜΙΧΑΗΛ ΤΟΥ ΓΛΥΚΑ

Τιμιωτάτῳ Μοναχῷ
Κυρῷ

ΜΑΞΙΜΩι ΤΩι ΣΜΕΝΙΩΤΗι

Περὶ τῦ ὁποῖος ἦν ὁ Ἀδὰμ ἀπ' ἀρχῆς κατάγε δόξαν ὁμῦ ϗ λαμπρότητα, Λόγος.

Εἰ δὲ καὶ τοῦτο μαθεῖν ἐπιζητεῖς, ὁσιώτατε ἄνερ, ὁποίας ἐξέπεσεν διὰ τὴν παράβασιν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος δόξης τε καὶ λαμπρότητος, ἡ δεσποτικὴ σε διδάξει φωνὴ κατὰ λέξιν οὕτω λέγουσα· τότε λάμψουσι οἱ δίκαιοι ὡς ὁ ἥλιος· ἐντεῦθεν γὰρ, εἴγε προσέχομεν, τὸ ζητούμενον εὑρήσομεν· εἴγε καὶ μᾶλλον ἡ ἁγία γραφὴ δι' ἑτέρων ἕτερα διδάσκει πολλάκις ἡμᾶς· ἐπειδὴ καὶ γὰρ ἡ ἐλπιζομένη χάρις ἐπάνοδός ἐστιν πρὸς τὴν πρώτην ἐκείνην· ἥν, ὡς ὁ Νύσσης φησὶ Γρηγόριος λέγων τάδε, οἱ δίκαιοι λάμψονται τότε κατὰ τὸν ἥλιον. εὔδηλον πάντως ὅτι καὶ ἡ ἀνθρωπίνη κατ' ἀρχὰς ὐσία κατ' ὐδὲν διενήνοχε τῆς ἡλίου λαμπρότητος. ἡ γὰρ ἀνάστασις ὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἀλλ' ἡ πρὸς τὸ ἀρχαῖον τῶν πεπτωκότων ἀποκατάστασις. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ἡλικίᾳ μίᾳ, καὶ εἴδει ἑνὶ, καὶ σχήματι τῷ αὐτῷ κατὰ τὸν πρῶτον ἐκεῖνον ἄνθρωπον ἐγερθήσον-

Sapientiſſimi & eloquentiſſimi
Domini

MICHAELIS GLYCAE

Ad honorabilem Monachum
Dominum

MAXIMVM SMENIOTEN

De gloria & claritate, qua a principio Adamus coruſcavit, Oratio.

Si vero & hoc diſcere expetis, Vir ſanctiſſime, qua gloria ſcilicet & claritate primus homo per praevaricationem exciderit, vox te dominica docebit, verbis, quae proferimus, ita dicens: *Tunc fulgebunt iuſti ſicut Sol*. Heinc enim, ſi animum intendimus, quod quaeritur, reperiemus: & eo magis, quo ſaepius aliis per alia, ſancta Scriptura nos inſtruit. Etenim quum, quae ſperatur, gratia, non ſit niſi regreſſus ad illam primam, propter quam, ut Nyſſenus Gregorius ait, iuſti tunc aeque ac Sol ipſe fulgebunt; manifeſtum omnino eſt & humanam ab initio naturam nihil fuiſſe a Solis ſplendore diverſam. Nam reſurrectio nihil eſt aliud, quam eorum, qui ceciderunt, in integrum reſtitutio; ob hoc enim ipſum & eadem aetate omnes, eademque ſpecie ac figura iuxta primi illius hominis

Digitized by Google

nis habitum reſurrecturi ſunt, ut in Quaeſtionibus ad Antiochum magnus Athanaſius adfirmat. Haec autem ita ſe habere, & tanto fulgore Adamum illum emicuiſſe a principio, quantum vox dominica Sanctis illa die fore pronuntiat, ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus in monte Thabore transfigura tus multo manifeſtius oſtendit; quemadmodum & hymnographi illi, & divini cantores, magnus videlicet Coſmas, & Damaſcenus Iohannes, docebunt te ſapienter. Dicunt enim: *Quum Adamo additum a peccato nigrorem expuliſſes, divina tua luce, Servator, refulſiſti: & archetypam illam imaginis illius primi* [ſcilicet, Adami] *pulcritudinem, qua excidit ille per tranſgreſſionem, quoniam pleriſque omnibus ignota erat, in teipſo mirabiliter demonſtraſti. Propterea enim & ineffabili tuae formae mutatione immutatus es, quum velles ea ratione patefacere quali fuiſſet homo ante peccatum gratia dignatus, eamdemque te illi iterum per geminae naturae cohaeſionem reſtituiſſe*. Si enim & hoc ſtatim manifeſtum eſſe non po-

σονται ἅπαντες, ὡς ἐν [a] τοῖς πρὸς Αντίοχον ὁ μέγας Φησὶν Αθανάσιος. Οτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει καὶ ὅτι τοσαύτη λαμπρότης τῷ Αδὰμ ἐκείνῳ προσῆν ἀπ᾽ ἀρχῆς, ὅσην ἡ δεσποτικὴ Φωνὴ τοῖς ἁγίοις ἔσεσθαι λέγει κατάγε τὴν ἡμέραν ἐκείνην, αὐτὸς ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς ἐπὶ τοῦ ὄρους Θαβὼρ μεταμορφούμενος ἀριδηλότερον ἔδειξε· καὶ πῶς οἱ ὑμνογράφοι καὶ θεῖοι μελωδοὶ, ὅ, τε μέγας δηλαδὴ [b] Κοσμᾶς, καὶ ὁ Δαμασκηνὸς [c] Ιωάννης σοφῶς σε διδάξουσι. λέγουσι γὰρ ὅτι τὴν ἐντεθεῖσαν τῷ Αδὰμ ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας ἀμαύρωσιν ἐκδιώξας, τῷ θεϊκῷ φωτί σου σῶτερ ἐκλαμπρύνας· καὶ ὅτι τὸ ἀρχέτυπον κάλλος ἐκεῖνο τῆς εἰκόνος τοῦ πρώτου, δηλονότι Αδὰμ, ὅπερ ἐξέπεσε δι᾽ αὐτὴν παράβασιν· ἐπειδὴ τοῖς πολλοῖς ἀγνοούμενον ἦν, ἐν σεαυτῷ παραδόξως ὑπεδείξας· Επὶ τοῦτο γὰρ καὶ τὴν ἄφατον ἠλλοιώθης τῆς μορφῆς σου ἀλλοίωσιν, γνωρίσαι θέλων ἐντεῦθεν ὁποίας ἠξίωτο χάριτος πρὸ τῆς ἁμαρτίας ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὅτι ταύτην αὐτῷ πάλιν μετέδωκας, διὰ τῆς καθ᾽ ὑπόστασιν ἑνώσεως· εἰ γὰρ καὶ διάδηλον αὐτίκα γενέσθαι τοῦτο οὐκ ἔφθα-

[a] ἐν τοῖς πρὸς Αντίοχον) Quaeſtiones ad Antiochum opus eſt ὑποβολιμαῖον Vid. *Bellarminum*, *Labbeum*, *Natalem Alexandrum*, *Caveum &c.*

[b] Coſmas Hieroſolymitanus, Maiumae Epiſcopus, Iohannis Damaſceni praeceptor, qui ſcripſit Hymnos XIII. *in praecipuas anni feſtivitates*, & metricam enarrationem *Pſalmorum omnium*, & Ασματικοὺς κανόνας. Claruit anno DCCXXX. Vide *Guil. Caveum*, & *Lambecium*, alioſque.

[c] Iohannes quoque Damaſcenus carmina ſcripſit.

ἔφθασεν, οὐδὲ γὰρ ἤθελε σκάνδαλον ἐξαυτῆς ἐνιέναι τῷ Ισραὴλ, ἀλλ' ἐπὶ ὄρους Θαβὼρ, ὡς ἤδη προείρηται, θεουργηθεῖσα ἡ φύσις ἡμῶν ἐγνώσθη διὰ τῆς θείων ἀκτίνων προχύσεως. πρόσεχε οὖν· εἰ γὰρ ἀστράψας ἐπὶ τοῦ ὄρους ὡς ὁ ἥλιος ὁ σωτὴρ ἔδειξε προφανῶς ὁποῖον ἄρα καὶ τῷ Αδὰμ ἐκείνῳ προσενῆν ἀπ' ἀρχῆς φῶς, θαυμάζειν οὐκ εὔλογον εἴγε λάμψουσιν οἱ δίκαιοι τότε ὡς ὁ ἥλιος. ἐπειδὴ γὰρ ἡ ἐλπιζομένη χάρις ἐπάνοδός ἐστιν, ὡς προείρηται, πρός γε τὴν πρώτην ἐκείνην ζωὴν, ἀκόλουθον ἂν εἴη καὶ τοὺς ἀναστησομένους τοὺς δικαίους μὴ κατὰ τὸ σχῆμα καὶ τὸ εἶδος μόνον παραπλησίους ἐγερθῆναι πρώτῳ Αδὰμ, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὴν τὴν λαμπρότητα· ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, καὶ ὅτι τοσαύτην λαμπρότητα τὸ τοῦ Αδὰμ ἀπ' ἀρχῆς ἐφαιδρύνετο πρόσωπον, ὁ Σιναΐτης θεῖος Αναστάσιος ἐν τῇ παρ' αὐτοῦ συγγραφείσῃ βίβλῳ ᾗ τὸ ὄνομα ὁδηγὸς ἀριδηλότερον ἔδειξε διεξιὼν ἐκεῖσε κατὰ ῥῆμα καὶ τάδε· ποιήσας ἐν ἀρχῇ τὸν Αδὰμ ὁ θεὸς κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν αὐτοῦ, ἐνέθηκεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ διὰ τοῦ ἐμφυσήματος ἀκτῖνα τοῦ ὑπαναγίου πνεύματος, καὶ χάριν, καὶ ἔλλαμψιν· ἠμαύρωσε δὲ τέλεον αὐτὸν ἡ παράβασις τῆς δωθείσης αὐτῷ θείας ἐντολῆς, ἐφ' ᾧ καὶ τῷ προσώπῳ αὐτοῦ Σὴθ ἐνέθηκε ταύτην ὕστερον ὁ θεός· γνωρίσαι θέλων ἐκ τούτου

potuit, noluit enim cõtinuo Iſraëli offenſionem iniicere, ſed ſupra mõtem Thaborem, ut iam dictum eſt: noſtram naturam tamen divinam iam evaſiſſe deprehenſum eſt, quod undique divinos radios effunderet, Adtende igitur. Si enim Servator tanquam Sol in monte coruſcans, quali utique & Adamus ille ab initio lumine radiaret, luculenter oſtendit; iam mirari non ſubit, ſi tamquam Sol tunc iuſti fulgebunt. Etenim quum gratia, quae ſperatur, regreſſus ſit, ut iam diximus, ad primam illam vitam; conſectarium quoque eſt & reſurrecturos tunc iuſtos, non ſecundum figuram & ſpeciem tantum ſurrecturos eſſe primo Adamo perſimiles, ſed & ſecundum ipſam claritatem. Haec autem ita ſe habere, & tanto Adami faciem ab initio enituiſſe fulgore, divinus etiam Anaſtaſius Sinaita libro a ſe ſcripto, cui *Dux viae* titulus eſt, perſpicue ac dilucide oſtendit, diſſerens ibi hiſce iiſdem verbis ea, quae ſequuntur: *Quum Adamum Deus in principio ad imaginem & ſimilitudinem ſuam feciſſet, eius vultu ſua inſpiratione radium Sancti Spiritus, & gratiam, & ſplendorem adflavit: obfuſcavit vero illum omnino, dati eidem divini praecepti tranſgreſſio, quare & ipſius Sethi vultu eumdem fulgorem Deus poſterius indidit, manifeſtare volens ex hoc ipſo*

ſo futuris mortalibus, datam a ſe primo homini ſua inſpiratione claritatem: & audi quid de hoc dicat Sancta Scriptura: Vixit vero Adamus ducentis & triginta annis, & genuit filium iuxta formam & imaginem ſuam, hoc eſt, iuxta eam imaginem & ſplendorem, quem habuit ab initio, & vocavit nomen eius Sethum, quod dicitur, Reſurrectio: quoniam vidit renovatam mirabilem illam formam, cuius cauſa ipſum homines, qui eo tempore vivebant, Deum adpellavere. Haec eadem igitur prodere videtur etiam divinus ille Macarius Aegyptius. Etenim quum de illa gloria, quam vultu ſuo Dei contemplator Moſes coruſcabat, & quam nemo poterat fixis oculis intueri, loqueretur, haec duo etiam diſſeruit, qua ſcilicet gloria a principio Adamus fuerit inſignitus, & quam noviſſime iuſtorum habiturus eſt chorus. Audi igitur ipſiſſima divini huius viri verba, quibus in ſuis capitulis ita infit: *Opinor autem glorificatum Moſis vultum formam eſſe & exemplum illius hominis, quem Deus ſuis manibus condidit.* Et iterum: *Beatus Moſes illa divini Spiritus gloria, quae in eius vultu refulgebat, ſpecimen praebuit, quomodo in reſurrectione iuſtorum, corpora Sanctorum glo-*

του καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα τὴν δοθεῖσαν τῷ πρώτῳ ἀνθρώπῳ δι' αὐτοῦ ἐμφυσήματος ἔλλαμψιν· καὶ ἄκουε τί περὶ τούτου φησὶν ἡ ἁγία γραφή· ἔζησε δὲ Ἀδὰμ ἔτη διακόσια [d] πρὸ τῆς τριάκοντα, καὶ ἐγέννησεν υἱὸν κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, τοῦτ' ἔστιν, οἵαν εἶχεν ἀπ' ἀρχῆς εἰκόνα καὶ ἔλλαμψιν, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σὴθ, ὃ λέγεται, ἐξανάστασις· ἐπειδὴ εἶδεν ἀνακαινισθεῖσαν τὴν παράδοξον ἐκείνην μορφὴν, ἧς ἕνεκα καὶ θεὸν αὐτὸν οἱ κάτ' ἐκείνου καιροῦ τυγχάνοντες ἄνθρωποι προσηγόρευσαν. ταῦτα μὲν οὖν ὑπεμφαίνειν ἔοικε καὶ ὁ θεῖος ἐκεῖνος Μακάριος ὁ Αἰγύπτιος· διὰ γὰρ τῆς δόξης ἐκείνης τῆς ἐπιλαμπούσης τότε τῷ προσώπῳ τοῦ θεόπτου Μωσέως εἰς ἣν οὐδεὶς ἀτενεῖσαι ἠδύνατο, καὶ μὲν ἄμφω ταῦτα παρέστησε· καὶ ἣν εἶχε δηλαδὴ δόξαν ἀπ' ἀρχῆς ὁ Ἀδὰμ, καὶ ἣν ἐσ ὕστερον ὁ τῶν δικαίων ἕξει χορὸς. καὶ ἄκουε τί κατὰ ῥῆμα φησὶν ὁ θεῖος οὗτος ἀνὴρ ἐν κεφαλαίοις αὐτοῦ· δοκῶ τὸ δεδοξασμένον πρόσωπον Μωσέως τύπον εἶναι καὶ ὑπόδειγμα τοῦ πρώτου διὰ χειρῶν θεοῦ δημιουργηθέντος ἀνθρώπου· καὶ αὖθις Μωσῆς ὁ μακάριος ὑπέδειξε τύπον διὰ τῆς τῷ προσώπῳ αὐτοῦ ἐπιλαμπούσης τοῦ πνεύματος δόξης, πῶς ἐν τῇ τῶν δικαίων ἀναστάσει τὰ τῶν ἁγίων δοξα-

[d] Graecus contextus iuxta LXX. habet; τριακόντα καὶ διακόσια ἔτη.

ξασθήσεται σώματα. Καλῶς οὖν ὁ λόγος ἔλεγε τὴν ἀνάστασιν ἐπάνοδον εἶναι πρός γε τὴν ἀρχαίαν ἐκείνην καὶ πρώτην ζωήν. ἐπὶ μέντοι τοῖς ἤδη προειρημένοις καὶ ἕτερόν τι μεταμορφούμενος ἔδειξεν ὁ Σωτήρ τι τοῦτο τὴν δόξαν ἐκείνην ἣν μέλλει κατάγε τὴν δευτέραν αὐτοῦ παρουσίαν ἐνδείξασθαι. καὶ πείθου τῷ Θεολόγῳ Γρηγορίῳ λέγοντι· ἥξει μὲν οὖν μετὰ τοῦ σώματος ὁ Χριστὸς τοιοῦτος ὁποῖος ὤφθη τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ τοῦ ὄρους ὑπερνικώσης τὸ σάρκιον τῆς θεότητος· καλῶς οὖν ἐπὶ τούτοις ἔλεγε τοὺς δικαίους ὁ κύριος κατ' αὐτὸν ἀστράψαι τὸν ἥλιον· τὴν γὰρ ἀπὸ τοῦ δεσποτικοῦ σώματος ἐκπεδῶσαν αἴγλην ὑποδεξάμενοι μεταστοιχειωθήσονται τηνικαῦτα καίπερ ὀφθήσονται ἄντικρυς καθάπερ τι σῶμα διαφανὲς μαρμαριγὴν ἡλίου δεχόμενον. Κατὰ τοῦτο καὶ ὁ πάμμεγας ἔλεγε Παῦλος ὅτι μετασχηματίσει τότε τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν ὁ Σωτὴρ εἰς τὸ γενέσθαι σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ· ταύτῃ τοι καὶ ἀμφιβάλλειν ἐπὶ τούτοις οὐκ ἄξιον· εἰ γὰρ ἐξ ἀρχῆς αὐτῆς ὁ Αδὰμ, ἡνίκα δηλαδὴ θείαις ἐπλάσθη χερσὶ, τοσαύτην ἐδέξατο διάγε τοῦ θείου ἐμφυσήματος τὴν φαιδρότητα. φαίνεται πάντως ὅτι ὁ ἐκ νεκρῶν ἀναστησόμενος ἄνθρωπος τῆς αὐτῆς ἂν ἀξιωθῇ λαμπρότητος διὰ τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος· καὶ πεί-

glorificanda ſint. Bellus igitur ſermo ferebat reſurrectionem eſſe ad antiquam illam primamque vitam regreſſum. Praeter ea vero, quae hactenus diximus, aliquid etiam aliud huiuſmodi transfiguratus Servator oſtendit, gloriam ſcilicet illam, quam, quum ſecundo venerit, manifeſtabit; ſuper quo fidem adhibe Theologo Gregorio dicenti: *Veniet igitur cum corpore Chriſtus talis, qualis diſcipulis adparuit in monte, divinitate carnem longo intervallo ſuperante*. Bene igitur dicebat inſuper Dominus fore ut tamquam Sol iuſti refulgeant. Quum enim ſplendorem ex dominico corpore procedentem exceperint, ita ii tunc transformabuntur, & palam adparebunt, ut corpus quoddam pellucidum ſplendore Solis inluſtratum. His magnus etiam Paulus concinens dicebat, tunc a Servatore noſtrum humile corpus ita transformatum iri, ut ſuo futurum ſit corpori glorioſo conforme. Quamobrem in his ſe ancipitem traducere haud dignum eſt. Si enim ab ipſo initio Adamus, quum videlicet divinis fictus eſt manibus, tantam ex divino adflatu claritatem recepit; elucet omnino hominem etiam a mortuis reſurrecturum, eiuſdem fulgoris gloria, Spiritus Sancti gratia, dignandum.

Cre-

Digitized by Google

Crede autem beato David ita de hoc ipſo pronuncianti: *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terrae*. Adtende igitur: quum enim ſupra montem Servator in ſeipſo transformatus oſtenderit, qualem a principio Adamus pulcritudinem habuerit, & qualem iuſti olim accepturi ſint, propterea divinus etiam Gregorius Nyſsenus, aequaliter, dicebat, divinam imaginem ferre & ante peccatum hominem, & illum, qui noviſsime a mortuis reſurrecturus eſset. Haec autem omnia ita ſe habere, & gratiam, quae ſperatur, ad primam illam, ut ſaepius diximus, vitam eſſe regreſsum, ipſe prae aliis Dominus oſtendit. Quum enim redeuntem Aſotum obviis ulnis excepiſſet, & haec inſuper inquiebat: *Induite eum Stola illa priori*. Ne igitur amplius dubita: priorem enim ſtolam dicens, dilucide ſignificavit, nihil aliud eſse reſurrectionem, quam eorum, qui ceciderunt, in priſtinum ſtatum reſtitutionem.

FINIS.

πείθου τῷ μακαρίῳ Δαβὶδ οὕτω περὶ τούτου λέγοντι. ἐξαποστελεῖς τὸ πνεῦμά σου καὶ κτισθήσονται, καὶ ἀνακαινίσεις τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. Πρόσεχε οὖν, ἐπειδὴ γὰρ ἐπὶ τοῦ ὄρους ἔδειξεν ὁ Σωτὴρ ἐν ἑαυτῷ μεταμορφούμενος οἷον εἶχε κάλλος ἀπ᾽ ἀρχῆς ὁ Αδὰμ, καὶ οἷον οἱ δίκαιοι μέλλουσι τότε λαβεῖν, διὰ τοῦτο καὶ ὁ θεῖος Γρηγόριος ὁ Νύσσης, ἐπίσης ἔλεγε παρ᾽ ἑαυτῆς τὴν θείαν εἰκόνα φορεῖν, τόντε πρὸ τῆς παραβάσεως ἄνθρωπον, καὶ τὸν ἐκ νεκρῶν ἐφ᾽ ὕστερον ἀναστησόμενον· Οτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, καὶ ὅτι ἐπάνοδός ἐστι πρός γε τὴν πρώτην ζωὴν ἡ ἐλπιζομένη χάρις, ὡς πολλάκις εἰρήκαμεν, αὐτὸς ἔδειξε πρὸ τῶν ἄλλων ὁ κύριος· ἡνίκα γὰρ ἐπιστρεφόντα τὸν ἄσωτον ἠγκαλίζετο καὶ τάδε πρὸς τοῖς ἄλλοις ἔλεγε· ἐνδύσατε αὐτὸν τὴν πρώτην στολήν. μὴ οὖν ἐπὶ πλέον ἀμφίβαλλε· στολὴν γὰρ τὴν πρώτην εἰπὼν, ἔδειξε προφανῶς. μηδὲν ἄλλο τὴν ἀνάστασιν εἶναι ἢ πρὸς τὸ ἀρχαῖον τῶν πεπτωκότων ἀποκατάστασιν.

ΤΕΛΟΣ.

NO-

Lib. I. Cap. V. pag. 18. *Ad errorem Aegyptiorum propendentes*] Similia prorſus habet *Iſidorus* Peluſiota *Lib. II. Epiſtola* CXLIII. oſtendens cur aperte & dilucide de Trinitate doctrina Iudaeis tradita non fuerit.

Lib. I Cap. V. pag. 22. *Quum antiquiſſimus eſſe dignoſcatur*] Haud equidem inficias ierim de Iobi libri antiquitate minime inter eruditos convenire. Sed tamen non deſunt qui vel Moſe antiquiorem cenſeant, vel a Moſe ipſo conſcriptum. Conſulendi *Huetius*, *Du-Pinus*, *Natalis Alexander*. Lubet heic exſcribere verſiculos *Petri de Riga*, qui circa annum MCLXX. claruit, ſeu potius *Aegidii Pariſienſis*, qui eius opus ſanctae ſcripturae metricè explicatae ſubplevit, & interpolavit ſub exitum ſaeculi XII. ut ex ipſo *Aegidio* intelligitur in Codice huius operis MS. Bibliothecae Riccardianae. In illa igitur metrica Scripturarum expoſitione, quam *Aegidius Bibliothecam* vocat, & cuius pars, Heptateuchum continens, *Aurora* a *Petro* incripta fuit, Prologo in Iobum verſus, qui ſequuntur, legere eſt:

Librum Iob Moyſi quidam adtribuere Magiſtri
Eius ut auctori; ſed opinio falſa ſiniſtri
Iudicii geritur: alii voluere libelli
Auctorem non eſſe ratum, ſed & iſta refelli,
Vt non vera foret ſententia: porro quis eſſe
Compoſitor potuit? quis ſcripſerit illa neceſſe?
Sectanda eſt ratio, quae plus communis habetur.
Hic vero eſt, qui ſe titulo potiore tuetur.
Non alius niſi Iob hunc librum ſcripſit, & egit.

Lib. I. Cap. VI. pag. 25. *Quamquam reſiſtunt Strabo & Herodotus*] Conſulatur *Porphyrius Lib. II. De Abſtinentia ab animalibus* §. XXVI. & *Lib. III.* §. XVI. & *Minucius Felix in Octavio.*

Lib. I. Cap. VIII. pag. 36. *Diſſertationem adornavit Calmetius*] Et *Natalis Alexander* Hiſt. V. T.

Lib. I. Cap. XIV. pag. 56.] *Si tamen hoc opus Plutarchi eſt*] Videtur eſse hoc opus Plutarchi Iunioris. Adeatur *Iob: Ionſius* in ſua *Hiſtoria Scriptorum hiſtoriae Philoſophicae.*

Lib. I.

Digitized by Google

Lib. I. Cap. XIV. pag. 58.] *Vbi ipſa Moſis verba pro hac ſententia adlegavit*] Haud equidem diſſimulandum Numenii locum ad aliam ſententiam comprobandam adductum fuiſſe a Porphyrio: ſed certe Numenius Moſis auctoritate uſus non eſt, ut videtur, niſi ad opinionem etiam de aqua rerum exordio indicandam. Conſulatur *Caput VI. Lib. VI.* huius Commentarii.

Lib. I. Cap. XV. pag. 67. *Zoroaſtres igitur Magus in ſacro Perſicorum Rituum commentario*] Liber hic ὑποβολιμαῖος videtur *Eliae Du-Pino Lib. I. Novae Biblioth. Eccleſ. Scriptor.* ſed levibus admodum, futilibuſque rationibus innititur.

Lib. I. Cap. XV. pag. 64. *Septenarium quoque numerum*] Non ſine riſu quidem excipiendum id, quod *Theodorus Samothrax* apud *Ptolemaeum Hephaeſtionis Lib. VII.* περὶ τῆς εἰς πολυμαθείαν καινῆς ἱςορίας, ut excerpit *Photius* Cod. CXC. narrat, ſeptenarium ſcilicet numerum pro perfecto habitum fuiſſe, quod Iupiter natus ſeptem continuos dies riſiſſet.

Lib. I. Cap. XVI. pag. 79. *Moſaicorum ſermonum non expertes*] *Du-Pinus* in *Notis Diſſert. Praeliminaris Tom. I. Biblioth. Novae Eccleſiaſticae* cenſet id de Homero, aliiſque Philoſophis antiquis probabiliter dici poſſe.

Lib. II. Cap. VII. pag. 105. *Apuleius in Apologia II.*] *Strabo* etiam *Lib. X.*

Ibidem pag. 106. *Lingua Ebraica lingua Chanaan*] Vide *Natalem Alexandrum & Huetium.*

Lib. II. Cap. VIII. pag. 109. *Ariſtoteles apud Clearchum*] Et *II. Meteorologicorum.*

Ibidem. *Demetrius Phalereus*] *Ionſius De Scriptoribus Hiſtor. Philoſoph.* cenſet falli Ioſephum, dum Demetrium Phalereum citat, quaſi de Iudaeis ſcripſerit, & ab eo hunc cum alio Demetrio confuſum fuiſſe ait.

Lib. II. Cap. X. pag. 116. *Veriſimilitudo eorum, quae habet Clearchus*] *Clearchi* liber περὶ ὕπνου ſubpoſititius cenſetur a *Ioh. Ionſio*, vel ſaltem eſſe alterius Clearchi Iunioris *Lib. I. De Scriptoribus Hiſtor. Philoſoph. cap. XVIII.* tamen illa eadem, quae ex laudato Clearchi libro a *Ioſepho* & *Euſebio* referuntur ex iis, quae habet *Laërtius* cum Vita Socratis, ut diximus,

ximus, tum in Prooemio, confirmari poſſe videntur. *Ariſtoteles* inſuper *II. Meteorologic.* Palaeſtinae meminit, & lacus Aſphaltitis naturam ſibi notam perſpectamque fuiſſe oſtendit, & illum fuiſſe famigeratum inſinuat.

Lib. II. Cap. X. pag. 120. *Profectique Iudaea rerum potirentur*] Adeo verum exiſtimat *Carolus Daubuzus* in ſuo Opuſculo *De Teſtimonio Chriſti apud Ioſephum Lib. II.* §. VII. Iudaeos ſperati, & expectati a ſe Regis, & verae libertatis adſertoris ac vindicis notitiam inter gentes ſparſiſſe, ut opinetur carmina Sibyllina, quae ante Chriſti adventum legebantur, ab eis conficta fuiſſe, quando certum eſt iis ſimile vaticinium comprehenſum fuiſſe, ut ex *Cicerone III. in Catilinam, & II. De Divinatione*; & *Virgilio Ecloga IV.* luculente patet, qui Poëta quidem aliquid ulterius intelligere potuit ex Aſinio Pollione, cuius erat amiciſſimus, & qui, quum Herodi eſſet arcta familiaritate coniunctus, *Ioſepho* teſte *Lib. XV. Cap.* XIII. Herodis etiam filios Alexandrum, & Ariſtobulum hoſpitio excepit liberalibus diſciplinis Romae inſtituendos, eodem Hiſtoriographo auctore *Lib. XVI. Cap.* I. adeoque facilius eiuſmodi audire ab hiſce Iudaeis poterat, & Sibyllarum eſſe credere, quum ſub ementito Sibyllarum nomine a Iudaeis forte Alexandrinis ſpargerentur. Heinc *Pollio* Sibyllinorum carminum plenus negotio de Ptolemaeo Rege Alexandriam ad eorum vaticiniorum mentem reducendo praefuit, ut *M. Tullius* ſcribit: alii adplicans, quod alii tantum conveniebat. Heinc deinde Virgilius, ut ei adularetur, quae Chriſto ſolum congruebant, in eius filium cantando detorſit. Sed audiamus quae inſuper *Daubuzus* habet, & vero quidem non abſimilia. *Quoniam vero, inquit, in eo ſum, ut etiam Gentilium ſcripta anteſtari neceſſe ſit, ad priſcam Iudaeorum fidem, & opiniones cognoſcendas, quum adeo ſint iniqui huius aetatis Iudaei, ut ea omnia penitus negent, atque reiiciant, quae ſibi damno eſſe, & a Chriſtianis in rem ſuam conferri vident, licet a patribus ſuis olim ſanctiſſime ſint recepta; adiiciam his teſtimonium Chalcidii Platonici: Sane notanda eſt, inquit, alia ſanctior, & venerabilior hiſtoria, quae perhibet de ortu ſtellae cuiuſdam, non morbos, morteſque denunciantis, ſed deſcenſum Dei* *ve-*

venerabilis ad humanae converſationis, rerumque mortalium gratiam, quam ſtellam quum nocturno itinere ſubſpexiſſent Chaldaeorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum coeleſtium ſatis exercitati, quaeſiviſſe dicuntur recentis Dei ortum; repertaque illa maieſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe. Evangelicam ſane narrationem! Sed quid, an ergo hunc eſſe Platonicum negabimus? quaſi non ſit de Dei deſcenſu Platonis dogma. Deum certe Plato ipſe, Deum, inquam, ipſum, quem maxime coli volebat, deſcenſurum pollicetur. In ſecundo cum Alcibiade Socratis Dialogo promittit Philoſophus diſcipulo: Aliquem venturum eſſe qui eum doceat quomodo ſit precandum; & roganti quis eſſet ille, aut futurus eſſet tantus Doctor, reſpondet Socrates: οὖτός ἐστιν ᾧ μέλει περί σου, & mox: ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνος θαυμαστὴν ὅσην περί σε προθυμίαν ἔχει. *Quae omnia de alio praeterquam de Deo nequeunt ullatenus intelligi. Et niſi Platonem haec ex Iudaeis hauſiſſe dicamus, omnem prorſus humanam ſapientiam iſtud dogma ſuperabit.*

Lib. II. Cap. XIV. pag. 137. *Sed hunc Platonis morem*] Eadem fere cenſet *Origenes Lib. IV. contra Celſum*.

Lib. III. Cap. II. pag. 144. *Quum autem quaedam a Moſe ex Aegyptiis*] Super hac Quaeſtione vid. *Natal. Alexandrum Hiſtor. Vet. Teſtam.* ad aetatem mundi quartam *Diſſertat. III. Propoſit. III. & IV.* & ad quintam mundi aetatem *Diſſertat. I.*

Lib. III. Cap. II. pag. 150. *Ut externas omnes & advenas caeremonias omnino repudiarent*] *Diodorus* ipſe *Eclog. Lib. XL.* luculente teſtatur Iudaeorum multa, & caeremonias rituſque inprimis apud Aegyptios invaluiſſe, quum inter eos illi verſarentur. Quamquam enim fabellis hiſtoria haec, Graecorum more, deformata eſt, tamen indicat ſaltem opinionem, qua vulgo credebatur, exoticos ritus ad Aegyptios tranſiiſſe. Ait igitur de Iudaeis loquens, & Aegyptiis: Κατὰ τὴν Αἴγυπτον τὸ παλαιὸν, λοιμικῆς περιστάσεως γενομένης, ἀνέπεμπον οἱ πολλοὶ τὴν αἰτίαν τῶν κακῶν ἐπὶ τὸ δαιμόνιον. πολλῶν γὰρ καὶ παντοδαπῶν κατοικούντων ξένων, καὶ διηλλαγμένοις ἔθεσι χρωμένων περὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὰς θυσίας, καταλελύσθαι συνέβαινε παρ' αὐτοῖς τὰς πατρίους τῶν θεῶν τιμάς. ὅπερ οἱ τῆς χώρας ἐγγενεῖς ὑπέλαβον, ἐὰν μὴ τοὺς

ἀλλοφύλους μεταςήσωνται, κρίσιν οὐκ ἔσεσθαι τῶν κακῶν. *In Aegypto lue peſtifera quondam exorta plerique mali cauſam ad offenſam Numinis referebant. Quum enim multi promiſcuae colluvionis advenae ibi habitarent, qui peregrinis ritibus in ſacrorum miniſteriis & immolationibus uterentur, evenit, ut aviti Deorum honores apud eos exoleſcerent. Heinc ſubſpicio indigenis regionis illius iniecta, niſi alienigenas ſubmoverent, futurum ut malis nunquam exonerarentur.*

Lib. III. Cap. VII. pag. 164. *Ad MMMMM. cantica conſcripſiſſe*] Sunt qui legant quinque ſupra mille.

Lib. III. Cap. VII. pag. 165. *Quod cenſet Huetius*] In eadem ſententia eſt *Elias Du-Pinus Tom. I. Novae Biblioth. Eccleſ. Diſſertat. Praelimin.*

Lib. III. Cap. VII. pag. 166. *Horum librorum Auctorem*] Liber Eſdrae IV. eſt diverſi Auctoris a III. *Du-Pinus Tom. I. Biblioth. Novae Eccleſ. Diſſert. Praelim.*

Lib. III. Cap. VII. pag. 168. *Magiſtros hoc ipſo imitatus*] *Strabo* quoque teſtatur Aegyptios non facile omnibus ſuas doctrinas manifeſtaſſe, eoſque propterea δυσμεταδότους adpellat: id quod tamen non adverſatur iis, quae Lib. I. Cap. XVI. pag. 79. diſſeruimus, & quae confirmari poſſunt ex *Auguſtino Lib. XII. De Civit. Dei cap.* x.

Ibidem: *Teſtes locupletiſſimi ſunt Origenes &c.*] *Clemens* Alexandrinus etiam *Lib. I. Strom.*

Lib. III. Cap. VIII. pag. 170. *Quae eſt opinio Simonii*] A Simonio non videtur in hoc diſcrepare *Du-Pinus Praefat. Praelimin. Tom. I. Biblioth. Novae Eccleſ.* §. 111.

Lib. III. Cap. IX. pag. 179. *Adeantur ſi lubet*] Item *Natalis Alexander Hiſtor. Vet. Teſtam.*

Lib. IV. Cap. III. pag. 193. *Sapientiae Liber*] Vide de Libro Sapientiae etiam *Natal. Alexandrum Hiſt. Veter. Teſtam. ad ſextam Mundi aetatem Diſſertat. IV. artic.* vi.

Lib. IV. Cap. III. pag. 196. *Quid ſi illud Moſis*] *Clemens* Alexandrinus quoque iis commentariis, quos ὑποτυπώσεις inſcripſit, μετεμψυχώσεις admittit, auctore *Photio Cod. CIX.* adeoque animarum προΰπαρξιν, quod totum Scripturarum auctoritate adſtruere conatus eſt: προΰπαρξιν hanc & Methodius admiſit.

Lib.

Lib. IV. Cap. V. pag. 201. *Sed quidni* λόγου *adpellatione*] Super hac quaeſtione vide quae diſſerit *Natalis Alexander Hiſtor. Vet. Teſtam.* ad tertiam mundi aetatem *Diſſert. XV.*

Lib. IV. Cap. VI. pag. 207. *Conſulendus eſt Auguſtinus in libris De Civitate Dei*] Item *Natalis Alexander in Hiſtor. Veter. Teſtam. & Calmetius Comment. Liter. in Sacr. Scriptur.*

Lib. IV. Cap. VIII. pag. 210. *Videri Philoni potuere*] Vt quidem viſa fuiſſe animadvertit etiam *Iſidorus Peluſiota Lib. II. Epiſt CXLIII.*

Lib. IV. Cap. VIII. pag. 215. *Rectam eius doctrina interpretationem recipit*] *Iſidorus* etiam *Peluſiota Lib. II. Epiſtola CXLIII.* notat Philonem minus exacte ac caſtigate de divina Trinitate eſſe loquutum.

Lib. V. Cap. I. pag. 218. *Sed id fecit, ut oſtenderet*] Noſtra reſponſio vera eſſe demonſtratur etiam a Torniacenſi Epiſcopo *Gilberto de Choiſeul* in ſuo libello qui inſcribitur: *Le Triomphe de la Religion contre l' Atheiſme, & l' Hereſie* §. XVII.

Lib. V. Cap. I. pag. 218. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aequalem Deo*] Hic locus *Epiſtolae ad Philippenſes* adeo diſerte ac perſpicue fidem Apoſtolicam de Chriſti divinitate, & aequalitate cum Deo comprobare dignoſcitur, ut nonniſi impudenter manifeſtiſſimum teſtimonium calumniari quis poſſit. Conſulendus *Auguſtinus Lib. II. contra Maximinum Cap.* IV.

Lib. V. Cap. II. pag. 222. *Vt de Altercatione Iaſonis & Papiſci*] Item de *Origene*, *Baſilio*, *Ambroſio*, *Methodio*.

Lib. V. Cap. VII. pag. 238. *Stoicorum imitatores*] *Ioſephus* quidem libro *De Vita ſua* de Secta Phariſaeorum loquens, ait, ἣ παραπλήσιός ἐςι τῇ παρ' Ἕλλησι Στωικῇ λεγομένῃ: *Quae proxime accedit ad ſectam, Stoicam Graecis dictam.* At his verbis profecto non inſinuat Phariſaeos Stoicorum imitatores fuiſſe, ſed tantum eos vitae inſtituto ac diſciplina Stoicis reſpondere potuiſſe ſubindicat.

Lib. V. Cap. IX. pag. 244. *Suida in* λόγοι *auctore*] Iſthuc ipſum teſtatur etiam *Cicero Libro XIII. Epiſt. ad Atticum* ſcribens:

bens: *Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros ſolitus eſt divulgare, ex quo,* λόγους Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Idem tradit etiam *Zenobius*.

Lib. VI. Cap. IV. pag. 311. *Heinc Cicero Lib. De Vniverſitate*] Iſthuc ipſum amplius inluſtrari poſſet clariſſimis aliis exemplis, ut *Attii* in *Myrmidonibus*: *Vela ventorum animae immittere*. *Varronis* in *Coſmophthoro*: *Detis habenas animae leni, dum ventus vos flamine ſudo ſuavem ad patriam perducat*. Item *Lib. I. de re ruſtica cap.* IV. *Aqua, terra, anima, Sol. Horatii Lib. IV. Od.* 12. *Impellent animae lintea Thraciae*. *Arnobii Lib. I. Numquid ſuas animas exſpiraverunt venti?*

Ibidem. *Exinde oris etiam halitum*] Sic *Titinnius* in *Fullonibus* citante Nonio: *Foetida anima naſum obpugnat*. *Martialis Lib. I. Epig.* 88. *Atque duplex animae longius exit odor*. *Terentius Phorm. Animam compreſſi, aurem admovi*. *Ovidius Faſt. Surgit amans, animamque tenens*.

F I N I S.

I N-

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Abrahamus vir iuſtus, & rerum coeleſtium peritus. *pag.* 2. 3. 133. Aegyptum petit 2. honeſte ortus, & dives 4. 145. Aſtrologiae repertor non fuit 4. an de rebus divinis cum Aegyptiis diſſeruerit 10. mortalium omnium primus circumciditur 23. 35. 145.
Academia. Academiae an plures fuerint *pag.* 251. Vetus quando inſtaurari coeperit 253. 280.
Academici. Eorum ſubceſſio *pag.* 249. doctrina 248. 250. eorum doctrina religionibus adverſatur 252. cur de omnibus dubitationem invexerint 253. 280.
Adamus multiplici a Deo ſapientia donatus *pag.* 14. Divinam Trinitatem cognovit 15. ex eo ſcientia, & notitiae variae ad poſteros promanarunt 16. quanta gloria a principio inſignitus 344. *& ſeqq.*
Adonis quid ſignificet, & quorum numen *pag.* 73.
Aedeſius *pag.* 177.
Aegyptii. Aſtronomiae dediti *pag.* 3. eorum anni quales 6. 7. eorum monumentorum antiquitas 6. literarum uſum ab Iſide non accepere 7. literas & diſciplinas ante Moſen habuere 8. literarum repertores 8. Aſtronomiae vacabant ante Abrahami aetatem *ibid.* Aſtronomiae inventores habiti 9. 135. ſomniorum coniectores 10. Medicinae conſulti 11. Iudaeorum decreta, moreſque noverunt 24. 28. Moſis tempore idololatrae 24. primi aras, & ſimulacra, & delubra diis ſtatuere 24. 29. beſtias quaſdam in ſacrificiis non mactabant 25. 146. Geometriae repertores, & Magiae addicti 28. ex Iudaeorum conſuetudine profecere 28. Deum quemdam ſupremum adgnoverunt 29. eum inadſpicuum, & nulla effigie fatebantur *ibid.* Templa ſine ſtatuis habebant antiquitus, nec idola humana forma colebant *ibid.* Divinam providentiam admittebant, nec mundum ſine principio eſſe eorum plerique opinabantur 33. Aquam rerum principium conſtituebant 34. eorum antiquitas *ibid.* Daemonas, Angelosve exſiſtere credebant. *ibid.* Deo filium conſubſtantialem tribuebant *ibid.* Animos aeternos eſſe cenſebant *ibid.* an iſthuc ipſum omnium primi adſeruerint 35. cur cadavera conderent, & adſervarent *ibid.* reſurrectionem & μετεμψύχωσιν. admiſere *ibid.* circumciſionem a Iudaeis acceperunt *ibid.* Moſis aetate minus ſuperſtitioſi quam Phoenices 37. Iudaeorum apud eos libri 39. *& ſeqq.* 110. diſciplinis liberalibus dediti 39. diſciplinarum inventores *ibid.* Eorum lingua ab Ebraea diverſa 44. linguam Ebraicam eorum nonnulli forte callebant *ibid.* ſuarum tantum legum cultores 45. quomodo id intelligendum 150. ſua placita cum aliis communicabant

Digitized by Google

bant 70. eorum de inferis fides 237.
Aegyptus. Eius laudes *pag.* 1. *Ham* dicta 9.
Aër ex aqua *pag.* 311. idem ac ſpiritus 312.
Aeſchines Neapolitanus *pag.* 249.
Aethiopes Aſtrologiae repertores *p.* 9. circumcidebantur 35.
Alcibiades linguam Perſicam didicit *pag.* 88.
Allegorica Scripturarum ſacrarum expoſitio apud quos fuerit in uſu. *pag.* 173. *& ſeqq.* eam iniuria improbat Porphyrius 275. non tamen alii Ethnici eam improbarunt 275. 276.
S. Ambroſius an erraverit circa Platonis aetatem *pag.* 101.
Amelius Tuſcus *pag.* 177. 278.
Ammonius Saccas *pag.* 276.
Amor, materiae formas induxit *pag.* 319.
Angeli. De eis apud Iudaeos credulitas *pag.* 12. naturalem ſcientiam poſt lapſum retinuere 16. eorum miniſterio Deus uſus eſt in praeſentiis 201. a Iudaeis culti 292.
Anima. Eius immortalitas a Iudaeis credita *pag.* 21. 240. item ab Aegyptiis 34. a Chaldaeis 35. 68. ab Indis 35. animarum praeexiſtentia apud quos 34. 68. 196. 237. anima ſecundum Pythagoram vapore conſtat 311. item ſecundum Homerum *ibid.* quid ſecundum Stoicos *ibid.* ventus vel aër eſſe credita 308. 311. 313. id quod maxime & primo movet 309. unde dicta 311. idem ac ſpiritus 312.
Anima mundi *pag.* 77. 245. an de ea opinio ex Iudaeorum doctrina profluere potuerit 303. 307. naturali quadam ratiocinatione induci potuit 203. 322. ex aquae vaporibus conſtitit ſecundum Heraelitum 321. gemina eſt 328. 330. Spiritum Sanctum exhibere quibuſdam viſa 328.
Antiochus Aſcalonita *pag.* 249. 272.
Antiqui qui apud Platonem *pag.* 127. 129.
Antonius Maria Salvinius *pag.* 72.
Apis Aegypti Rex antiquiſſimus, & numen *pag* 24.
Apollo Alexandrinus *pag.* 269.
Apoſtoli Chriſtum eſſe Deum, & mundi conditorem credebant 218. 219. eorum doctrina uniformis 219. 266. unde τὸν λόγον deduxerint 221. ſenſu prophetico ſcripturas interpretabantur 222. divina omnes ſapientia aeque inſtructi 265. Chriſtum, Deum praedicabant 267. profanas doctrinas averſabantur 259. item vocum novitates 261. item profanos libros *ibid.* doctrinam coeleſtem tantum tradidere 262.
Aqua rerum principium ſecundum Aegyptios *pag.* 34. 54. 58. ſecundum Homerum 54. ſecundum Thaletem 57. 322. ſecundum Orpheum 57. ſecundum Zenonem Citieum 58. ſecundum Indos, & Scythas 59. ſecundum Moſen, & Phoenicas 322. cur Θεόπνοος Numenio dicta 322.
Arabes quadratum lapidem adorabant *pag.* 31.
Arceſilas novam Academiam inſtituit *pag.* 245. eius ſententia 248. 250.
Arimanes malorum principium *p.* 20.
Ariſteae liber ſubpoſititius *p.* 120. 123.
Ariſtobulus Peripateticus *p.* 121. 134.
Ariſtoteles Platonem impugnavit *pag.* 244.
Ariſtus *pag.* 250. 273.
Artaxerſes Ochus *pag.* 100.
Aſinius Pollio *pag.* 352.
Aſſuerus *pag.* 99.
Aſsyrii Aſtrologiae repertores, & cur *pag.* 9. 134. 135. omnium primi ſtatuas deorum in templis conlocarunt 30.
Aſtra eſſe animata adfirmare an ſit contra Catholicum dogma *p.* 325. an ea Iudaei eſſe animata crediderint

Digitized by Google

rint 327. Philo quidem Iudaeus, & Arabes, & Chaldaei, aliique id cenſuere 327.
Aſtronomia ante Abrahamum reperta pag. 4. eius repertores 9.
Aſtronomicae obſervationes quanti temporis apud Babylonios exſtiterint pag. 4.
Athotis pag. 25.
Atomi. Qui eas primus invexerit pag. 66. an Heraclitus admiſerit 77.
Auctor libri *Sapientiae* non fuit Platonicus pag. 196.
S. Auguſtinus erravit in tradenda Platonis aetate pag. 101. linguae Graecae multum peritus non fuit 124.

B

Babyloniorum antiquitas fabuloſa pag. 5.
Bacchus ſub columnae imagine a Thebanis cultus pag. 31.
Baetyli lapides *ibid.*
Barbari Sapientes Graece eruditi pag. 93. Barbari quidam ſapientes 125. Barbari qui? 125. quos eorum nomine Plato intelligat 127. diverſa eorum genera novit Plato 130. 131.
Barnabae Epiſtola an genuina pag. 230.
Bartholomaeius Marchio pag. 89.
Bellarminus Rupertus *ibid.*
Belus quid ſignificet pag. 68. 72. Beli diverſi 69. Belus Aſsyrius 134.
Bibliotheca Riccardiana pag. 333. 350.
Bibliothecae ab antiquis temporibus inſtitui coeptae pag. 39. quorum celebres 40.
Brachmanum doctrina pag. 108.
Brutus pag. 250. 272.

C

Cadmus pag. 25. ab eo myſteria, & Deorum ſolemnitates Graecis traditae; item literae iuxta plurimos 25.
Carmina Sibyllina pag. 352.
Carneades pag. 249.
Cato Cenſorius iam ſenex linguam Graecam didicit pag 88.
Cecrops. Eius aetas pag. 25. Athenas condidit, religiones deorumque cultum edocuit *ibid.* literas Graecis forte tradidit 26.
Cerinthus pag. 280.
Chalcidius pag. 278.
Chaldaei Aſtronomiae dediti pag. 5. ab Aegyptiis deſcendunt 9. Chaldaeus & Mathematicus idem apud veteres 4. Conlegium Aſtronomorum Babylone habuerunt 4. eorum antiquitas fabuloſa 5. Sapientes 18. apud eos trinitates naturarum, quae tantum ſub intellectum cadunt 49. Magis antiquiores 119. primi animorum aeternitatem adſeruere 35. Idola Abrahami aetate colebant 30. eorum dogmata varia 67. Supremi Dei cultores 68.
Chananaeorum cum Aegyptiis commercia pag 10.
Charmides pag. 249.
Chriſtianiſmi ab ipſo initio celebritas pag. 268.
Chriſtianorum Philoſophia pag. 257.
Chriſtus. Eſt Deus pag. 216. 229. mundi conditor 219. Sapientia de qua Salomon, & Scriptor *Sapientiae* 223. Deus habitus ab Apoſtolis 216. & ab Apoſtolicis Patribus 218. & a primis Chriſtianis 228. 294. an antiquitus ulli Ethnicorum revelatus 340. an ante eius adventum fides in eum neceſſaria eſſet Ethnicis ad ſalutem 341. Vide *Meſſias. Ratio. Verbum. Sapientia.* λόγος.
Chryſanthius pag. 277.

Chryſippus Medicus *pag.* 79.
Cicero *pag.* 250. 273.
Circumciſio a Iudaeis ad Aegyptios profluxit *pag.* 35. Iudaeorum propria 145. apud quos alios populos 35.
Clemens Alexandrinus *pag.* 276 331.
Clemens Romanus. Eius Epiſtolae *pag* 231. 232.
Cleobulus in Aegyptum profectus eſt *pag.* 56.
Clitomachus *pag.* 249.
Colchi circumcidebantur *pag.* 35.
Crantor *pag.* 244.
Crates *ibid.*

D

Daedalus in Aegyptum contendit *pag.* 52.
Darius Ochus *pag.* 99.
Decimarum uſus antiquiſſimus *p.* 147.
Democritus in Aegyptum, & Perſidem, aliaſque regiones peregrinatur *pag.* 65. eius libri quidam, & placita 66. 67. an Aegyptiam, aliaſque linguas didicerit 87.
Deus. Vnus ſupremus ab omnibus gentibus cognitus *pag* 32. 68. 69. *& ſeqq.* qualis ſecundum Magos 67. eius varia nomina falſis diis adtributa 71. *& ſeqq.* eius ſingularitas non excluditur ob alios inferiorum Deorum ordines ſecundum Platonem 158. Angelorum miniſterio utitur in praeſentiis 201. nulla effigie & inadſpicuus, ſecundum Aegyptios 29.
Dialogi non requirunt exactam diligentiam quoad Interloquutores *pag* 339.
Dianae Icariae imago, lignum *pag.* 31.
Dii. Eorum ſimulacra informia *p.* 30. 31. eorum praeſentiae 34. 56. varia nomina 71. *& ſeqq.* Dii qui in Aegypto regnarunt 262.
Dionyſius Longinus *pag.* 277. 278.

E

EBion *pag.* 288.
Elzai Iudaeus impoſtor *p.* 207.
Engaſtrimythi apud Iudaeos *pag.* 240.
Ennius tricor *pag.* 90.
Enopides Chius Aegyptum petit *p.* 79.
Epimenides primus templa apud Graecos aedificavit *pag.* 29.
Epiphanes haereticus *pag.* 276.
Equae vento gravidae *pag.* 315.
Eremnius *pag.* 277.
Eſſeni an aliquid Graecis debeant *pag.* 235 236. eorum ſectae origo 235. animarum praeexſiſtentiam credebant 237. Angelorum nomina cuſtodiebant 292.
Etruſci libri *pag.* 91.
Evander *pag.* 249.
Eudoxus Aegyptum petit *pag.* 79. 83. non tamen una cum Platone 82. quando illhuc profectus fuerit 83. Platonis diſcipulus *ibid.* quanto tempore in Aegypto permanſerit 84.
Euhoe adclamatio unde *pag.* 72.
Euripides Aegyptum petit *pag.* 78. quando mortuus 82. profectionis Platonis in Aegyptum comes non fuit 82.
Euſebius Myndius *pag.* 277.
Euſtathius *pag.* 277.
Ezechiel. Eius aetas *pag.* 20.

F

FAtum & αὐτεξούσιον concurrunt *pag.* 54.
Filius Dei antiquis Iudaeis cognitus *pag.* 187. *& ſeqq.*
Furta veterum Scriptorum *pag.* 333.

Ga-

G

Gaditani templa non habebant *pag.* 30.
Gentiles ex ſcripturarum lectione ad Chriſti fidem converſi *p.* 279.
Geometria ab Aegyptiis inventa *p.* 18.
Germani templa non habuere *pag.* 30. per noctes tempora computabant 60. diverſas linguas callent 89.
Gigas quid ſignificet apud LX. *pag.* 106. Gigantes qui fuerint 107.
Gnoſtici. Eorum antiquitas *pag.* 226. 289. 291. eorum errores quidam 225. 226. 288. 289. ab Amelio, & Plotino confutati 277.
Graeci Sapientes Iudaicae doctrinae non omnino ignari *pag.* 50 *& ſeqq.* 79. 103. 179. in Aegyptum diſcendi gratia profecti ſunt 50. 51. *& ſeqq.*
Gregorius Thaumaturgus *pag.* 277.
Grotius. Hugo. Socinianorum fautor *pag.* 187 207. 231.
Gymnaſium Hieroſolymis aedificatum *pag.* 254.

H

Hannonis Carthaginienſis commentarii *pag.* 91.
Hecataeus an librum Iudaicae hiſtoriae conſcripſerit *pag.* 2.
Hegeſinus *pag.* 249.
Helios unde dictus *pag.* 73.
Heraclas Alexandrinus *pag.* 276.
Heraclitus Epheſius an Aegyptios adierit *pag.* 75. eius placita quaedam *ibid.*
Heraclitus Tyrius *pag.* 291.
Hermippus Zoroaſtris libros inluſtravit *pag.* 5. 90.
Herodes Rex *pag* 352.
Herodotus mendax *pag.* 35. 149. & praecipue in rebus Aegyptiorum ſcribendis *pag.* 35.
Hiempſalis libri *pag.* 91.
Hierocles *pag.* 277.
Hieroglyphica *pag.* 17.
Hippocrates Mathematicus mercaturam exercuit *pag.* 82.
Homerus. Eius carmina quanti habita *pag.* 39. plagii accuſatus 43. in Aegyptum contendit 43. 53. Aegyptius vel Babylonius 53. eius placita quaedam *ibid.*
Homines e terra ortos fabula antiqua, & multis communis *pag.* 136.
Hoſtiae humanae ad cuius imitationem introductae *pag.* 31. 148.
Hyperbolae Iudaeorum in altitudine ſignificanda *pag.* 205.

I

Iacobus ſcalam mirabilem videt, & erigit lapidem in titulum *pag.* 30.
Iamblichus *pag.* 277.
Iao, Dei nomen *pag.* 71.
Idololatria quando inceperit *pag.* 30. eius cauſſae 30. 31.
Iehova *pag.* 71.
Ignatius Martyr. Eius Epiſtolae genuinae *pag.* 225. Petri Iohanniſque diſcipulus, & Polycarpi amicus 225.
Inferi. De iis fides unde Graecis *p.* 54. quomodo ab Orpheo & Homero deſcripti 54. 237. quid de iis Aegyptii ſentirent 237. quid Iudaei 237. 238. *& ſeqq.*
Iobus *pag.* 21. Iobi hiſtoria, parabola iuxta Ebraeos 22. eius liber antiquus 22. 350.
Iohannes Evangeliſta. Scriptorem *Sapientiae* imitatus eſt *pag.* 223. ſuum λόγον ex Philone non deduxit 233. *& ſeqq.* eius ruſticitas & imperitia 258. quando Evangelium ſcripſerit 264. ſcripſit ut quaedam ſuppleret 286. & ut ſui temporis haereticos confutaret 286. 288. 293. 290. Platonicos & Stoicos ſibi confutandos non propoſuit 290. quomodo ad ſcribendum

Digitized by Google

dum Evangelium ſe adcinxerit. 295.
Ioſephus Madianitis venditur *pag.* 10.
Ioſephus Flavius. Eius libri de bello Iudaico in Bibliotheca publica Romae conlocati *pag.* 264.
Iovis etymologia *pag.* 70.
Iſis. Quae in Aegyptum fugerit? *p.* 7. Medicinae inventrix 11. Apidos uxor 104 eius ſimulacrum 29.
Iudaei. Eorum in Aegypto incrementum *pag.* 11. quantum temporis ibidem ſervierint *ibid.* eorum, quum in Aegyptum contendere, religio *ibid.* eorum Patriarchis divina Trinitas nota 14. 162. 305. cur eis omnibus manifeſte Trinitas non revelata 18. ad Idololatriam proni *ibid.* 350. animorum aeternitatem credebant 21. 240. item corporum reſurrectionem 21 a carnibus cum ſanguine abſtinebant etiam ante Moſen 23. literarum uſum habebant ante Moſis aetatem 23. in Aegypto, & Chaldaea remanſere etiam poſt temp. ab Eſdra reſtitutam 48. 96. Magiae periti credebantur 105. eorum placita facile aliis gentibus adridebant 36. Aegyptiis nota 37. eorum cum Aegyptiis commercia 43. 46. 48. eorum cum Aegyptiis bella aut foedera 46. *& ſeqq.* eorum cum aliis gentibus commercia 48. 51. 59. ſacros libros ſecum ſemper aſportabant 49. libri eorum apud Aegyptios 39. *& ſeqq.* item apud alias gentes 51. eorum cum Phoenicibus commercia 59. cum diverſis gentibus ab Ethnicis confuſi 106 133. Phoenices erant 106. eorum lingua, Phoenicia 106. Chaldaei origine 107. Iudaei ab Ethnicis Scriptoribus celebrati 108. *& ſeqq.* ſua placita, & inſtituta, & hiſtorias cum aliis communicabant 119 352. an ſuos ritus aliis gentibus debeant 144. eorum libri plures intercidere 163. multa ore tenus tradebant, quae literis mandare refugiebant 166. 167. 168. eorum traditiones quaedam in ſacris libris confirmatae 169. poſt captivitatem Babylonicam Chaldaica lingua uſi 170. Graecanicis ſtudiis minime addicti 233. 254. eorum de inferis fides 238. 239. eorum Philoſophia quae? 256. Angelos colebant 291.
Iulianus Auguſtus Apoſtata *pag.* 277. 278.
Iunonis Teſpiae imago, truncus *p.* 31. Samiae, aſſer 31.
Iupiter, ſpiritus mundi *pag.* 316.
Iuſtinus Martyr. *pag.* 276.

L

Acydes *pag.* 249.
Leges, & mores populorum mutantur *pag.* 149.
Leviratus lex *pag.* 148.
Libri. Eos comparandi ſtudium apud antiquos *pag.* 40. Iudaici plures deperditi, vel Epitomae tantum 163. 165. profani a primis Chriſtianis Epheſi combuſti 261.
Linguae. Orientalium inter ſe differentia *pag.* 44. Ebraea ab Aegyptia diverſa 44. Ebraica eadem ac Phoenicia 106. Graeca Romae fere communis 89. linguae facile diſcuntur 88. Barbarae a Graecis & Latinis diſcebantur 87. 88. *& ſeqq.* etiam Barbarae elegantes 93 Ebraea ab Azotica diverſa 107.
Literae. Earum antiquitas *pag.* 5. earum uſus apud Iudaeos ante Moſen 23. Graecae antiquae, Etruſcae, & Latinae Samaritanis ſeu Phoeniciis ſimiles 27.
Λόγος. Ad divinam hypoſtaſin ſignificandam a Iudaeis Scriptoribus uſurpatus *pag.* 193. λόγος Heracliti, Pythagoreorum, & Platonicorum 197. λόγος & Sapientia idem

Digitized by Google

idem apud Scriptorem *Sapientiae* 197. apud eamdem λόγος eſt exiſtens 100. λόγοι Angeli interdum adpellati 103. λόγος *Sermo*, an *Ratio* in libro *Sapientiae*, Platone, & Philone verti debeat 108. 109. in eo omnia facta 198. 212. 214. *Sermo* an *Ratio* verti debeat in Iohanne 215. λόγος Stoicorum 245. *& ſeqq.* Omnes Apoſtoli voce λόγος uſi 180. *& ſeq.* 193. λόγοι tres apud Clementem Alexandrinum 331. vide *Ratio divina*, *Sapientia*, *Verbum*.
Longinianus *pag.* 277.
Lucas Evangeliſta *pag* 287.
Luci circa Templa unde originem traxerint *pag.* 32.
Lucullus *pag.* 250. 273.
Lycophron an linguam Ebraicam calluerit *pag.* 88.
Lycurgus Lacedaemonius in Aegyptum contendit *pag.* 53.

M

MAcrobius *pag.* 277.
Magi Perſarum Chaldaeis poſteriores, & eorum placita *pag.* 19. reſurrectionem corporum fore credebant 23. ſtatuas repudiabant 19. Magi Indorum primi animorum aeternitatem adſerere 35. Magi qui ad Chriſtum venere 51. Magi diverſarum gentium 108.
Mago. Eius libri de Agricultura *p.* 90.
Marcus Aurelius *pag.* 277.
Marcus Evangeliſta *pag.* 269. 287.
Materia, malum *pag.* 20.
Maximus Byzantinus *pag.* 277.
Medicinae apud Aegyptios antiquitas *pag.* 21.
Melampus in Aegyptum contendit *pag.* 52.
Melanthius *pag.* 249.
Mercurius Aegyptius *pag.* 26.
Mercurius Triſmegiſtus *pag.* 7. 26.
Meſſias a Iudaeis antiquiſſimis expectatus *pag.* 12. Deus creditus 13. 187. *& ſeqq.* Angelus adpellatus 13.
Metempſychoſis apud Aegyptios *p.* 35. iuxta Pythagoram 65. apud Iudaeos & alias gentes 242.
Metrodorus *pag.* 249.
Miſrhaimus Aegypti Rex *pag.* 8. cum Rege Mene confunditur 8. idem ac Oſiris, & Apis 24.
Mithra *pag.* 20. mediator adpellatus 20.
Mithridates XXII. linguas callebat *pag.* 88.
Moſchus Sidonius *pag.* 38. 66.
Moſes. Quo tempore vixerit *pag.* 8. 26 Sapientia Aegyptiorum eruditus 8 27. Ebraicas literas non invenit 8. 23. Graecis Sapientibus antiquior 27. leges Aegyptiis non tulit 37. eius exiſtimatio apud Aegyptios 38 50. 120. notus etiam Graecis 110. 117. an ſuas leges, & ritus Aegyptiis, aliiſque gentibus debeat 144. a ritibus gentium abhorruit 148. de Chriſto loquutus eſt 220. 223. Moſi de mundi ortu omnes antiqui Sapientes adſtipulantur 323.
Mundus non ſine principio iuxta Aegyptiorum pleroſque *pag.* 33. eius primordia, aqua. Vide *Aqua*. an illum animatum adſerere ſit contra Catholicum dogma 325.
Muſaeus in Aegyptum contendit *p.* 52.

N

NEbuchadneſar *pag.* 97.
Nectanebis Aegypti Rex *p.* 83.
Nicolaitae *pag.* 188.
Noachus rerum divinarum peritus, a quo in poſteros variae notitiae promanarunt *pag.* 17.
Nomades templa non habuere *pag.* 30.
Numenius *pag.* 278.

Olym-

Digitized by Google

O

OLympus Platonicus *pag.* 277.
Origenes Adamantius *pag.* 276. an eius de Aſtrorum animis opinio haeretica 326.
Origenes Platonicus *pag.* 277.
Oromazes *pag.* 20. 67.
Orpheus in Aegyptum contendit *p.* 50. 51. eius placita quaedam 52. 57. carmina, quae ei tribuuntur, ſuppoſititia 57.
Oſiris *pag.* 24.
Oſthanes Magus *pag.* 21.
Ovidius Sarmaticam Geticamque linguam edidicit *pag.* 91.
Ovum mundi generationis imago *pag.* 318.

P

PAraphraſes Chaldaicae quando ſcriptae *pag.* 170. in iis de Verbo divino agitur 171.
Parmenides de Demiurgica Trinitate egit *pag.* 160. 162.
Paſtoritia vita honeſtiſſima *pag.* 23.
Patres Eccleſiae antiqui Tritheitae non fuere *pag.* 177. libros apocryphos & ſuppoſititios interdum citant 115. Apoſtolici recte de Chriſti divinitate ſenſerunt 225. 228.
Paulus Apoſtolus Scriptorem libri *Sapientiae*, & Salomonem imitatus *pag.* 223.
Perſae. Eorum antiquitas *p* 20. Templa, aras, ſtatuas antiquitus non habuere 29.
Phariſaei. Reſurrectionem mortuorum credebant *pag.* 23. an aliquid a Graecis acceperint 235. quando inceperint 235. *& ſeqq.* an Stoicorum imitatores 238. μετεμψύχωσιν admittebant 239. eorum de inferis fides 239.
Pherecydes Syrius in Aegyptum profectus eſt 56. Phoenicum libros ſibi comparavit 56. 65. in Chaldaeam proficiſcitur 65. an Phoenicum linguam calluerit 88.
Philo Iudaeus. An Platonicus *p.* 209. 234. περὶ λόγου doctrinam a Moſe accepit 210. an Ario praeluſerit 214. 296. 297. 301. eius aetas & Ebraicae linguae imperitia 263. ob ſcientiam non in multa exiſtimatione apud ſuos 263. eius liber Bibliotheca publica Romae dignatus 264. Chriſtiani ab eo cogniti 270. an Chriſtianus fuerit 271. an de Chriſtianis ſcripſerit 271. ex Chriſtiana doctrina profeciſſe videtur 283. non infert Polytheiſmum 296. 297. an libri *Sapientiae* ſit auctor 195.
Philo Lariſſaeus *pag.* 249.
Philoſophari, quid apud Iudaeos & Chriſtianos *pag.* 256. 257.
Philoſophia Iudaica *pag.* 256. Chriſtiana 257.
Phoenices deos ſub haſtarum & columnarum forma colebant *p.* 30. per totum orbem diffuſi 59. cum Iudaeis confuſi 106. literas Graecis tradidere 25. 59. eorum Theologia Ebraicae conſona 59. 320.
Photius de Ignatio ſententiam ferens caſtigatur *pag.* 231.
Picus Ioh. *pag.* 89.
Plato ex Chaldaeorum decretis Trinitatem demiurgicam deduxit *p.* 20. quando natus 81. in Aegyptum, Italiam, & Cyrenas proficiſcitur 82. qua occaſione in Aegyptum profectus *ibid.* an una cum Euripide & Eudoxo *ibid.* quando Athenas redierit 83. quando in Siciliam profectus 84. quanto tempore in Aegypto commoratus 85. in quas ibi doctrinas incubuerit 86. an Aegyptias literas didicerit 87. 90. non fuit Ieremiae Prophetae coaevus 101. an cum Iudaeis in Aegypto congreſſus fuerit 102. *& ſeqq.* Magos & Per.

Perſas non adiit 105. in Phoenicen contendit 105. Moſes atticiſſans 104. 141. an Ebraicas ſcripturas noverit 117. 122. 132. eius praeceptores & ſtudia 131. diverſorum dogmata ſequutus 132.133. Iudaeorum expreſſe non meminit 136. doctrinas ab aliis acceptas interpolavit 137. qui dixerint eum Iudaicorum dogmatum expertem non fuiſſe 139. eius doctrinae, & Iudaicae ſimilitudo 141. *& ſeq.* de Demiurgica Trinitate doctrinam aliis debet 156. 161. an tres Deos invexerit 175. Dialecticen perfecit 181.208. multa aliis ſubripuit 333. *& ſeqq.* eius ſcripta quaedam periere 319. Interloquutores in dialogis temere inducit 338. multa falſo aliis adfingit 339. eius libri quando publicari coepti 243.

Platonici multa a Chaldaeis accepere *p.* 65. eorum a praeceptore diſſenſio 244. eorum ſucceſſio 244. *& ſeq.* ſuperſtitioſi in Daemonas 260. ſcholae eorum inſtauratio temporibus Chriſtianis debetur 253. 280. 291. eorum multi Chriſtiani, aut Chriſtianorum familiaritate uſi 276. 277. Sacras Scripturas legebant 278. Chriſtianorum libros evolvebant 279. ex Chriſtianis profecerunt 279. *& ſeqq.*

Plautus Punicum ſermonem calluit *pag.* 88.

Plotinus. Eius laudes *pag.* 160. cuius diſcipulus 277.

Plutarchus qua ratione linguam Latinam didicerit *pag.* 89. de eo quaedam alia 277. 278.

Poëtae Ethnici & Philoſophi multa ex Ebraica traditione derivarunt *pag.* 179.

Polemo *pag.* 244.

Porphyrius *pag.* 277. 278. 279.

Potamo *pag.* 273.

Priſcorum nomine veniunt Barbari apud Platonem *pag.* 127.

Priſcus Theſprotius *pag.* 177.

Providentia ſecundum Stoicos *p.* 247.

Pſammitichus Aegypti Rex *pag.* 52.

Ψυχὴ unde dicta *pag.* 308.

Pythagoras in Aegyptum contendit *pag.* 61. eius ſtudia, & peregrinationes variae 61.62. eius cum Sapientibus congreſſus *ibid.* eius placita quaedam 63. 64. *& ſeq.* multa a Chaldaeis accepit 63. 65. Aegyptias literas didicit 61. 87. an Ebraicas Scripturas ullo modo intellexerit 122

Pythagorei Medicinae periti *pag.* 86.

Pythoniſſa *pag.* 240.

R

Ratio divina, ſeu λόγος *pag.* 77. 190. mundi effectrix 76.77. exſiſtens 78. Plato, aliive Sapientes eam ex Ebraica doctrina deducere potuere 184. *& ſeqq.* variis nominibus a Platonicis inſignita 191. vox λόγος unde deducta *ibid. & ſeqq.* Vide λόγος, *Sapientia*, *Verbum*.

Reſurrectio mortuorum a Iudaeis credita 21.22. eam Sadducaei negabant 22. a Magis credita 22. 68. ab Aegyptiis 35. a Democrito 67.

Romani principio nulla Deorum ſimulacra habuere *pag.* 29. peregrina ſacra non recipiebant, & e contra 150.

S

Sabbati obſervatio Iudaeorum propria *pag.* 145. apud Graecos etiam & Romanos ad Iudaeorum imitationem 37.

Sacrificiorum uſus antiquiſſimus *pag.* 146 cur ea Deus a Iudaeis exegerit 151.

Sadducaei animorum aeternitatem, & corporum reſurrectionem non cre-

Digitized by Google

credebant *pag.* 21. 22. eorum ſecta Epicureorum ſectae reſpondet 236.
Samaritani animorum aeternitatem negabant *pag.* 21.
Sapientia a Salomone deſcripta exſiſtens eſt *pag.* 186. *& ſeq.* item quae a Siracide, & Auctore libri *Sapientiae* deſcribitur 187. cur ea λόγος a Graecis adpellata 190.
Sapientiae liber a quo ſcriptus, & qua lingua *pag.* 193. 194.
Scientia. Rerum divinarum corrupta ſenſim, & paene deperdita *p.* 17. quaedam generalis ex antiqua traditione omnium communis 16. 143.
Scribendi antiqua ratio *pag.* 6. modus triplex apud Aegyptios 26.
Scriptores poſteriores multa antiquioribus ſubripiunt *p.* 114. 333. *& ſeq.* Graecorum quorumdam aetas 113 veteres quomodo libros ſuos auſpicarentur 332.
Scriptura Sacra an ante Ptolemaeum Philadelphum Graece converſa fuerit *pag.* 121. perperam intelligi poteſt 78. eius allegorica expoſitio ſolemnis Iudaeis, & Chriſtianis 273. *& ſeqq.*
Scythae. Nulla templa habuere *p.* 30. adorabant acinacem 31.
Septuaginta Interpretum celebritas *pag.* 124.
Serapidos ſtatua *pag.* 29.
Seres templa non habebant *pag.* 30.
Seſoſtris Aegypti Rex *pag.* 29.
Simon Magus *pag.* 290. 293.
Socrates quando obierit *pag.* 81.
Solon in Aegyptum profectus *pag.* 56. mercaturam exercuit 82.
Sopater *pag.* 277.
Speuſippus *pag.* 144.
Spiritus. Idem ac vapor ſecundum antiquos *pag.* 321. idem ac aër, & ventus 312.
Spiritus Dei apud Moſen in Geneſi quid ſignificet *pag.* 308. *& ſeqq.*
Spiritus mundi, Iupiter *pag.* 316.
Spiritus Sanctus. Antiquis Iudaeis notus *pag.* 304. de eo Iudaei tamquam de anima quadam generali loquuti 323. anima quaedam videtur quodammodo Arnaldo Bonaevallis Abbati 314. eius nomine illuſtratio divina intellecta 306.
Syllanus, Decius *pag.* 90.
Syneſius *pag.* 277.

T

Tatianus Aſsyrius *pag.* 278.
Thales in Aegyptum proficiſcitur *pag.* 56. eius patria 56. varias regiones luſtrat 56. eius placita quaedam 57. *& ſeqq.* in Chaldaeam contendit 65. mercaturam exercuit 82.
Themiſtocles linguam Perſicam didicit *pag.* 88.
Theophraſtus Iudaeorum mores, & leges novit *pag.* 116.
Theracus Abrahami pater idololatra, & Aſtronomus *pag.* 4.
Theut literaturam, & diſciplinas Aegyptiis tradidit *pag.* 26.
Thraſyllus *pag.* 273.
Toſorthrus Iſidis F. *pag.* 11.
Traditiones multae apud Iudaeos *pag.* 169. de Meſſia & futura Eccleſia 175.
Tribuum decem Iſraëlis diſperſio *pag.* 45.
Trinitas divina, Iudaeorum Patriarchis nota *pag.* 14. Adamo inprimis 14. eius myſterium cur a Deo antiquitus Iudaeis manifeſte non revelatum 18. eius indicia an ſint in Vetere Teſtamento 153. in eius cognitionem naturali ratiocinatione perveniri non poteſt 153. 155. 181. ne in Trinitatis quidem Arianae 158. Trinitatem Demiurgicam Plato a Chaldaeis accepit 20. Homerus hanc inſinuavit 56. Pythagoras docuit 65. doctrina de

Digitized by Google

de ea a Platone aliis debetur 159. 161. an Platonica Trinitas, Ariana 175. Divinae Trinitatis imago in doctrina Platonis 341.
Trypho Chriſtianus *pag.* 276.
Trypho Stoicus & Platonicus *p.* 277.

V

VAlentinianorum error *p.* 225. 227.
Valentinus Platonicus *p.* 276.
Varro *pag.* 250 272.
Ventus, anima *pag.* 308. foecundans 315. 316.
Verbum divinum apud Paraphraſtas Chaldaeos *pag.* 171. adparuit antiquis Patriarchis 174. Vide λόγος, *Ratio*, *Sapientia*, *Meſſias*, *Chriſtus*.
Veritas facile corrumpitur *pag* 112. 340. eam Sapientes occultare conſuevere 138.
Veterum nomine veniunt Barbari apud Platonem *pag.* 127.
Virgilius *pag.* 273.
Volucres vento gravidae *pag.* 316.

X

XEnocrates *pag.* 244.
Xerſes templa Graeciae inflammavit *pag.* 29. Libros ex Athenarum Bibliothecis aſportavit in Perſas 40.

Z

ZEno Citieus aquam rerum principium dixit *pag.* 58. eius a Platone diſſenſio 245.
Zephyrus foecundans *pag.* 315.
Zoroaſtres quo tempore vixerit *pag.* 5. Perſa, religionis apud Perſas auctor 19. Zoroaſtris libri 5. 90. Zoroaſtres Aſſyrius 134.

FINIS.

E R-

Digitized by Google

Pag.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
25.	12.	Nam beſtiarum nulla	Nam beſtiarum eiuſmodi nulla
32.	28.	Cytheraeis	Cythereis
51.	6.	exſtitiſſe videantur poſſit	exſtitiſſe videantur
57.	10.	Πτοἰ	Ητοι
76.	27.	quorum quidam	quorum quidem
119.	28.	Socianorum	Socinianorum
132.	6.	Tzezes	Tzetzes
148.	14.	oſtendent	oſtenderent
187.	1.	quam Salomon ſapientiam vocat	quam id quod Salomon ſapientiam vocat
218.	30.	Cymmeriis	Cimmeriis
222.	18.	magis magis atque	magis atque magis
233.	14.	anſam	anſa
268.	6.	Triphone	Tryphone
269.	35.	quae	qui
301.	17.	aliiſque	aliique
316.	26.	Trigide	Tigride
319.	8.	vitellum	vitellus
328.	12.	ἐφανθάσθησαν	ἐφαντάσθησαν
333.	14.	ἐςιῶν ἡμᾶς	ἐςιῶν ἡμᾶς
346.	32.	ὑπαναγίου	παναγίου
348.	25.	μετασχηματήσεις	μετασχηματίσεις
349.	4.	κτισθήσονθαι	κτισθήσονται
350.	18.	incripta	inſcripta

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005645928